Giese

[...]IONALE VITT. EMANUELE
13
25 H
45

M

13 - 25 . H . 45

IV C 13

3. A. 33.

OFFICIALIS
CURIÆ REGULARIS

AD OPTIME DEFENDENDA SUÆ RELIGIONIS JURA
IN CURIA VENTILANDA,
SATIS INSTRUCTUS,

OPUS APPRIME REGULARIBUS NECESSARIUM:

ELABORATUM


A P.F. AUGUSTINO MATTHÆUCCI LUCENSE,

Provinciæ Obſervantis Romanæ, Sacræ Theologiæ Lectore
Jubilato, & Romanæ Curiæ Ordinis Minorum
Secretario Generali &c.

CUM DUPLICI INDICE.

AD REVERENDISSIMUM PATREM FR.

MICHAELEM ANGELUM
FAROLFO DE CANDIA
ORDINIS MINORUM.



ROMÆ, ANNO JUBILEI MDCC.

Typis Zenobii, & Plachi, propè Columnam Trajanam.
SUPERIORUM PERMISSU.

Reverendiſſimo Patri Fratri

MICHAELI ANGELO FAROLFO DE CANDIA,

Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & Apoſtolici Palatii Ex-Concionatori, Leopoldi I. Theologo, SS. CC. Indicis, & Rituum Conſultori, Viſitationis Apoſtolicæ Votanti, Ordinis Minorum Diſcreto perpetuo, & Romanæ Obſ. Provinciæ Miniſtro Provinciali &c.

Fr. Auguſtinus Matthæucci Lucenſis F. P.

ET sì, novi nihil edicere opus, tuo nomine inſcriptum, quidam ſanè ſint interpretaturi, nihilominùs, cum quidquid proferat, tuo indigum patrocinio accenſeam, ſumma Tibi voluntate propono, & publicæ tandem luci permitto; eamque parere frugem, quam labor intendit, confido. Cenſum te penſitare noluerim, ſed meæ Tibi debitum venerationis officium, & magis cordis ſtudium, quàm munus. Vidi lites enaſci, & exurgere rixas, ubi elinguis eſt lex; eoſque legis occidere literam, quos ejuſdem ſenſum, vel poſterioribus priores, latet, eſſe corruptas, abrogatas. Exinde dolui, earum nonnullos privari lumine, & quoſdam,

quaſi excuſanda neceſſitate, perneceſſaria ignorare debere. Etenim, cum prægrandibus includantur Codicibus, ad ea iis, ut ex eis utilem excerpant peritiam, inſtruantur lectura, non patet acceſſus. Alios impenſarum pondus deterret: cæteros arcet incommodum: evolvunt pauci; aliorum negociorum curis diſtracti. Ad immenſam ferè molem excrevere volumina, quæ jura Exemptorum recenſent, adeoùt nonniſi tædioſo ſtudio; & multorum Annorum decurſu ſit aliquibus ea perlegere datum; & forte, non indubio diſcrimine eorum antea frugifero perlectorum labore deponendi memoriam, priuſquam prolixæ lecturæ metas excurrant, ad finem pertingant. Hinc immenſi ſolatii rem eſſe conjeci, ſi unus non tanti pretii, & amplitudinis Codex enunciatis provideret incommodis; ex quo, in memoriæ ſubſidium, & eorum conſulendo egeſtati, quibus profeſſione, naturàve, nec Bibliothecæ ſuppetunt, neque ampla ſibi valent nanciſci papyra, queat brevis lecturæ labore hauriri eorumdem peritia, quæ vaſta Voluminum folia explicant, complectuntur, comprehendunt. Hunc excripſi, iſtum exibeo. Selectiora aperit, ſuperflua tacet. Satis inſtruit, non abundè; & plura, ſivè exſtincta, ſivè ſubſiſtentia, jura commemorat. Oceanum palmo velle concludere, inſanæ mentis rem eſſe, non inficior. Id egi: an rectè? Sum anceps. Rem ſubmitto judicio. Ex eo aliquas ebibi guttulas, at extra veritatis metas vnquam: moderata obinde dignus cenſura. Suſcepti laboris ſcopus, proponere fuit utilia, & ad rixarum vepres eradicandas perapta; &, ut verbis *Leonis X. Conſt. Dum intra, edita in Concilio Lateranenſi quinto*; Viros Regulares alloquar, ut Sanctiſſimos Eccleſiæ Prælatos *congruo bonore, & debita obſervantia venerentur*. En finis: Utinam ſit fructus; quem ſub Tuæ auctoritatis præſidio jam obtinuiſſe cenſeo. Vale.

Re-

Reverendiſſime Pater.

D*E mandato P. V. Reverendiſſimæ diligenter luſtravi Opuſculum, cujus titulus eſt* -- Officialis Curiæ Regularis, ad ſuæ Religionis jura optimè defendenda ſatis inſtructus -- *concinnatum ab Admodum R. P. Auguſtino Lucenſe, Ordinis noſtri Lectore Jubilato, noſtræque Romanæ Provinciæ Ex-Diffinitore, & in hac Alma Curia Romana Secretario Generali, ac reperi non modò nihil cenſurabile continere, verùm etiam uberrimè præſtare in medulla, quod promittit in cortice. Siquidem, ut ſcriba doctus, ſimilis eſt Patriſamilias, qui profert de Theſauro ſuo nova, & vetera, cùm tàm antiquiora, quàm recentiora monumenta ex decretis Sacrarum Congregationum fideliter exhibeat, quibus hujuſmodi Miniſtri commodè erudiantur. Quare, ſalvo meliori judicio, ac ſervatis ſervandis, fieri poſſe publici juris, cenſeo. Romæ ex Aracæli die 6. Aprilis Anno Jubilei Univerſalis* 1700.

Ego frater Jo: Antonius de Panormo Sac: Theologiæ Lector Jubilatus, ibidem ſtudiorum Præfectus, Scriptor Ordinis, Sac: Congregationis Indicis Conſultor, necnon S. R. & Univerſalis Inquiſitionis Qualificator &c.

OPus inſcriptum--*Officialis Curiæ Regularis ad ſuæ Religionis jura optimè defendenda ſatis inſtructus*-- ab Ad.R. P. F. Auguſtino Lucenſe, Ordinis noſtri Lectore Jubilato, hujus meæ Provinciæ Ex-Diffinitore, & in hac Alma Curia Romana Secretario Generali, non ſine uberrima animi voluptate, ac utilitate perlegi, ac de mandato Reverendiſſimi P. N. Matthæi à S. Stephano, Miniſtri Generalis, ſtudiosè admodùm, atque accuratè perlegi. Authorem ſuum liber omnino redolet copioſiſſimam Sacrorum Decretorum notitiam, ſanam doctrinam, indefeſſo labore, ac ſedula officii, quod gerit, opera comporatam, opportunè ingerens. Nihil in eo Catholicæ Pietati, puritati Fidei, morumque Sanctitati repugnans, comperi; adeoque prælò dignum judico, ad omnium Regularium, eorumque præcipuè, quibus Curialia Ordinum negotia commiſſa fuerint, utilem inſtructionem; In quorum fidem &c. Dat. Romæ ex Almo Conventu Sanctæ Mariæ de Aracæli hac die 6. Aprilis, Anno Jubilei 1700.

Ita cenſeo, ſalvo meliori judicio *Ego Frater Michael Angelus de Candia SS. Congregationum Indicis, & Rituum Conſultor, & Viſitationis Apoſtolicæ Votans: Apoſtolicus, & Cæſareus Concionator, & Diſcretus perpetuus Ordinis, & actualis Miniſter Provincialis &c.*

FR.

FR. MATTHÆUS
A' S. STEPHANO

Sacræ Theologiæ Lector Jubilatus, ac totius Ordinis S.P.N. Franciſci Miniſter Generalis, & ſervus.

CUm Librum, cui Titulus eſt--*Officialis Curiæ Regularis, ad ſuæ Religionis jura optimè defendenda ſatis inſtructus*-a R.P.F. Auguſtino Lucenſe, Ordinis noſtri Lectore Jubilato, hujus Romanæ Prov. de Obſervantia Ex-Diffinitore, & in hac Alma Curia Romana Secretario Generali elaboratum, duo ejuſdem Ordinis noſtri Theologi de mandato noſtro reviderint, Nobiſque ſcripto retulerint prælo dignum eſſe, utpotè nihil Catholicæ Fidei, morumque Sanctitati repugnantem, imò ſanam doctrinam redolentem, omnibuſquè Regularibus; apprimè verò, quibus Curialia Ordinum Negocia fuerint commiſſa, utilem, ac neceſſarium omninò eſſe; Ideò ut imprimi poſſit, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur, quantum noſtra intereſt, concedimus, & indulgemus. In quorum fidem præſentes propria manu ſubſcriptas, ac ſigillo majori Ordinis munitas dedimus. Romæ ex Aracæli die 6. Aprilis 1700.

Fr. Matthæus à S. Stephano Miniſter Generalis &c.

Loco ✝ Sigilli

De Mandato S. Reverendiſſimæ Paternitatis Fr. Sebaſtianus à Benevento, Secretarius generalis Ordinis.

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Domin. B. de Bellis Epiſc. Melphicten. Viceſgeren.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Ordin. Prædic. Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter.

IN-

INDEX TITVLORVM

CAPUT I.

Officialis quod ad Abbatiſſæ electionem.

CAP. II.

Officialis quo ad Abſolutionem à reſervatis Epiſcopo.

CAP. III.

Officialis quo ad approbationem ab Ordinario pro Secularium Confeſſionibus.

CAP. IV.

Officialis quo ad Benedictionem.

CAP. V.

Officialis quo ad Bona mobilia, & immobilia.

CAP. VI.

Officialis quo ad Celebrationem Miſſarum.

CAP. VII.

Officialis quo ad Clauſuram Monialium.

CAP. VIII.

Officialis quo ad Conciones.

CAP. IX.

Officialis quo ad Confeſſarium Monialium.

CAP. X.

Officialis quo ad Confraternitates.

CAP. XI.

Officialis quo ad Conſervatores.

CAP. XII.

Officialis quo ad Conventus.

CAP. XIII.

Officialis quo ad Delicta.

CAP. XIV.

Officialis quo ad Diæceſanam legem.

CAP. XV.

Officialis quo ad electionem Prælatorum.

CAP. XVI.

Officialis quo ad Exemptionem ab Ordinarii Juriſdictione.

CAP. XVII.

Officialis quo ad Exequias.

CAP. XVIII.

Officialis quo ad Feſtos dies.

CAP.

CAP. XIX.
Officialis quo ad Indulgentiis.
CAP. XX.
Officialis quo ad Interdictum.
CAP. XXI.
Officialis quo ad Legata.
CAP. XXII.
Officialis quo ad literas S. Pœnitentiariæ.
CAP. XXIII.
Officialis quo ad Ordines Sacros.
CAP. XXIV.
Officialis quo ad pœnas Eccleſiaſticas.
CAP. XXV.
Officialis quo ad Privilegia.
CAP. XXVI.
Officialis quo ad Proceſſiones.
CAP. XXVII.
Officialis quo ad Profeſſionem.
CAP. XXVIII.
Officialis quo ad Quartam funeralem.
CAP. XXIX.
Officialis quo ad Sacramentorum adminiſtrationem.
CAP. XXX.
Officialis quo ad Sepulturas.
CAP. XXXI.
Officialis quo ad Syndicum Apoſtolicum.
CAP. ULTIMUM.
Officialis quo ad Tertiarios.

OFFICIALIS CURIÆ REGULARIS.

CAPUT PRIMUM.

Officialis quoad Abbatiſſæ Electionem.

SUMMARIUM.

1 *Abbatiſſa eligitur per vota ſecreta.*
2 *Secreto non officit aſſiſtentia adnotantium ſuffragia.*
3 *Nulla eſt Electio, ſi unius ſuffragium non ſecretò reddatur.*
4 *Clauſula Decreti irritantis actum contra ejus tenorem factum annullat.*
4 *Decretum irritans, etiam ignorantes, ligat.*
6 *Electio non ſecreta per ignorantiam non ſuſtinetur.*
7 *Annus quadrageſimus debet eſſe completus.*
8 *Eligi poteſt trigenaria.*
9 *Poteſt fieri per ſchedulas, & oretenùs.*
10 *Major pars Capituli ſufficit.*
11 *Supra Medietatem ſat eſt quilibet exceſſus; & erit ſanior.*
12 *Electa triennium officii non poteſt excedere, & triennio debet vacare.* Vide *num.* 24.
13 *Superior non ſuffragatur in electione.*
14 *Voce activa caret Tertia Soror, & quoad Converſas conſuetudo ſervatur.*
15 *Cum Prælata Regulari poteſt Ordinarius intereſſe.*
16 *Vota recipiuntur à Superiore Regulari.*
17 *Non adnotantur nec ab Epiſcopo, Notario, vel Cancellario.*
18 *Non competit Ordinario jus confirmandi Abbatiſſam.*
19 *Nec poteſt publicare electionem.*
20 *Confirmationibus annualibus non intervenit.*
21 *Illegitima eſt ineligibilis: Tertia Soror, pœnitentiata, & Vidua.*
22 *In eligenda profeſſio tacita non ſufficit.*
23 *Quibus profeſſio tacita probetur.*
24 . . . . . .

IN Abbatiſſarum electione, ſicut, & cæterorum Su-
periorum, ea in praxi ſunt obſervanda, quæ *Triden.*
ſeſſ.25.cap.6.de Regul. expreſsè, ut infrà diſponit:---
In electione ſuperiorum quorūcumque &c., & Ab-
batiſſarum, ac aliarum Præpoſitarum, quo omnia
rectè, & ſine ulla fraude fiant, in primis Sancta Synodus
1 districtè præcipit omnes ſupradictos eligi debere per vota ſe-
creta; ità ut ſingulorum eligentium nomina nunquam pu-
blicentur: -- Et infrà: -- Si verò contra hujus Decreti conſti-
tutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit. -- Ex qui-
bus liquet Concilium ea ſtatuere, quæ ad id conducunt, ut
electiones ſint liberæ. Quippè liberiùs quiſque profert, quod
in Conſcientia ſentit, ſi de ſecreto non dubitet: & faciliùs vi-
tantur incommoda, quæ è publicatione poſſent in Monaſte-
riis, propter neceſſitatem ſimul vivendi, oriri, ex obſervatis
ab *Engel. Colleg. univerſi Juris Can. lib.1.tit. de Electione n.35.*

Nec ſecreto Electionis officit aſſumere duos probatos,pru-
2 denteſque viros, qui eligentium ſuffragia audiant, & notent:
quia prętterquam quod id non facit, quin electio ſit ipſis Moni-
alibus ſecreta, prout notat etiam *Pellizarius de Monialibus c.*
10.*ſeſſ.* 2.*ſub ſect.* 1. *quæſt.* 10. *n.* 99. iiſdem inhibetur eligen-
tium nomina publicare. Et ſunt neceſſariò adhibendi, ut de
electionis validitate ſint teſtes, & ſine fraude, & dolo contigiſ-
ſe ſciant.

3 Officeret tamen, ſi una ex ſuffragantibus voce intelligi-
bili, & alta ſuffragium redderet Præſidi ſic, ut quæ magis eſ-
ſent propinquæ, cui eſſet datum, audirent; Etenim in caſu
ſecreta, nec diceretur, nec eſſet; bene verò nulla. Quod, at-
tento Decreto irritanti ibidem appoſito,dubium non eſt. Cum
4 clauſula Decreti irritantis ipſo jure actum contra ipſius teno-
rem geſtum annullet ex gloſſa in Clementina, *Cum ei de Con-*
ceſſ.præben. lib. 3. *tit.* 3. *Verbo præſupponendum*. Et firmant
Doctores apud *Sperell. deciſ.* 161. addentes nec vigore conſue-
tudinis ſubſtineri electionem alitèr factam, quia, ut ipſe no-
tavit, Decretum irritans omnem tollit conſuetudinem in con-
trarium, etiam futuram. *Vide cap.Offic. quoad electionem Præ-*
lat. num. 19.

Imò eodem ex aliis ſuſtinet formam ſubſtantialem indu-

ci:

ci: hinc notandum eſt, quod licet ex ommiſſione eorum, quæ ſunt de ſolemnitate non ſubſtantiali, electio ipſo jure non irritetur, ſed annullanda reddatur: oppoſitum ſequitur in eorum defectu, quæ ſunt de ipſius ſubſtantia.

Nec favet electioni, quod Monialis ex errore, & Juris ignorantia (quæ per DD. tàm in Muliere, quàm in minori præſupponitur) votum reddiderit, quia *ex cap. quodam de præben. in 6. lib. 3. tit. 4.* & ibi gloſſa, *& cap. quia Cunctis de Conceſſ.*
5 *præbend.*, *Item in 6. eodem lib. tit. 7.* Decretum irritans etiam ignorantes ligat. Et patet ex Clauſula, quæ ſæpè in Pontificiis Conſtitutionibus apponitur, ut ſequitur: – Irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcientèr, vel ignorantèr contigerit attentari. -- Et in terminis decrevit S. Congregatio Concilii apud *Sperell. loc. cit. n:34.* ut infra:
6 -- Electio Abbatiſſæ facta per vota non ſecreta per ignorantiã hujus Decreti, (*nempè cap. 6. ſeſſ. 25. de Regul:*) – Non valet, nec Epiſcopus poteſt diſpenſare, ut valeat: Sanctiſſimus tamen diſpenſat conſideratis circumſtantiis.

Eligendarum qualitates, & ætas, habentur ejuſdem *ſeſſ. cap. 7.* -- Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocumque alio nomine Præfecta, vel Præpoſita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt profeſſionem laudabilitèr vixerit.

7 Annus quadrageſimus debet eſſe completus, ut firmat S. C.C. in una *Neapolitana ſub die* 24. *Septemb.* 1678. *lib.* 30. *Decret. fol.* Rationem affert *Pignatt. tom.* 10. *conſult.* 11. *nu.* 50. etenim per Concil. non debet eſſe minor quadraginta annis, eſſet autem minor, niſi annum quadrageſimum expleviſſet; nam ille eſt major quadraginta annis, qui quadrageſimum annum complevit; eſſe enim majorem tali anno, dicit eſſe ſupra eundem, ipſumque excedere: & qui non excedit, nec major eſt; Et cum Major opponatur Minori, certè ille minor erit, qui annum quadrageſimum non compleverit; Et ideò, ne ſit minor, debet eſſe major annis quadraginta. Verùm in hoc attenduntur ſententiæ, non conſequentiæ.

8 Si verò non ſit in Monaſterio quadragenaria: -- Ex iis, *ſubdit Concil.* quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente eligatur. --

Quòd ſi nec etiàm hujus ætatis reperiretur, poſtulanda eſſet à Sede Apoſtolica.

In loco patenti, & extra Clauſuram fiat, *ex eodem cap.* -- is verò, qui Electioni præeſt, Epiſcopus, ſivè alius Superior, Clauſuram Monaſterii non ingrediatur, ſed ante Cancellorum Feneſtellam Vota ſingularum audiat, vel accipiat. --
9 Per disjunctivam *Audiat*, vel *Accipiat*, datur libertas, ut electio fiat, vel per ſchedulas, quæ continentur in verbo *Accipiat*; vel oretenùs, quod continetur in verbo *Audiat*.

-- In Reliquis, *& caput concludit*, ſerventur ſingulorum Ordinum, vel Monaſteriorum Conſtitutiones: -- Conſtitutiones autem Minorum de Obſervantia *cap.* 11. §. 9. deſumptæ ex Vallis 1593. *tit. de Monaſterii Præfecta*, plura ad caſum ſpectantia præſcribunt: -- Ut quod electiones non fiant per Schedulas, ſed oretenùs, & quod illa cenſeatur ritè, & canonicè electa, cui major pars Capituli Monialium acceſſerit. (Et alia.) Quod in terminis electionis Abbatiſſarum Ord. S. Claræ Nicolaus V. 9. *Martii* 1447. *apud Confectium collect. pri-*
10 *vileg. Mendicantium Conſt. digna reddimur*: diſpoſuit, ut infrà: -- quæ Abbatiſſarum Electiones, ſi à majori parte earum numero dumtaxat factæ fuerint, canonicæ cenſeantur. -- Ità quod ſi Moniales ſint viginti, undecim debeant concurrere in perſonam Monialis electæ.

11 Supra medietatem ſufficit quilibet exceſſus, etiam medii voti: ità ut ſi ſint undecim, ſex ſint ſatis per *Santoro ſuper ſtat. S.Franciſci cap.* 8. *ſtatut.*2. *pag.mihi* 555. quippe medietas cum illo exceſſu, verè diceretur pars major: imò & ſanior, cum ex *Pelliz.num.*100. ſemper major pars præſumatur ſanior, ſi perſona electa non ſit indigna: adeoque juſtior, & majori juſtitiæ, & æquitati innixa.

Triennium Præfecturæ non debent excedere, ad tenorem Conſt.Greg.XIII. apud *Confectium ibidem, die* 1.*Jan.*1583. Incipit *expoſcit debitum &c.* & infrà: -- Abbatiſſæ, aut aliæ Præfectæ non ampliùs perpetuæ, ſeù ad vitam, ſed triennales tantùm, à Conventu cujuſcumque Monaſterii juxta decreta Sac. Concil.Trident., & Regularium ſuorum Ordinum inſtituta, eligantur, & præficiantur; quæ poſtmodum, elapſo triennio, ſuis officiis perſunctæ, præeſſe deſinant, omnique prorsùs careant auctoritate, ac à Regimine, & adminiſtratione Monaſte-

rii

rii per triennium, à die finitæ adminiſtrationis inchoandum, abſtineant: quo elapſo, ſervata eadem forma Concil. Trident. iterum, & pluries eligi poſſint.

Quod inviolabilitèr, & perpetuò in futurum obſervari præcepit, (& iterum ſtatuit) Sixtus V.Conſt. *Et Communis cura*: Apud *Roderico Collect. privileg. pag.*494. *& regeſtum* 2. *Ciſmont. ab anno* 1587. *ad* 1607. *pag.*12. ab iis curæ Fratrum Minorum de Obſer. commiſſis, ut ſequitur: -- Abbatiſſæ, vel aliæ Præfectæ quorumcumque Monaſteriorum Monialium ipſorum Fratrum curæ commiſſarum, ad ſummum triennales ſint, & ſuis officiis, elapſo triennio, perfunctæ &c. Sed ſaltem per integrum triennium à die finiti ſui officii adminiſtrationis numerandum; nullum Abbatiſſatus, ſeù præfecturæ Monaſteriorum, aut aliud officium, neque aliquam poteſtatem, vel auctoritatem in eis obtinere, vel exercere poſſint, aut debeant. --

13 Sic Monialibus in hujuſmodi electionibus competit ſuffragari, ut ipſarum Superiores ad id jus non habeant, ex S. C. C.23.*Maji* 1621.Lant. verbo *Abbatis num.*4.

14 Voce electiva caret tertia ſoror germana ex S.C.Ep. 26.*Auguſt.* 1616.Lant. verbo *Monialis*; Et ubi eſt conſuetudo, quod Converſæ ad vocem activam, vel paſſivam non admittantur, eſt ſervanda, Nicol.floſ.verbo Converſus ex S.C.*n.*20.

15 Cum Prælato Regulari poteſt electioni Abbatiſſæ Monaſterii exempti intereſſe Ordinarius per ſe, vel per alium, non alios, juxtà diſpoſitionem celebris Conſtit. Greg.XV. *Inſcrutabili Bull.Cherub.tom.*3.*pag.*402. ubi: -- Ac ſimilitèr poſſit Epiſcopus una cum Superioribus Regularibus quarumcumque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorundem Monaſteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, & præſidere. -- Ideo eſt Ordinario dies electionis ſignificandus, ipſeque expectandus, ſi ipſe expreſsè declaraverit, vel per ſe, vel per alium, velle intereſſe; adeout poſſit in regulares animadvertere, ſi ante tempus ſignificatum ad electionem procedant ex S.C.C. ad dubia ſuper alleg.Conſt. eidem propoſita, ut in Bull.loco citato. Et eo nolente accedere, facta, ſubſtinetur, ut valida, quia in Conſtitutione Gregorii non apponitnr decretum irritans. Pignatell. *tom.*8. *Conſul.*120. *Paſqual. ad Laur. de Franchis par.*1. *ſub num.*33.

Cæ-

Cæterùm illud *præſidere* Ordinario non confert juriſdictionem aliquam, & ſuperioritatem in electionem, vel Moniales exemptas eligentes. Quia ex eo non habet poſſe exquirere,
16 aut vota Monialium recipere, ſed exquirenda, & recipienda eſſe à ſuperiori regulari privativè quoad Epiſcopum, eodem tamen ſciente, & audiente, firmat *S.C.C.* 10. *Septembris* 1650. *apud eundem Lant. num.*2.

17 Neque adnotare vota juxta Sac.Cong.Ep.& Reg.declarationem, tenoris, qui ſequitur -- Sac.Congr.&c. inhærendo declarationi aliàs die 18.*Martii* factæ, iterum cenſuit, & declaravit in electionibus Abbatiſſarum in Monaſteriis Regularibus ſubjectis, adnotationem ſuffragiorum, non pertinere neque ad Epiſcopum, neque ad ejus Vicarium, prout neque ad Cancellarium 19. Junii 1671.

18 Nec minus habet jus electas Abbatiſſas confirmandi ex S.C.C.apud *Fagn. de Privileg. cap. cum Cappella pag.*63. *ad dubium* 5. eidem, occaſione Bullæ Greg., propoſitum: quo quærebatur; -- an per eamdem Conſtitutionem in illis verbis poſſit Epiſcopus unà cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatiſſarum &c. electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere, jus Abbatiſſas confirmandi Epiſcopis attributum cenſeatur; *Reſpondit* jus confirmandi Abbatiſſas minimè fuiſſe Epiſcopis per Conſtitutionem attributum.-- Et, ſicut cum aliis notat *Laiman. Q.Q. Can. cap. ultimo quæſt.*234. confirmanda eſt à ſuperiore regulari, utpote Prælato immediato; &
19 ex eo poteſt inferri ad eumdem Ordinarium non ſpectare electionem publicare, verum eſt ſervanda conſuetudo.

20 Quoad verò confirmationes exemptarum Abbatiſſarum, quæ quolibet anno à Superiore Regulari, vel ejus Delegato fiunt, quoad intereſſentiam Ordinarii, debet obſervari ſolitum, ut diſponit S.C.Ep.& Reg. *ſub die* 15. *Maji* 1671. *in una Brixien. Lant. ſupplem. verb. elect. Abbatiſ. num.*3.

Præſidere igitur in caſu præter nudam præſentiam, & intereſſentiam, infert ordinationem, & directionem, ut electio quietè, & ſine ſtrepitu concludatur, & abſque ulla violentia, vel defectu contingat, ut ex aliis notavit *Sanctor. loc. cit. pag. mihi* 841.

21 Eſt in Abbatiſſam ineligibilis illegitima; ejuſque electio, ſi abſque Apoſtolico indulto contingat, nulla à S. C. C. declaratur

ratur in una *Nullius* 27. *Aprilis* 1630. *lib.*14. *Decr.* *fol.*278. -- Circumſcriptis Privilegiis Apoſtolicis, ſi quæ fuerint Religioni conceſſa, cenſuit electionem Monialis illegitimæ in Abbatiſſam abſque diſpenſatione Apoſtolica eſſe irritam. Item tertia ſoror germana: Sac. Cong. apud *Lantus. Verb. Monialis num.* 4. & publicè pænitentiata, *S.Cong.* 3. *Octobris* 1636. *Floſc. Nicol. verb. Abbatiſſa num.*8. niſi pęnitentia fuerit ſalutaris; ubi *num.*5. *ex S.Cong.*26. *Aprilis* 1652. refert obſervandum eſſe ſtatutum, ſi alicubi haberetur, quod ſoror non poſſit ſuccedere ſorori in officio Abbatiſſatus; & Vidua, præterquam inter convertitas, *Sac. Congr.*28. *Februarii* 1614. *idem verb. vidua num.* 6.

Ad poſſe activè eligere non requiritur expreſſa profeſſio,
22 prout eſt neceſſaria in eligenda, ſed tacita ſufficit, ut expreſſè habetur *cap. indemnitatibus de electione in 6. lib.* 1. *tit.* 6.

Tacita autem profeſſio concludentèr probatur ex iis; Pri-
23 mò, ut actus, per quos ſit inducenda, fiant auctoritate, & conſenſu Superioris, qui Monialem ad profeſſionem poteſt admittere: Secundò, ut ſpontanea, & libera voluntate fiant. Tertio, ut ſcientèr fiant ſic, ut ipſa ſciat, dictos actus ſolis Profeſſis convenire. Quartò, ut iis actibus utens verum propoſitum profitendi habeat. Ultimo, ut annum ſextum decimum exceſſerit; ut tradit *Sperellus ibid. num.* 42. *ex Miranda Manual. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 24. *art.* 7. *concluſ.* 2.

24 In caſu, quo duæ ſint in votis æquales, nova erit electio inſtituenda; & tunc donec nova Abbatiſſa eligatur, poterit altera, quæ triennium abſolverit, ſub titulo Præſidentis, vel alio, Monaſterium regere; *ex Peliz. cap.* 8. *quæſt.* 43. *num.*59. *& Mirand. de Monial. qu.* 7. *art.* 9. *concl.* 2. exponente Gregorium, & Sixtum; quorum intentio fuit perpetuitatem excludere, & ambitioſas corrigere, & ideò firmarunt nullam poſſe in Monaſterio abſoluto officio Prælaturæ aliud Officium ad triennium obtinere, niſi interſtitio triennii interpoſito. Videatur *Santor. cap.*11. *ſtat.*7. *pag. mihi* 843.

CA-

CAPUT II.

Officialis quoad Abſolutionem à reſervatis Epiſcopo.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit caſus reſervare.*
2 *Actus reſervationis eſt localis.*
3 *Poſſunt Regulares abſolvere ſeculares à reſervatis in alia Diæceſi.*
4 *Non verò à Cenſura in ea reſervata.*
5 *Ex vi ſuorum Privilegiorum non poſſunt abſolvere à caſibus reſervatis Epiſcopo Diæceſano, ſine ejus licentia.*
6 *Neque id poſſunt poſt confirmationes ſuorum Privilegiorum.*
7 *Non poſſunt abſolvere ſeculares à caſibus Bullæ Cænæ, & Sedi Apoſtolicæ reſervatis.*
8 *Numerantur caſus reſervati, compræhenſi in Decreto Sacræ Congregationis edito* 1602.
9 *Ligantur Regulares etiam extra Italiam.*
10 *In articulo mortis nulla eſt reſervatio.*
11 *Quilibet Sacerdos poteſt in articulo mortis à reſervatis abſolvere.*
12 *Abſolutus in mortis articulo à cenſura reſervata, ſi evadat periculum, tenetur comparere coram Superiore, qui eam tulit.*

1 Reſervare caſus aliud non eſt, quàm juriſdictionem inferiorum Sacerdotum reſtringere, ſeù limitare. Accipitur utique in Sacerdotali Ordinatione poteſtas, ſeu juriſdictio abſolvendi à peccatis, at ſolùm in habitu, ſeu actu primo; quia non dat ordinatio ſubditos, in quos poſſit collata poteſtas exerceri; & ſolum illius exequtio, vel juriſdictio, in actu ſecundo obtinetur, cùm Eccleſia per ſuos Prælatos conſignat Sacerdoti ſubditos, in quos judiciariam exerceat poteſtatem; & id fit, vel per collationem Parochialis beneficii, vel per approbationem ad confeſſiones audiendas; quæ approbatio nil eſt aliud, quàm admiſſio, ſeu ſignificatio conſenſus Prælati, ut Sacerdos

dos in foro pœnitentiali abſolvat, & quidem plenariè, niſi aliquos caſus excipiat, & ſuo judicio reſervet. Unde quibus prohibetur abſolvere à caſibus reſervatis, id ſit non ex defectu poteſtatis Ordinis, ſed ex ordinatione canonica exercitium juriſdictionis reſtringente.

2 Cum reſervationis actus ſit localis, & reſtrictus ad ſuam cujuſcunque Epiſcopi Diœceſim, ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de *caſuum reſervatione*, non afficit Regulares, ad audiendas ſecularium confeſſiones approbatos, exiſtentes extra Diœceſim Epiſcopi reſervantis; & ideo poſſe in ea Pœnitentem abſolvere à caſibus, in alia Diœceſi dumtaxat reſervatis, non eſt dubium: imo certum, ex Conſt. ſuperna Clem. X. *ſub Kal. Julii* 1670. Decernentis expreſsè: -- Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi, à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa,

3 ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe. -- Propter rationem, quod nullus Epiſcopus, etiam quoad ſuos ſubditos, poteſt limitare juriſdictionem Sacerdotis ſibi non ſubditi.

4 Non eſt tamen par ratio de caſu reſervato, & excõmunicatione reſervata; ab illo poteſt Confeſſarius Regularis abſolvere, quia reſervatio, nec fertur in pœnitentem, nec afficit Regulares Confeſſarios in alia, ab ejuſdem Epiſcopi reſervantis, Diœceſi exiſtentes; conſequenter, quoad abſolutionem à reſervatis in ea Diœceſi, eorumdem nequit limitare juriſdictionem; excommunicatio verò fertur in perſonam v. g. laicam, ejuſque Animam ligat, quæ in aliena Diœceſi (nec etiam ab hujus Epiſcopo) tolli poteſt; non ob defectum juriſdictionis in Confeſſore Regulari in ea approbato, ſed ob impedimentum in perſona excomunicati repertum, quod reddit illam incapacem abſolutionis à cenſura ab omni alio, quàm ab Epiſcopo, qui ſententiam tulit. *Fagn. cap. Omnis de Pænit. & Remiſs. pag.* 33. *num.* 80. & 81.

5 Verùm nequeunt Regulares in aliqua Diœceſi ad Confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas approbati, virtute ſuorum Privilegiorum, & non obtenta ad id ab Epiſcopo facultate, abſolvere Pœnitentes à caſibus, Epiſcopo illius Diœceſis reſervatis; ut liquet ex reſponſione Sacræ Cong. facta

Divo Carolo Borromeo *ſub die* 10. *Septembris* 1577. hujus tenoris: -- Cum à S.C.Cardinalium, qui propoſiti ſunt Decretis Tridentini Conc. interpretandis, Illuſtriſ. Amp. tua quæſiverit: an Regulares ex privilegio à Sede Apoſtolica impetrato, præſertim autem ex eo, quod nominant Mare magnum, poſſint in caſibus, quos ſibi Epiſcopus reſervaverit, abſolvere confitentes? Hac de re ubi Congregatio accuratè egiſſet, deinde ad SS.D.N.retuliſſet, Sanctitas Sua, etiam de ſententia Congregationis, cenſuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliave privilegia Regularibus conceſſa, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus, ſibi ab Epiſcopo reſervatis.

Succeſſit deinde Decretum Alex.VII. damnantis *ſub die* 24.*Septembris* 1665. iſtam Propoſitionem: -- Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.--*Et poſtea Conſtitntio citata Clem.X.*Ex facultatibus per Mare magnum, aliave priuilegia Regularibus cujuſcunque Ordinis,Inſtituti,aut Societatis, etiam Jeſu, conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus, ab Epiſcopo ſibi reſervatis;& quod hęc ipſis non ſuffragari jam acceptorũ Privilegiorum confirmationes, per hęc verba teſtatur: -- Et per confirmationes dictorum Privilegiorum, quas Regu-
6 lares, à Sede Apoſtolica poſt Sac. Conc. Trid. obtinuerunt, nequaquam revixiſſe Privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde, Apoſtolicis etiam Decretis, ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis.

7 Præter caſus Epiſcopo reſervatos, inhibetur Regularibus abſolvere ſeculares à caſibus Bullæ Cœnæ, & Sedi Apoſtolicæ reſervatis.

Et ut clarius appareret, quorum caſuum, vigore Decreti à S.Cong.Epiſ. & Reg. editi 9.*Januar.*1601. eſſet abſolutio, tùm Secularibus, tùm Regularibus Confeſſariis prohibita, in alio Decreto emanato 26.*Novembris* 1602. eadem S.C.de mandato Clem: VIII. declaravit -- ſub ea prohibitione, vigore illius Decreti, illos tantùm impoſterum comprehendi caſus, qui in Bulla, die Cœnæ Domini legi conſueta, continentur; ac præterea violationis Immunitatis Eccleſiaſticæ, in terminis Conſtitutionis *Gregorii XIII.*: Inicientium vio-

violentas manus in Clericos, juxta Canonem *ſi quis ſuadente*: Simonię realis ſcienter contractæ, atque confidentiæ beneficialis: Violationis clauſuræ Monialium ad malum finem: Provocantium, & pugnantium in duello: & caſus omnes, quos Ordinarii locorum ſibi reſervaverunt, vel impoſterum reſervabunt. -- Videas *Piaſecum Prax. Epiſ.part.2. cap.1. art.3. de caſ.reſ.num.*1.per extenſum ea Decreta referentem. *Et Donat. tom.2.prax.Reg.tract.*11.*quæſt.*17.

Et licet ea Decreta ad ſolos Italos, exiſtentes extra Urbem, videantur reſtricta, ut ex primo conſtare poteſt; non deſunt tamen jura Regulares omnes, ubique locorum exiſtentes, ligantia. Pro reſervatis Epiſcopo ſufficiant adducta ſuperius;
9 rius; & pro aliis Bullæ Cœnæ, additur etiam ejuſdem tenor: *Nullus per alium, quàm per Rom.Pontificem, niſi in articulo mortis conſtitutus, abſolvi poſſit*. Appoſitis clauſulis, *non obſtantibus &c.*quibus excludere intendit,omnes præter Pontificem.

Omnes item, ab impendenda extra articulum mortis abſolutione à reſervatis, tùm Sanctæ Sedi, tum Epiſcopis, Trid.*loc.cit.de reſervatione in fine capitis* excludit: -- extra quem articulum, ait, Sacerdotes cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis acce-
10 dant. -- *Et ſicut ipſo eodem capite ſtatuit*:In Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuiſſe, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis,
11 atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt; -- Sic extra illum articulum non omnes poſſunt ab omnibus: ſed à reſervatis illi dumtaxat, quibus à Sede Apoſtolica, vel Ordinariis locorum reſpectivè,eſt conceſſa facultas.

Verum de eo in mortis articulo à reſervatis, quibus eſſet annexa cenſura reſervatæ excomunicationis,& à cenſura ipſa, abſoluto, dicendum eſt cum *Engell.lib.*5.*titul.*39.§.4.*num.*115. *colleg. univ. Jur. can. & ſumm. Leand. verb.caſus reſer. num.*43. quod ſi periculum evadat, teneatur coram Superiore cenſu-
12 ram ferente comparere, ut pro cenſura, & culpa patrata ſatiſfactionem præſtet, & ab eo, etiam in foro externo, abſolutionem impetret;nam illa abſolutio,à privato Sacerdote obtenta, valet ſolùm pro foro animæ, & non poteſt juri Epiſcopi, & foro externo præjudicare; alioquin, ſi ceſſante periculo Epiſco-

po, vel Papæ, ſe non præſentaret, ubi commodè poſſet, in cenſuram ipſo jure reincideret.

Quid autem, quoad Sedi Apoſtolicæ reſervata, poſſint Regularium Superiores in proprios ſubditos, alibi dicendum.

CAPUT III.

Officialis quoad approbationem ab Ordinario pro Secularium Confeſſionibus.

SUMMARIUM.

1 *Eſt neceſſaria per Trid. Regularibus pro ſecularium Confeſſionibus approbatio Ordinarii.*

2 *Quod & plures Summi Pontifices decreverunt.*

3 *Etiam Lectores, & Magiſtri in Theologia debent approbari.*

4 *Non ſufficit ſe præſentare Epiſcopo.*

5 *Qui regulari iniuſtè reprobato confitetur, non ſatisfacit præcepto annuæ confeſſionis.*

6 *Approbatus in una Diœceſi debet in alia approbari.*

7 *Exiſtens in una Diœceſi nequit Confeſſiones audire illorum, qui ſunt ſubditi Epiſcopo alterius Diœceſis, à quo approbationem accepit, niſi in ea approbetur.*

8 *In Diœceſi, in qua Regulares ſunt approbati, poſſunt omnium ad illam confluentium Confeſſiones audire.*

9 *Regulares habent jurisdictionem à Papa.*

10 *Generaliter idonei reperti debent ſine limitatione temporis, & perſonarum, approbari.*

11 *Licentiæ generaliter conceſſæ ab eodem Epiſcopo quomodo revocari non poſſint?*

12 *Et quid, ſi eas conceſſerint Epiſcopi anteceſſores, & Vicarii generales.*

13 *Ex cauſa revocari poſſunt.*

14 *Non tamen ab omnibus Regularibus unius Conventus ſine Sanctæ Sedis aſſenſu.*

15 *Succeſſor Epiſcopus poteſt examinare approbatos ab anteceſſore.*

16 *Debent ſaltim approbari à Vicario generali.*

17 *Sententia, quod facultates Regularibus conceſſæ non poſſint à Capitulo revocari.*

18 *Pro-*

18 *Probabilius eſt, quod poſſint.*
19 *Sine approbatione Ordinarii non poſſunt Regulares audire confeſſiones eorum, qui de tertio Ordine dicuntur.*
20 *Benè verò eorum, qui dicuntur eorum Commenſales.*
21 *Non autem illorum, qui ſolùm Monaſterio inſerviunt.*
22 *Qui dicantur Regularium Commenſales?*
23 *Venialia non poſſunt à Regulari non apqrobato in Confeſſione audiri.*
24 *An Regularis extra ordinem confiteri poſſit? Et cui?*

1 QUamvis, ut ſtatuit *Trid. ſeſſ.23. cap.15. de reform.* -- Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; decernit tamen ſancta Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe Confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi, aut Parochiale beneficium;aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur obtineat; privilegiis, & conſuetudine quacunque, etiam immemorabili,non obſtantibus. -- Qua clauſula expreſsè derogatur Privilegiis Regularium, quibus eis eſſet conceſſum, poſſe abſque prævia approbatione Epiſcopi ſecularium confeſſiones audire.

2 Quod ante Trid. firmavit Leo X. *ſub die* 9. *Decembris* 1516. Conſt.*Dum intra mentis*, edita in Conc. Later. Confect. *Collect.Privil.Regul. Ord. Mend.* & poſt, Gregorius XV.*Conſt. Inſcrutabili.* Urbanus autem VIII.*ſub die* 12. *Septembris* 1628. *Conſt.Cum ſicut accepimus*,revocat quaſcunque facultates ad audiendas ſecularium confeſſionos Regularibus conceſſas, ita,ut nullis,ſive Superioribus, ſive ſubditis, etiam Societatis Jeſu,ad id ſuffragari poſſint *Piaſec. prax.Epiſcop.par.2. cap.1. artic.2. & Bullar. Cherubin. tomo* 4. Deinde anno 1648. *ſub die* 14. *Maii conſtitut. Cum ſicut* Innocen.X. confirmavit Decretum Sac.Congr.cui committebatur examen ſuper ortis controverſiis inter Epiſcopum Angelopolitanum, & PP.Societatis Provinciæ Mexicanæ, quæ cenſuit: -- Prædictos Religioſos, nequaquam poſſe in Civitate Angelopolitana confeſſiones ſecularium audire ſine approbatione Epiſcopi Diæceſani *Bull. Cher.pag.* 284.

3 Hujuſmodi ab Ordinario approbationem eſſe neceſſariam, etiam in Sacræ Theologiæ Magiſtris, & Lectoribus, ſanxit apud *Confeſſ. cit. Pius V. ſub* 8. *Idus Auguſti* 1571. *Conſt. Romani Pontificis*, in qua poſt alia hæc ſubdit: -- Nos ſuper his pro debito Paſtoralis officii, prout tenemur, ſalubriter providere volentes, tenore præſentium, hac noſtra Conſtitutione perpetua ſancimus, decernimus, & declaramus, Decretum Concilii Tridentini de approbatione Regularium, audiendis Confeſſionibus Secularium, præpoſitorum, ab Epiſcopis facienda, obſervari debere, etiam in omnibus Regularibus quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, etiam ſub Regulari diſciplina viventibus, etiam ſi ſint Lectores, aut in Theologia, etiam de Superiorum ſuorum licentia, graduati, vel promoti, vel à ſuis Magiſtris Generalibus, vel Provincialibus Miniſtris Secularium Confeſſionibus audiendis expoſiti --. Et cùm hæc Conſtitutio ſit poſterior ea, quam idem in ampliſſimum Mendicantium favorem edidit anno 1567. eidem certè derogat, ſicut poſteriores leges prioribus, quibus opponuntur, derogare ſolent, eaſque antiquare *Cabaſs. prax. Jur. Can. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 3.

4 Nec ſufficit ſe præſentare Epiſcopo, verùm etiam debet quis ab ipſo approbari, & approbationem obtinere, ut in terminis Trid.; idque adeò neceſſario, ut de eo, qui Regulari Epiſcopo præſentato, & ab eo non approbato, confitetur, ſit certum præcepto annuæ confeſſionis non ſatisfacere, ut decrevit *Alex. VII.* 14. *Septembris* 1665. hanc damnans Propoſi-
5 tionem: -- Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato. --

6 Nequit Regularis in una Diœceſi approbatus ex vi illius approbationis, Secularium confeſſiones in alia Diœceſi audire, ut habet citata Conſtitutio *Innoc. X.* — ad quæſitum verò, utrum Regulares quicunque, etiam Societatis Jeſu, poſſint adminiſtrare Secularibus Sacramentum pœnitentiæ abſque licentia Epiſcopi Diœceſani, etiam ſi ipſi Regulares in aliena Diœceſi approbati ſint? Reſpondit S. Cong. Regulares, etiam Societatis Jeſu, in una Diœceſi ab Epiſcopo approbatos ad ſecularium Confeſſiones audiendas, nequaquam poſſe in alia Diœceſi ejuſmodi confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi Diœceſani.

7 Etiam

7 Etiam ſi Pœnitentes eſſent ſubditi illius Epiſcopi, à quo fuerunt Regulares approbati, quod *Clemens X.* 11. *Kal. Julii* 1670. *Conſt. ſuperna Patris familias ſic decrevit* — ad hæc Religioſos ab Epiſcopo ad confeſſiones ſecularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerant approbati. —

8 Verùm in Diœceſi, in qua ſunt approbati, poſſunt omnium ex aliis Diœceſibus ad eam confluentium ſecularium confeſſiones audire; & eſſe à Sacr. Congr. Conc. determinatum, teſtatur *Fagnan. cap. Omnis de pęnitentia, & remiſſione*: cum, ut ipſe ſcribit, Regulares habeant ex Clementina *dudum de ſepulturis*, ex annotatione Gloſſæ, juriſdictionem à
9 Papa; cujus juriſdictio ad alicujus Territorii limites non reſtringitur *capite cum multa per mundum*, ſed univerſus Orbis eſt ſua Diœceſis. Eorumque juriſdictio, cum antecedenter ad approbationem ſit per Tridentinum ſuſpenſa, approbatione accedente, & ejuſdem juriſdictionis poteſtas relaxatur: & ita, ut ſi Epiſcopus idoneum ſimpliciter Regularem invenerit, illum ſimpliciter, abſque ulla temporis, loci, ſeu perſonarum limitatione indiſtinctè apprabare, & admittere debeat. *Confect. Sum. Mat. Privileg. Ord. Mend. tit.* 17. *cap.* 4. Addens, quod ſic admiſſus poſſit, etiam ſecularium aliarum Diœceſum, in Diœceſi, in qua eſt approbatus, confeſſiones audire; ad quod facit *Decretum S. C. Regul. editum ſub die* 2. *Julii* 1587.
10 apud ipſum: — Regulares, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter ab Ordinariis, eorumve Examinatoribus, reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis perſonarum, admittantur in Diœceſi propria; de cæteris verò, qui non adeo idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinquitur, ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. -- Quod jam decreverat *Leo X. Conſt. Dum intra, citata, hac phraſi*: -- Ipſiq; Fratres (ſcilicet ab Epiſcopo approbati) etiam Forenſiũ confeſſiones audire valeant; Quibus id etiam competit poſt Bullam *Greg. XV. Inſcrutabili*, ut Sac. Cong. Conc. ad ſecundum Dubium, occaſione illius

inter

inter alia propoſitum, prout ſequitur, reſpondit: -- Hac in parte Conſtitutionem nihil novi juris induxiſſe, nec ullam novam authoritatem Epiſcopis in Regulares attribuiſſe; ideoque in vim ipſius Conſtitutionis non poſſe Epiſcopos Regularibus præſcribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum perſonarum confeſſiones audiant, vel aliàs illorum Privilegia in Sacramentis adminiſtrandis reſtringere, aut moderari. -- *Bull. Cherub. verb. Greg. XV. Fagnan. cap. cum Cappella pag. mihi* 64. *& lib.* 12. *Decr. fol.* 130.

Et noviſſimè in ſępe laudata *Conſt. Superna Clemens X. Sanxit*: -- Illos autem Religioſos, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis, generaliter quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis Perſonarum, in Diœceſi propria admittendos; quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperientur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinarii relinqui ipſos cum limitata facultate, prout iiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere. --

11 Licentias ſic generaliter, & abſque temporis limitatione conceſſas, nequit Epiſcopus, qui eas dedit, ſine cauſa revocare; benè verò ſi eas conceſſerint, aut ipſius Vicarius, aut
12 Prædeceſſores Epiſcopi, prout in eadem ipſe Pontifex: -- Regulares verò ad ejuſmodi confeſſiones audiendas prævio examine, ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, ſecus autem ab ejus Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis, approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab eiſdem confeſſionibus audiendis, ſuſpēdi ſeu licentias illis conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas confeſſiones concernat. De qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet; Nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit. --

13 Ex diſpoſitione tamen ejuſdem Pontificis, accedente rationabili cauſa, poteſt; *porrò*, ait, -- ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſte vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi judicio videantur à confeſſionibus ſuſpendendi &c. Utique eam cauſam ad confeſſionis miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quominus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo ap-

pro-

probatos ſuſpendere , aut repellere à confeſſionibus audiendis . --

14 Et abſque Sanctæ Sedis judicio,ipſis Ordinariis non conceditur poſſe omnes ſimul unius Conventus confeſſarios , audiendi ſecularium confeſſiones , facultate privare , ut idem Clemens ibidem firmavit : -- attamen confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventus Regularibus confeſſoribus adimi ab Epiſcopo , inconſulta Sede Apoſtolica , nullatenus poſſe . --

15 Succeſſor Epiſcopus poteſt Regulares in Diœceſi ab Anteceſſore approbatos , iterum examinare , & à confeſſionum auditione removere , per *Pium V. apud Confect. Conſt.* Romani Pontificis : -- ab Epiſcopo autem ſucceſſore, *ſtatuit* , pro majori conſcientiæ ſuæ quiete examinari de novo poterunt ; & ſi minus idonei reperti fuerint , reprobari . -- Prout deinde ſanxit *Urbanus VIII. die* 20. *Auguſti* 1629. *Cabaſut: prax. Jur. Can. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 3. quia fruſtra jus haberet examinandi,ſi non poſſet Prædeceſſoris ſui conceſſiones revocare .

16 Cùm verò difficilis eſſet ad Epiſcopum acceſſus , ejuſdem Vicario generali , ut approbetur , debet Regularis præſentari ; ut in terminis *Leo X. in citata Conſtitutione* . -- Dum intra ; nec non Superiores eorumdem Fratrum (ſunt verba Bullæ) Fratres , quos ad audiendas confeſſiones ſubditorum eorumdem Prælatorum (Epiſcoporum ſcilicet) pro tempore elegerint , eiſdem Prælatis perſonaliter exhibere , ac præſentare) ſi eos ſibi exhiberi , & præſentari poterint) alioquin eorum Vicariis . --

17 Dictas tamen facultates nequeunt poſt Epiſcopi approbantis mortem , revocare , aut Capitulum , aut Vicarius Capitularis , ut reſolvit *Antonel. de Regim. Eccl. lib.* 4. *cap. ultimo num.* 79. *Mirand. Manua. Præl. tom.* 1. *qu.* 45. *art.* 7. *in fine* . Ex Privilegio *Clem. IV. apud Confect.* conceſſo Prædicatorum Ordini , Conſtitutione Exigentibus veſtræ , cujus tenor eſt:--Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram Nobis , quod licet vobis à nonnullis Patriarchis , Archiepiſcopis, Epiſcopis , & aliis Eccleſiarum Prælatis , audiendi confeſſiones Subditorum ſuorum &c. licentia ſit conceſſa; quia tamen, ipſis Prælatis decedentibus, uti licentia hujuſmodi , Eccleſiis ſic vacantibus , dubitatis &c. veſtris igitur ſupplicationibus

inclinati, præſentium vobis auctoritate concedimus, ut in hujuſmodi caſu poſſitis uti tandiu liberè prædicta licentia (nota) donec viduatis Eccleſiis proviſum fuerit de Paſtore. -- Quo Privilegio uti præſertim poſſunt Fratres Minores ex diſpoſitione *Sixti IV. Conſt. Regimini*, *Mare magnum nuncupata*, ubi §. *Poſtremo*, decernit, --- poſſe Fratres Minores Privilegiis Prædicatorum Ordini, & Prædicatores illis Minoribus, conceſſis, ſine ulla differentia potiri, & gaudere, perinde ac, ſi quæ uni ex Ordinibus prædictis ſunt conceſſa, utrique ſimul nominatim conceſſa fuiſſent, aut concederentur impoſterum -- *Bull. Cher. verbo Sixtus IV. & ex altera Clem. VII. dum fructus uberes*, communicantis Fratribus Min. de Obſ. omnia, & ſingula Privilegia aliis Mendicantium, & non Mendicantium Ordinibus conceſſa. *Confect. coll. Priv. Regul. Mend. par.* 1. *pag. mihi* 150.

18 Ex juſta nihilominus cauſa cenſeo poſſe eaſdem revocare; ut etiam notat *Donat. prax. Reg. tom.* 3. *tract.* 4. *quæſt.* 28. Ne dum, quia per Doctores Capitulum ſuccedit in jis omnibus, quæ ad ordinariam Epiſcopi juriſdictionem ſpectant, niſi expreſsè prohibita reperiantur, *Antonel. loc. cit.* §. 2. *num.* 11. Id autem ei prohibitum non reperitur: ſed ulterius, quia dictum Privilegium Clementis cenſetur revocatum per *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. exigens in Regularibus neceſſariam approbationem ab Ordinario: propter clauſulas *non obſtantibus Privilegiis &c.* & per Donatum, Capitulum Sede vacante venit nomine Ordinarii; imo etiam, quia ex tenore conceſſionis conſtat, Pontificem voluiſſe ſolum ſatisfacere petitioni, & reſpondere dubio, ac reſolvere, quòd ad Epiſcopi mortem, adhuc conſiſtit facultas audiendi ſecularium confeſſiones ab eodem, prævia approbatione, obtenta; qua, etiam vacante Sede, ex vi illius approbationis uti poſſunt: præſertim, ſi non fuerit pro tempore determinato, eamque Epiſcopus non dederit ad tempus vitæ ſuæ, quia tunc certè morte extingueretur.

19 Requiritur in Regularibus pariter, ut ab Ordinario approbentur, ut eorum, qui de tertio Ordine vocantur, poſſint confeſſiones audire, ut *Sac. Cong. Epiſc. & Regul. ſub die* 20. *Decembris* 1616. ſub iſtis terminis reſolvit *S. Cong. &c.* -- ſtatuit juxta multas ejuſdem Congregationis reſponſiones non

poſ-

poſſe Sacerdotes Regulares audire confeſſiones Sacramentales Mulierum Tertii Ordinis, quæ de Pœnitentia dicuntur, niſi ab Ordinario approbati fuerint ad confeſſiones ſecularium audiendas — *Peyr. de Priv. Regul. tom.* 1. *ad Conſt.* 4. *Sixti IV.* §. 7. *num.* 39.

20 Non verò, ut illorum confeſſiones audiant, qui, licet ſint ſeculares, dicuntur tamen verè de familia, & eorumdem Regularium Commenſales *Pignatel. tom.* 10. *conſul.* 30. *num.* 35. *Peyr. loc. cit. ad Conſt.* 1. *Julii II.* §. 15. *num.* 12. referens Sac. Cong. Decretum *de anno* 1568. 14. *Auguſti* hujus tenoris: -- Prælati Regulares, ſeù alii Religioſi confeſſores, non poſſunt audire confeſſiones ſecularium, qui deſerviunt ipſorum Monaſteriis, abſque approbatione, vel licentia Epiſcopi, ſecus autem, ſi illi ſeculares ſint verè de familia, & continui Commenſales. -- Quod noviſſimè confirmavit *Clem. X. in cit. Conſt. ſuperna per hæc verba*: -- Cæterùm in Monaſteriis & etiam Collegiis, ubi juxta Regularia Inſtituta vivitur, poſſe, tàm Prælatos Regulares, quàm Confeſſores Regularium eorumdem Monaſteriorum, ſeù Collegiorum, audire confeſſiones illorum ſecularium (intellige abſque prævia Epiſcopi approbatione) qui inibi ſunt verè de familia. & continui Commenſales; non autem illorum, qui tantùm ipſis deſerviunt. -- Pro iſtis enim decrevit neceſſariam ab Ordinario approbationem.

22 Verè de familia, & continui Commenſales dicuntur Oblati, ſeù Donati S. Dominici, & Tertiarii S. Franciſci, qui intra Monaſteriorum ſepta habitant, vivunt, ac dormiunt: propterea in eis contraxerunt Domicilium: habitu ejuſdem coloris cum eo, quo utuntur Profeſſi, veſtiuntur: & manent ſub Prælatorum obedientia: non modo religioſo, & ratione voti, ſed modo ſervili, & ratione muneris ſerviendi Monaſterio; & obinde gaudent etiam per *Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 11. *de Reform.* Privilegiis omnibus Religioſorum, quibus actu inſerviunt, & numerantur inter ſeculares verè familiares; ad differentiam eorum, qui inſerviunt Monaſteriis, ſed in eis non ſunt de familia, nec domicilium contraxerunt, ſed ſunt ibi ad tempus, ſoloque ſtipendio, & ſalario eiſdem inſerviunt, & cum cæteris ſecularibus exteris, extra ſepta Monaſteriorum viventibus, numerantur: pro quorum confeſſionibus audien-

dis eſt per *Trid.* neceſſaria approbatio ab Ordinario. *Donat. Prax. Reg. tom. 3. tract. 4. qu. 7. num. 3.*

23 Sine approbatione denique non poſſunt Regulares in confeſſione audire ſecularium venialia, prout ex commiſſione *Innocentii XI. ſub die* 12. *Februarii* 1679. Sacr. Cong. Concil. diſpoſuit ut infra: -- Non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti, non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario: ſi Parochi, & confeſſarii, etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes, ſecus egerint, ſciant D. O. M. rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et quatenus abſolvant, invalida eſt abſolutio; cum abſolutio ſit ſententia, & actus judicii ex *Tridet. can. 9. ſeſſ.* 14. *de Sac. Pœn*; ſententia autem, in non ſubditum lata, nulla eſt, per diſpoſita ibid. *cap.* 7. dum ſtatuit nullius momenti eſſe abſolutionem, *quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem*. Quis autem non approbato juriſdictionem confert? Quis ſubditos? Accipit Regularis à Papa juriſdictionem, ſeù poteſtatem ferendi ſententiam in ſubditum, ſed ſuppoſita approbatione Epiſcopi, quæ in caſu abeſt; Nec ei in ordinatione confertur, neque per ordinationem Judex legitimus conſtituitur; alias nec Eccleſia poterit efficere, ut abſolutio ab ipſo prolata non ſit valida, ſicuti impedire nequit, quin validè Sacerdos conſecret, ſi cum debita intentione ſupra debitam materiam, formam neceſſariam proferat. Nec ab Eccleſia ei datur, ut vult Bonacina; aliàs nullus Prælatus, inferior Papa, poſſet illam ſuſpendere; & quilibet Sacerdos, etiam invitis Epiſcopis, poſſet hujuſmodi confeſſiones audire: & en gubernium Eccleſiæ confuſione turbatum. Quilici. *Confeſſ. manuduct. qu.* 1. *art.* 2. *num.* 2. *Felix Panorm. Exam. Confeſſ. tom.* 2. *diſp.* 4. *cap.* 5. *de miniſtro Sacr. Pœnit. num.* 1019. Quæ concludunt de mortalibus jam conconfeſſis.

24 Peccat, ex *Mirand. tom.* 1. *qu.* 45. *art.* 11; contra Superioris voluntatem Regularis ab Epiſcopo approbatus, ſi (excipo mortis articulum) ſecularium confeſſiones ſine ipſius Superio-

rio-

rioris licentia, audiat. Cui ſolùm de ejuſdem conſenſu (ſaltem tacito) conceditur extra ordinem poſſe Sacerdoti, ſivè Regulari, ſivè ſeculari, confiteri, aliàs abſolutionem, ut pote in non ſubditum, nullam eſſe idem notavit *tom.* 2. *quæſt.* 33. *art.* 6. & Sacerdotem debere eſſe approbatum ab Epiſcopo, tradit *Vaſquez cum aliis apud Tho. Tambur. lib.* 5. *de pęn. cap.* 4. §. 2. *num.* 17. quod certè eſt tutius; & idoneum debere eligi, diſpoſuit *Innocentius VII. Conſt. Provenit apud Confect. Collect. Priv. Mendic.* Idoneus autem per *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. *de Refor.* in caſu, vel parochiali Beneficio, vel Epiſcopi examine, probatur. Et quo ad Sacerdotem ſecularem dubitari non debet.

C P U T I V.

Officialis quoad Benedictionem.

S V M M A R I V M.

1 *Generales, Provinciales, & Guardiani Ord. Min. poſſunt benedicere Eccleſias, & Cæmeteria.*

2 *Et Eccleſiaſtica ornamenta pro uſu ſuarum Eccleſiarum, in quibus Chriſma non intervenit.*

3 *Et etiam pro uſu Eccleſiarum Monialium, ſub eorumdem regimine exiſtentium.*

4 *Poſſunt pariter reconciliare Eccleſias pollutas, aqua ab Epiſcopo, vel etiam per ipſos, in aliquo caſu benedicta.*

5 *In quibus unctio Sacri Chriſmatis interveniat?*

6 *Quid contineat aqua, quæ adhibetur in reconciliatione Eccleſiæ?*

7 *Dieta continet* 20. *milliaria.*

8 *Nomine Vicarii veniunt Præſidentes.*

9 *Indultum eſt commune Regularibus habentibus Privilegium communicationis.*

10 *Pro quibus rebus ſit in uſu.*

11 *Reſtringitur uſus Privilegii.*

12 *In jis, in quibus requiritur unctio Chriſmatis eſt neceſſarium ſpeciale Privilegium.*

13 *Quod fuit conceſſum Abbatibus Ciſtercienſibus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

14 *In aliquo caſu, & loco poſſunt Jeſuitæ Calices benedicere.*

15 *Pixides poſſunt ſinguli, quibus eſt conceſſum poſſe Ornamenta Eccleſiæ benedicere.*

16 *In Ord. Min. de Obſ. Guardiani benedicere poſſunt Corporalia.*

17 *Et ſimplices Sacerdotes ejuſdem Ordinis, ſi à Cap. Gen. fuerint deputati.*

18 *Hebdomada Sancta non poſſunt Regulares Domos benedicere.*

19 *Circa Ovorum benedictionem videtur affirmandum.*

20 *Ad benedicenda Monialium Monaſteria non eſt licitus ingreſſus in Clauſuram.*

1 EX ampliſſimo Sedis Apoſtolicę Privilegio poſſunt Prælati Ordinis Min. de Obſ., Generales, Provinciales, & Guardiani, Eccleſias, Cæmeteria, ac Paramenta, & Ornamenta, & alia quæcunque ad Divinum cultum, & ad ſuos uſus, neceſſaria, in quibus Chriſma non intervenit, benedicere; & reconciliare Eccleſias, & Cęmeteria, quovis modo polluta, prout *ſub die 3. Febru. 1514. apud Confect. collect. Priv. Mend. & Piaſecum prax. Epiſ. part. 1. cap. 1. art. 4. num. 10.*, *Conſtitutione, Religionis ſuadet, jiſdem conceſſit Leo X.* hac forma: -- Nos igitur, qui Religioſarum Perſonarum vota, per quæ eorum diſpendiis obviatur, ac commodis, & profectibus providetur, ſtudio charitatis libenter proſequimur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati &c. ac veſtri Ordinis Generalibus, Provincialibus, Vicariis, & Cuſtodibus, ac Guardianis, pro tempore exiſtentibus præfatis, ut omnia, & ſingula ejuſdem Ordinis, & Obſervantiæ Eccleſias, Cæmiteria, & Capitula, & Oratoria, ubicunque exiſtentia, receptas, & recepta, recipiendas, ſeu recipienda: ac Paramenta, & ornamenta, ac alia quæcunque ad Divinum cultum, & uſum veſtrum ne-
2 ceſſaria, in quibus Chriſma non intervenit, pro veſtro uſu tantùm (*Miranda Man. Præſ. tom. 2. qu. 40. art. 1. concl. 2.*
3 extendit ad uſum etiam pro Eccleſiis Monialium ejuſdem Ordinis regimini ſubiectarum) -- ſolemni benedictione, ac etiam per Vicarium, ſeù Guardianos, aut alios ad hoc, à vobis in veſtris Capitulis Generalibus providè deputandos, benedicere: ac illos, ſeu illa, & eorum qualibet ſanguinis, ſeu ſemi-

ſeminis effuſione, ſeu aliàs quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit, aqua per vos (præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquam benedicentem per duas Dietas adire non poteritis) benedicta, reconciliare liberè, & licitè valeatis, authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus non obſtant. &c. Dat. *Romæ &c.* --

5 Sacrum Chriſma intervenit, ex Pontificali Romano, juſſu Clem. VIII. edito, in Conſecratione Eccleſiæ, Altaris, Calicis, Patenæ, & Campanarum.

6 Ex eodem Aqua neceſſaria pro Eccleſiæ reconciliatione continet Aquam cum Sale, Cinere, & Vino.

7 Quælibet Dieta, ex *Enriquez apud Mirandam tom. cit. q.* 39. *art.* 8. *concl.* 3. continet viginti milliaria. Ex quibus conſtat, quorum benedictio, & in quibus circumſtantiis, ſit Prælatis ejuſdem ordinis prohibita.

8 Nomine Vicarii in terminis Conſtitutionis veniunt ex eodem *q.* 40. *art.* 2. qui in præfatorum Ordine Præſidentes appellantur, & Conventus ipſos in Guardianorum abſentia gubernant. Simplici Sacerdoti à ſolo Capitulo generali præfata committuntur, *ut nu.* 17.

9 Eo indulto Regulares omnes, quibus præfati Ord. Min. de Obſ. ſunt communicata Privilegia, uti poſſunt. Et eſſe in uſu, ſuumq; retinere vigorem, quò ad reconciliationem Ec-
10 cleſiæ pollutæ, & Paramentorum Eccleſiæ benedictionem, teſtatur *Piaſecus prax. Epiſc. parte prima, cap.* 3. *art.* 4. *num.* 10. Quoad verò Oratoriorum benedictionem, ſubſtinet Privilegium eſſe revocatum à *Tridentino ſeſſ.* 22. *in Dec. de obſervandis in celebratione Miſſæ*, ubi ſtatuitur Oratoria eſſe *deſignanda, & viſitanda* ab Ordinariis, & ſub Decreto comprehendi, etiam Regulares, conſtat ex *textu Concilii*. Et de hoc alibi.

11 Reſtringitur tamen uſus ipſius per S. C. Decretum apud *Lezz. ſumm. Quæſt. Regul. tom.* 3. *verbo* Altare, *n.* 3. *& verbo* Benedictio *n.* 8. ſub iſtis terminis. -- Abbates, Priores, Guardiani, & alii Religionum Prælati, etiam ex Societate Jeſu, habentes Privilegia benedicendi Veſtes Sacras, Cæmeteria, & ſimilia, dicto Privilegio uti non poſſunt, niſi in rebus, in quibus Sacra unctio non adhibetur, & pro ſervitio dumtaxat Monaſteriorum, & Eccleſiarum propriarum. --

12 Pro benedictione eorum, in quibus adhibetur Sacri

Chriſ-

Chriſmatis unctio, ſpeciale requiritur Privilegium, ut ſub die 6. Decembris 1631. Decrevit S. C. apud *Lezzana cit. verb.* Calix *n.* 3. -- Abbas, nec etiam in locis ſibi pleno jure ſubjectis ; aut de jure Patronatus, poteſt conſecrare Calices, Patenas, aut ſimilia, in quibus requiritur Sacra Unctio, niſi hoc habeat in ſpecie ſibi conceſſum à Sede Apoſtolica. --

13 Quod conceſſum eſſe ab Innocentio VIII. Abbatibus Ciſtercienſibus refert *Piaſeco loc. cit. n.* 19. recepto tamen Chriſmate conſecrato ab aliquo Epiſcopo.

14 Jeſuitis in locis, in quibus non adeſſet Epiſcopus, qui poſſet ea benedicere, conceſſit ſub Kal. Martii 1558. per *Piaſec. cit. n.* 18. Paulus III. Conſt. *Licet debitum*, poſſe benedicere Calices, & Altaria ; quo Privilegio non poterunt, & cæteri Regulares gaudere, propter Privilegiorum communicationem, in ea etiam locorum circumſtantia, quia ex *Pignat. t. x. conſ. prima n.* 33. quæ raro conceduntur, non veniunt ſub generali communicatione.

15 Poſſunt ſinguli Pixides, quibus conceſſum eſt, poſſe quæcumq; ad Divinum cultum neceſſaria, benedicere ; præſertim, quia in earumdem benedictione Sacrum Chriſma non exigitur *Rubric. Pontif. Rom. de Bened. Vaſcul. pro conſer. S.S. Euchar. pag. mihi* 369.

16 Corporalia in Ord. Min. de Obſ. poſſunt benedicere Guardiani, quia licet, ut refert *Miranda cit. q.* 40. *art. primo concl.* 2. fuerit id per Capitulum generalem Meclinenſe ad ſolos Provinciales reſtrictum : in Cap. tamen gen. Tolet. celebrato anno 1583. ex approbatione Cæremonialis Religionis, ut ipſe refert *art.* 2., conceditur ipſis talis facultas.

17 Sic pariter in terminis Conſt. Leonis, facultate, præfata, aliaq; Ornamenta Eccleſiaſtica benedicendi, gaudent ſimplices Sacerdotes, ſi tamen ad id per Cap. gen. fuerint deputati.

18 Domos non poſſe Regulares, quibus cura Animarum non ineſt Hebdomada Sancta benedicere, declaravit *Sac. Cong. Conc. ſub die* 2. *Julii* 1620. reſpondendo Dubiis eidem à Parochis Civit., Bonon. lingua vernacula, propoſitis : & ultimo quærebant : *Se poſſano* (i Regolari) *benedir le Caſe nella Dioceſi la Settimana Santa, eſſendo queſto ufficio del Curato, come ſi legge nel Rit. Romano?* Reſp. *Negativè* ; ad nonum autem, quo quærebatur : *Se poſſano ricevere nelle loro Chieſe le Donne*

alla

alla Purificazione dopo il Parto? Reſp. -- Regulares non prohiberi in earum Eccleſiis Mulieres poſt Partum ad Purificationem admittere. -- *In lib.* 12. *Dec. ejuſdem Cong. fol.* 45. *& apud Peyrin. de Privil. ad Conſt.* 7. *Pii V. poſt* §. 10. *n.* 11.

19 Quantum verò ad Ovorum benedictionem, affirmativè videtur reſolvendum *Paſquali. addict. ad quæſt.*69. *par.*2. *contr. ad Laur. de Franchis n.* 6. *pag. mihi* 521. Sicut enim Regulares liberè ad Purificationem recipiunt Mulieres, ſtatutiſq; temporibus, Candelas, Cineres, & Palmas benedicunt, liberèq; ab eiſdem Populus recipit; ſic pariter prohiberi non debent, ut Ova benedicant; ex eiſque inferendum, iſtud non eſſe de reſervatis Parocho, ſed actum merè facultativum, ad quem non cogitur Populus: & eſſe propterea in facultate ipſius talem benedictionem recipere, à quo voluerit, vel à Parocho, vel à Regulari; & præſertim, quia ad unum compellens, non adeſt lex: verùm habenda eſt ratio conſuetudinis legitimè introductæ.

20 Ad Monaſteria Monialium benedicenda Hebdomada Sancta, vel quovis alio tempore eſt in Clauſuram prohibitus ingreſſus. *S. C.* 4. *Septembris* 1596. *Floſc. Nicol. verbo Clauſura n.* 27. *& apud Theatrum Regul. verb. Clauſura n.* 3.

CAPUT V.

Officialis quoad Bona Mobilia, & Immobilia.

SUMMARIUM.

1 *Quæ Monaſteria per Trident. poſſint bona immobilia poſſidere.*
2 *Proteſtatio Fratrum Minorum de Obſ. de non admiſſis diſpenſationibus in Regula.*
3 *Nec conſuetudine poteſt induci, ut eiſdem liceat bona temporalia poſſidere.*
4 *Abuſibus introductis Sancta Sedes providit.*
5 *Obſervare debent Decreta Cong. Gen.* 17. *Maii* 1603.
6 *Non licet ipſis habere Cenſus, & Bona immobilia.*
7 *Quid agendum ſit in caſu, quo ipſis Legata perpetua relinquerentur?*

8 *Facta Proteſtatione, poſſunt eleemoſynas recipere.*
9 *Quid agendum ſit reſpectivè ad Fratres particulares?*
10 *Eſt ipſis prohibita civilis contrectatio pecuniæ.*
11 *Syndicus non poteſt in ſua perſona Legata annua recipere.*
12 *Non poſſunt facere publica Inſtrumenta.*
13 *Quare ſit ex D. Bonaventura Proteſtatio neceſſaria.*
14 *Quando fuerint publicata Decreta?*
15 *Formula Proteſtationis.*
16 *Non poſſunt inſtitui Hæredes.*
17 *Ex hæreditatibus, etiam per Syndicum, non poſſunt recipere valorem in fraudem Paupertatis.*
18 *Etiam ſi Inſtitutio eſſet ſub conditione.*
19 *Ad quid Hæres teneatur?*
20 *Fratres debent vitare litigia.*
21 *Ipſorum, etiam Eccleſiæ, ſunt hæreditatum incapaces.*
22 *Non poſſunt eſſe executores Teſtamentorum.*
23 *Eſt ipſis prohibita adminiſtratio omnium bonorum, quorumcumq; ſint.*
24 *Non poſſunt eſſe adminiſtratores bonorum Monaſteriorum Monialium.*
25 *Regulares nequeunt Bona Monaſterii ſine ſolemnitate alienare.*
26 *Etiam quoad dominium utile.*
27 *Nec per viam Tranſactionis.*
28 *Limitatio ex capite Terrulas.*
29 *Numerantur mobilia pretioſa.*
30 *Refertur S. C. C. Decretum.*
31 *Decretum non comprehendit Theatinos, & Minores de Obſervantia.*
32 *Fratribus vendere eſt probibitum.*
33 *Per Syndicum debent alienari.*
34 *Quid dicendum de Capellis, & Sepulturis.*

1 MOnaſteria omnia, quibus, *cap.* 3. *ſeſſ.* 25. *Conc. Trid. de Regul. & Monial.* non prohibetur, poſſunt Bona immobilia poſſidere; quæ autem ea ſint, ex eodem conſtat, cum ſtatuat: -- Concedit Sancta Synodus omnibus Monaſteriis, & Domibus, tam Virorum, quàm Mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Franciſci Capuccinorum, & eorum,

eorum, qui de Obſervantia vocantur, & etiam quibus, aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex Privilegio Apoſtolico non erat conceſſum, ut deinceps bona immobilia poſſidere liceat. --

2 Et quia ipſi Fratres de Corpore Obſervantiæ, ſive Obſervantes, ſive Reformati, ſive Diſcalceati, ſive Recollecti dicantur, in pluribus Capitulis generalibus, ex teſtimonio etiam Innoc. XI. Conſt. *Sollicitudo Paſtoralis ſub die* 20. *Novembris* 1979. Orb. Seraph. *tom.* 4. *pag. mihi* 223. proteſtantur, & declarant, ipſum Obſervantiæ Corpus ullam unquam admiſiſſe, vel admittere diſpenſationem in Regula, ſed potius velle pro viribus, Divino favente auxilio, illam purè obſervare, juxta Summorum Pontificum declarationes, ideo nec conſuetudine induci poteſt, ut eis liceat bona temporalia in particulari, vel
3 in communi poſſidere; cum eiſdem, & per Regulam, ac Pontificum declarationes, ſit expreſsè prohibitum; tanta enim eſt eorumdem Fratrum paupertas, ut ſemper alieno utantur, non ſuo: alieno vivant, non ſuo, & in alieno habitent, *Marchant. in cap.* 4. *Reg. S. Franciſci tit. primo q.* 2. *in fine*.

4 Abuſibus proinde, aliàs contra prædicta introductis, olim providit S. C., à S.M. Urb. VIII. Fratrum Min. de Obſerv. S. Franciſci Ciſmontanæ Familiæ conſultationibus præpoſita, dum ſub 14. *Junii* 1628. cenſuit, non eſſe eiſdem permittendum, ut Novitios ad habitum, & Profeſſionem recipiant, niſi prius conſtiterit ex ipſorum Conventibus eos ſubſtuliſſe abuſus omnes, qui Regulæ S. Franciſci Obſervantiæ adverſantur.

-- Ac primùm (*ſunt verba Decreti*) abdicent â ſe, & eorum Conventibus, non ſolùm piſtrina, ac bona omnia immobilia, quæ alicubi contra Regulæ puritatem, & declarationes fel. rec. Nicolai III., & Clementis V., extra, vel intra ſepta Monaſteriorum detinent, ſed etiam Cenſus perpetuos, & Le-
5 gata annua, ſuper quibus S. C. præcipit obſervari Decretum Cong. Generalis Romæ habitæ die 17. Maii 1603. (*Orb. Seraph. tom.* 3. *pag.* 587.) cujus tenor talis eſt. --

6 §. 1. -- Cùm annuos redditus, ſicut cætera bona immobilia, habere non liceat, ideo renovantes alia generalia ſtatuta, decernimus, quod Frater non inducat Perſonam aliquam ad eleemoſynam perpetuam Ordini noſtro exhibendam, nec exhibitam à quopiam vivente ſuſcipiat; & ſi aliqua talis no-

 bis

bis fuerit relicta, nullo modo in judicio exigatur: declarantes, quod ad perpetua Legata petenda, non poſſunt Fratres recurrere, niſi humiliter, & per modum eleemoſynæ, abſque allegatione alicujus debiti. --

7 §. 2. -- Decernitur præterea, ac præcipitur per Sanctam Obedientiam, quod quoties relinqui contingat aliqua Legata perpetua aliquibus perſonis, & Hoſpitalibus, vel alicui Reipublicæ, & aliis Domibus, ea lege, quod teneantur Fratribus præſtare ſingulis annis certam eleemoſynam, omnino gratis, ſive, ut ipſi Fratres dicant certa Officia, & Miſſas; quod Guardianus faciat proteſtationem ei, qui Teſtatoris voluntati adimplere tenetur, quod, cum ad illas eleemoſynas nullum jus habeant ex vi Legati, non poſſunt obligari ad illa Officia, & Miſſas. --

8 §. 3. -- Si tamen, facta iſta proteſtatione Hæres, ex ſua libera voluntate voluerit dare eleemoſynas illas, & committere Fratribus dicta Officia, & Miſſas; tunc Fratres tuta conſcientia poſſunt eleemoſynas hujuſmodi recipere. --

9 §. 4. -- Quod totum, & multò fortius in relictis Legatis ſingularibus Fratribus ſimili modo faciendum eſſe decernimus. -- Quò ad hæc praxis eſſe debet, ut non niſi in neceſſitatibus, & cum licentia Prælatorum ea acceptent, & ad ea recurrant; à quibus, ut notat *Roderico reſol.* 88. *n.* 10. *in fine*, non eſt permittendum practicari, niſi raro, cum maxima cautela, & à paucis, nè inde ſcandalum Secularibus præbeatur, & aditus relaxationi aperiatur; & ita, ut ſciant, quod -- quævis contrectatio pecuniæ, *ex cit. Inn. XI. Conſt.*, ſeu denariorum, quæ non ſit purè naturalis, ſeu quæ ſit quovis modo politica, cujuſcunque Domini ſint denarii, ſeu pecunia, Fratribus Min. Obſervantibus, ſeu de Obſervantia, eſt omnino prohibita. --

10

11 §. 5. -- Inhibemus autem, ne Syndicus in ſua perſona hujuſmodi annuos redditus recipiat, diſtribuendos ipſis Fratribus. --

12 §. 6. -- Item ſtatuitur, ut deinceps nulla inſtrumenta publica fiant à Fratribus capitulariter congregatis, nec quocuncunque alio modo ſe habentibus, in quibus transferatur dominium, & proprietas alicujus Capellæ, ſive ſepulturæ, cum hoc omnino ſit contra Regulam, & noſtro repugnet inſtituto; nam

quo-

quomodo aliquis dat, quod non habet? Si tamen occaſio ſe obtulerit, in qua oporteat ſatisfacere devotæ fidelium voluntati, id fiat per modos noſtræ Regulæ, & Inſtituto congruentes.--

13 §. 7. -- Eſt autem proteſtatio neceſſaria, ne, ut ait D.Bonaventura, ab ignorantibus noſtrum Inſtitutum Regulæ noſtræ transgreſſores judicemur. --

14 Lecta, & publicata fuere præfata Decreta die 15. Junii 1628. in Cong. Generali Fratrum Min. de Obſ. (celebrata 10. ejuſdem menſis) in præſentia Eminentiſſimi Cardinalis Gipſii, Præſidentis ejuſdem Congregationis. Ex quibus aliqua hic in paragraphos diſtincta tranſcripſi; cæterum per extenſum videri poſſunt in *Reg.*8. *Curiæ Ciſm. ab anno* 1627. *ad* 1631. *Bull. Cherub.tom.*4. *pag.*100. *Fagna. cap.nimis prava pag.*106. *Orb. Seraph.pag.*12. *tom.*4. in quo ex errore notatur, Congregationem illam celebratam eſſe anno 1629., cum ex regeſto aliter ſit.

FORMVLA PROTESTATIONIS.

15 -- Nos Frater N., Guardianus Conventus N., & diſcreti ejuſdem, dicimus ad noſtram notitiam perveniſſe, quod N. certam eleemoſynam huic Conventui diſtribuendam, perpetuò gratis, vel forſan pro aliquibus Miſſis, & officiis celebrandis, legaſſe; cumque legata hujuſmodi, niſi per ſimplicem eleemoſynam, ex noſtra Regula nobis acceptare non liceat, per præſentes proteſtamur in Domino, quod legatum prędictum, tamquam incapaces, ex vi legati recipere nolumus, nec intendimus: ſi tamen hæres, aut executor teſtamentarius dictam quantitatem, per viam ſimplicis eleemoſynæ, omni obligatione, dominio, & proprietate, penitus ceſſantibus, Nobis liberè conferre voluerit, illam ſimpliciter accipiemus, & piæ teſtatoris voluntati, quantùm in Nobis fuerit, plenè, & fideliter ſatisfaciemus &c. -- Quæ, à Guardiano, & Diſcretis, ac ſigillo Conventus firmata, eſt adnotanda in libris ejuſdem Conventus, & danda deinde executori Teſtamenti.

16 Sicut eiſdem bona poſſidere non licet, ſic nec permittere debent ſe hæredes inſtitui, cum hæreditas ex *Marcant. cit. in cap.*6.*teſt.*2. *tit.unico, quæſt.*1. *dub.*1. Jus quoddam dicat; & ulterius, quia ad id ex Regulæ inſtituto ſunt incapaces ex Clementina. *Exivi* §. *Cupientes*, ubi expreſsè legitur: -- Quia igitur

tur in ſucceſſionibus tranſit non ſolùm uſus rei, ſed & dominium ſuo tempore in hæredes, Fratres autem præfati nihil ſibi in ſpeciali acquirere, vel eorum Ordini, poſſunt, etiam in communi: declarando, dicimus, quod ſucceſſionum hujuſmodi, quæ etiam ex ſui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia ſe extendunt (conſiderata ſui puritate voti) nullatenus ſunt capaces. --

17 Nec valent recipere ex hæreditatibus valorem, vel, etiam per Syndicum, eam pecuniarum ſummam, quæ mendicitati repugnat & altiſſimæ paupertati adverſatur, *eadem* his verbis: -- Nec licet eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quod præſumi poſſet hoc in fraudem fieri, quaſi ſub modo, & forma legati dimitti ſibi facere, vel ſic dimiſſa recipere, quin potius iſta ſic fieri ab ipſis ſimpliciter prohibemus.

18 **Etiam ſi inſtituerentur hæredes ſub conditione, ut bona ſcilicet hæreditatis venderent, & pretium erogarent in uſum** Fabricæ, vel Sacriſtiæ, eorumque neceſſitates; quia licet inſtitutio ad effectum vendendi, fortè non repugnet Regulæ in his, quæ ſpectant ad rerum dominium, & poſſeſſionem: tamen conſiderandum eſt, Fratres ſic inſtitutos, nunquam deſinere eſſe hæredes, & in eos tranſire jura, actioneſque activè, & paſſivè; quia hæres tenetur de facto, de contractu, & delicto De-
19 functi: poteſt conveniri actione perſonali, quatenus non poſſideat: conſcientiamque tenetur exonerare Defuncti, & ad plura alia, per *Fagnanum capite nimis prava de exceſſ. Prælat. pagina mihi 22. num.* 38. Fratribus autem ipſis hujuſmodi ſe implicare litigiis repugnat, ut ipſa Clementina habet: -- Nullo modo debent hujuſmodi voti, & Regulæ Profeſſores, ſe, talibus cu-
20 riis, & litigioſis actibus immiſcere; & ut teſtimonium habeant ab his, qui foris ſunt, & puritati ſatisfaciant voti ſui, ac evi-
21 tent per hoc ſcandalum Proximorum, -- Quæ etiam pro ipſorum Eccleſiis, videntur incapacitatem concludere.

22 Eoſdem deputari non poſſe Executores teſtamentorum, firmat ipſa Clementina *§. Verum*, his verbis: -- Quin potius (conſiderata ſui puritate ſtatus) debent ſibi ſcire interdictum, quod hnjuſmodi executionibus, & diſpoſitionibus ſe exponant; cum hæc igitur ſæpius abſque litigio, & contrectatione, vel adminiſtratione pecuniæ nequeant expediri. --

23 Qui·

23 Quibus pariter eſt adminiſtratio bonorum, cujuſcunque ſint, prohibita, prout in citata Conſtitutione per hæc Innocent.XI. ſtatuit: -- Demum, ut omnis occaſio transgrediendi præceptum de non contractandis denariis, ſeu pecuniis, auferatur, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Prælatis, ſive Superioribus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub pœna privationis ſuorum officiorum, injungimus, ut nulli Religioſo ejuſdem Ordinis permittant adminiſtrationem fundorum, reddituum, aut quarumcumque aliarum rerum, & bonorum mo-
24 bilium, vel immobilium, cujuſcumque Domini illa ſint; & ſignanter, ut nullo Religioſorum Ordinis hujuſmodi permittatur adminiſtratio bonorum temporalium alicujus Monaſterii Monialium ſub quovis prætextu, aut nomine, nempè Adminiſtratoris, Syndici, Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alio quovis imaginabili.

Alia vide C.Offic. quò ad Legata.

25 Etiam Regularibus, ſine Sedis Apoſtolicæ aſſenſu, eſt per *Extravag. Pauli II. Ambitiosè* (quæ habetur & in *Bull.Cherub. tom.*1.*pag.*400.) interdictum, Eccleſiæ, & Monaſteriorum bona immobilia, & mobilia pretioſa alienare. Ideò, ut alienatio ſubſiſtat, & excommunicationis pœnam, aliaſque contravenientibus impoſitas non incurrant, debent ea alienare duobus copulativè obſervatis; cum juſta nimirum cauſa, pia, neceſſaria, vel ad diſtrahendum utili: & juris ſolemnitate; de conſenſu ſcilicet Superioris, & majoris partis Capituli, ac Apoſtolicæ Sedis; cujus in caſu eſt principalior, & maximè neceſſaria ſolemnitas, ut notavit *Piaſecus prax. Epiſ. parte* 2. *cap.*5. *art.ult. num.*16. adeout, nullus ſit alienationis contractus, ſi abſque Apoſtolico beneplacito celebretur. *Sperell. deciſ.*155. *num.*5. & facit caput *dudum de rebus Eccleſiæ non alienan. in* 6. *lib.*3. *tit.*9. *§.quia etiam.*

26 Et non ſolum directum dominium ex *Piaſeco num.*6. alienari prohibetur, & ſic donare, vendere, permutare, & hujuſmodi alia, per quæ transfertur dominium; ſed etiam utile; ideo eis bona Eccleſiæ pignorare non licet, ut tradit *Engel. Colleg.Univer. Juris Canon. lib.*3 *tit.*13. *num.*11. Et facit Clementina *prima de rebus Eccleſiæ non alienan.*

27 Etiam per viam tranſactionis, præſertim ſi Eccleſia eſſet in poſſeſſione rei litigioſæ, ut idem obſervat *num.*10. & *lib.*1.*tit.*36.*num.*6.

28 Li-

28 Limitatur apud *Fagnanum cap. nulli de rebus Eccleſiæ non alienan. num.*25. ſi res immobilis ſit exigui valoris: *ex cap. Terrulas cauſa* 12.*quæſt.*2. *pag.mihi* 324. ubi datur licentia Epiſcopo, ut Terrulas, & vineolas, minus Eccleſiæ utiles, ſine Capituli conſenſu diſtrahat.

Et in dubio, an per Conſtitut. Pauli præfato fuerit derogatum? refert S.Cong.Decretum tenoris, qui ſequitur *S.Cong. &c.die* 11.*Januarii* 1596.*cenſuit neque Conſt. Pauli,neque Concilii Trident.decretum, derogaſſe diſpoſitioni dicti cap. Terrulas* 12. *quæſt.*2.

Verùm ad id tria copulativè debent concurrere, ut patet ex Textu.

Primo, ut res ſint exigui valoris: Secundo, ut Eccleſiæ ſint minus utiles: Tertio, ut adſit alienandi neceſſitas.

Et die 14. Decemb.1613.eadem S.Cong. reſpondens Archiep.Meſſanen. petenti,declarari,ad quam uſque quantitatem ſibi liceret parva legata abſque beneplacito Apoſtolico alienare: *Cenſuit C.Terrulas* 12.*quæſt.*2. *non fuiſſe ſublatum per Extravag. Pauli II. quæ incipit ambitioſè. Ceterùm,ad quam uſque quantitatem liceat Epiſcopo alienare,petendum eſſe à Jure communi*: quod ibidem Fagnan.notat, adhuc jus commune non definiſſe, quæ Terrulæ, & Vineolæ exigui dicantur valoris. Et gloſ.*in allegato cap.Terrulas,verbo exiguas,*dicit Textum *fortè res exiguas vocare non valentes ultra viginti ſolidos*; Qui apud Donat. *praxis regul.tom.*1. *par.*2. *quæſt.*37. conſtituunt ſummam ſcutorum viginti ſeptem monetæ Romanæ.

Cæterum, quia gloſſa per appoſitionem dictionis *fortè*, dubitativè loquitur,id eſſe Judicis arbitrio remittendum, ſcribit *Fagnan. num.*26., qui juxta conditionem Eccleſiæ, temporum, locorum, & rerum qualitates judicare debebit.

Inter bona Eccleſiæ, & Monaſterii numerantur, etiam cenſus perpetui, redditus, jura, actiones, ſilvæ, præſepia armentorum, & hujuſmodi alia,reſpectivè videnda apud *Piaſec. num.*9. *Donat. quæſt.*57. *Antonell. de regim. Eccleſ. lib.*1. *cap.*4. *num.* 3.

29 Et inter mobilia pretioſa apud *Engel. allegato lib.*3. *tit.*13. *num.*5. ſunt ea, quæ ad theſaurum Eccleſiæ ſpectant: Sacræ Reliquiæ, Calices, Vaſa, veſtes pretioſæ, gemmæ, picturæ &c. quæ ad decorem, & ſplendorem Eccleſiæ, vel ob antiqui-

tatem,

tatem, artem, & ſingularitatem conducunt. Et quamvis mobilia, quia tamen ſervando ſervantur, quo ad alienationem, rebus immobilibus per *Piaſec. num.* 10. æquiparantur; & ideo, ſolemnitatibus ommiſſis, alienari non poſſunt.

Poſſunt tamen res, quæ non durant triennio, nec ſervando commodè ſervantur, vel uſu conſumuntur (& ideo mobiles dictæ) ut vinum, frumentum, animalia gregis ſuperflua, veſtes attritæ, non pretioſæ, & cætera alia, quæ ſine detrimento ſervari non poſſunt.

Etiam, cum ſufficienti cauſa, per ſolum Prælatum ſine conſenſu Conventus; niſi per regulam, & Ordinis ſtatuta aliud reperiatur perſcriptum ex *annotat. à Peyrin. de privileg. tom.* 1. *ad Conſt.* 9. *Julii II. num.* 10. & *Engel. num.* 6. ampliat ex locorum conſuetudine ad veteres Calices, & ornamenta, non æquè utilia, eo ſine, ut loco ipſorum nova, & æquè bona ad Eccleſiæ ſervitium acquirantur; ubi etiam inſpiciendæ ſunt leges municipales Religioſorum.

30 Refert *Piaſecus num.* 37. nec Monaſteria incapacia retinendi, & poſſidendi bona ſtabilia, etiam in communi, poſſe ea ſine ſolemnitate alienare; &, ſi quæ ad id habuerint privilegia, modo eſſe revocata nemo, ex ſequentibus, dubitat.

-- Sac. Congr. *Card. Conc. Trident. Interpretum rerum experimento* edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium diſtractionibus, quas crebrò faciunt Regulares, Apoſtolicis privilegiis innixi, ac proindè operę pretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compeſcere: ſpeciali S.D.N. juſſu, Generalibus, & Provincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuſcumque aliis Superioribus Regularibus cujuſvis Ordinis, Congreg. Societatis, vel Inſtituti, intra fines Europæ exiſtentibus, omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretioſorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, cenſus perpetuos, ſeu vitalitios, hypotecam, locationem, & conductionem ultra triennium, conceſſionẽ in fæudum, vel enphyteuſim, prætequam in caſibus à jure permiſſis, fieri perpetuò prohibet, atque interdicit, abſque ipſius Congr. Concilii expreſſa licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, ſub pœna privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vociſque activæ, & paſſivæ, ac per-

E petuæ

petuæ inhabilitatis ad illa impoſterùm obtinenda, quam ipſo facto abſque alia declaratione incurrant; ſublata etiam Generali, & Protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate, pœnis nihilominus Apoſtolicarum Conſtitutionum,& præſertim fel.record.Pauli II., quæ incipit *Ambitioſæ*, in ſuo robore permanſuris. Alienationes verò, pacta, cenſus, hypotecas, locationes, conductiones, & conceſſiones quaſcumque contra hujuſmodi prohibitionem faciendas, Sanct. Suæ auctoritate ipſo jure nullas,atque irritas decernit.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum,tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Joannis Hieroſolymit., Congregationum, Societatum, ac cujuſvis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & in individuo exprimendi, Monaſteriorum, Conventuum,Collegiorum, domorum, ac locorum Regularium quorumcumque, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia,roboratis, ſtatutis, vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis; nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeù extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam ſi, pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis, ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeù quævis alia expreſſio habenda, & aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet: tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, quibus quo ad ea, quæ præſenti decreto, ac prohibitioni adverſantur,illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter,& expreſsè Sanctitatis Suæ auctoritate derogat;Ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum *Romæ die* 7. *Septembris* 1624. —

Verum, diſpoſita per decretum ad præfata Monaſteria non ampliari,obſervant *Donat. quæſt.*62. *Nicolio lucubrationes lib.*2. *tit.*1. *de alienan. bon. Eccleſiæ ſub. num.*20. & in favorem

Thea-

Theatinorum referunt ejuſdem Sac.Cong.decretum:prout ſe-
31 quitur: *S.Congr. Concilii cenſuit religionem Clericorum regularium Theatinorum,quamdiù inſtitutum ſuperiùs propoſitum retineat* (nempe non poſſidendi immobilia , neque illa accipiendi , niſi ad finem quantò citiùs vendendi quocumque pretio) *quoad bona immobilia non comprehendi in probibitione,nuper edita,de rebus Regularium non alienandis.*

A quo item decreto per adnotata ab eodem Nicolio ipſa Sac.Cong. receſſit ſub *die* 12.*Aprilis* 1625. *dum cenſuit Fratres Minorum de Obſervantia non comprhendi ſub prohibitione alienandi immobilia, cenſus, & annuos redditus.*

Et aliàs,apud *Fagnan. num.*28. reſpondit: valere legatum immobilium Fratribus Minoribus ſub modo licito, nempe, ut vendant , & pretium convertant in uſum Fabricæ , vel Sacriſtiæ , & idem ſi factum fuit ſimpliciter , quia ſub modo licito factum intelligitur, ut *cap.exiit,qui ſeminat §. ad hæc quia Fratribus,de verborum ſignificatione in* 6.Hinc concludit ibidem,in alienatione immobilium opus non eſſe ſolemnitate , dum ſit ex præſcripto Regulæ,ut in Ordine Minorum de Obſervantia. Quod item obſervat *Antonellus loco allegato §.*3.*num.*6.

32 Non debent tamen Fratres hujuſmodi Regulæ ea per ſe ipſos alienare,utpotè incapaces vendendi ex *Marcanth.in Regulam S.Franciſci cap.6.tit.*3.*quæſt.*1.prout vendere ſignificat contractum , quo rerum dominium, accepto pecuniarum pretio, in alium transfertur ; Etenim contractus inſtituere nequeunt: ut dominia alteri cedant, eſt impoſſibile; (quia nemo dat,quod non habet) : eiſque negatur contrectare pecunias , quatenus ſunt quædam metalla auctoritate Principum inſtituta , ut ſint formale inſtrumentum emptionis (quod non eſt ipſas contre-
33 ctare purè materialitèr, & naturalitèr) , ſed alienatio facienda eſt à Syndico Apoſtolico, non nomine Fratrum , ſed Romanæ Eccleſiæ, ad quam res ipſis Fratribus relictæ, ſpectant.

Sed dubitatur, an Regulares poſſint alienare Capellas, & Sepulturas ſine aſſenſu Apoſtolico ?

34 Et reſolvitur negativè cum *Donato quæſt.*68. præſertim quoad Laicos, utpotè incapaces poſſidendi jura ſpiritualia ; adeoque ipſis ſunt invendibilia loca Religioſa,ſacra,& pia;Ideo *quæſt.*79.*nu.*11. docet jus ſepulturæ alienari non poſſe,niſi ſervata forma . *Extravagant*; *& decreti* ; maximè ſi venditio ha-

beat adjunctam privativam de aliis ibi non ſepeliendis; quia ſic, ſine juſta cauſa, Eccleſiæ ſervitus imponitur, ejuſque libertas reſtringitur, & jura alienantur, quod ſine Papæ conſenſu non licet.

Concedere tamen poſſunt, ſine ullo venditionis titulo, propriæ Eccleſiæ Capellam Benefactori ad uſum ſepulturæ pro illo, & ſuis, & ut eam ſumptibus ampliet, augeat, & ornet; cum hoc ſit potius Eccleſiæ acquirere, quam alienare.

Addit *Engel.lib.3.tit.28.ſub num.*16. quod cum honor, & præeminentia ſpecialis ſepulturæ (dummodo illa præeminentia ſit propter reſpectum aliquem temporalem, vel quia eſt in loco ſublimiori, & magis patente) ſit pretio æſtimabilis, poſſit in caſu pro eo accipi pecunia.

CAPUT VI.

Officialis quoad celebrationem Miſſarum.

SVMMARIVM.

1 *Poſſunt Regulares Miſſas celebrare, tempore etiam, quo celebratur in parochiali.*
2 *Die Sabbati Sancti nequeunt Campanas pulſare, priuſquam pulſaverint illæ Matricis.*
3 *Celebrare poſſunt priuſquam Parochus.*
4 *Fideles ſatisfaciunt Præcepto audiendi Miſſas apud eos.*
5 *Non poteſt quis cogi ad audiendam Miſſam in Parochiali.*
6 *Sacerdos non poteſt anticipatè celebrare pro eo, qui primò ſtipendium dederit.*
7 *Ponuntur pœnæ contra non promotos celebrantes.*
8 *Presbyteri ſeculares benignè à Regularibus recipiendi, & plura quoad exteros, & alia &c.*
9 *Conſtitutio de Celebr. Miſſarum edita ab Innoc. XII.*
10 *Reductio Miſſarum fit per Sedem Apoſtolicam.*
11 *Miſſæ celebrandæ ad proportionem ſtipendii recepti.*
12 *Retineri non poteſt pars ſtipendii, committendo alteri Miſſam celebrandam.*
13 *Interdicitur Regularibus, ne ſine Superiorum licentia onera Miſſarum recipiant.*

14 *Re-*

14 *Recognoſcenda bona, cenſus, redditus &c. Conventuum.*
15 *Numerus familiarum non augendus.*
16 *Conventus non recipiantur, niſi duodecim Religioſi valeant ſubſtentari.*
17 *Proponuntur Sac.Congr.Concil.dubia.*
18 *Dubiis reſpondetur.*
19 *Præſcribitur clauſula apponenda in literis reductionis Miſſarum.*
20 *Eelemoſynæ, Miſſæ, & adimplementa ipſarum annotanda.*
21 *Eleemoſinæ Miſſarum reponantur in capſa ſub duabus clavibus.*
22 *Pœnæ in tranſgreſſores.*
23 *Decreta legantur bis in anno.*
24 *Præcipitur decretorum executio.*
25 *Jurata atteſtatio de adimplemento Miſſarum exhibeatur à Superioribus localibus.*
26 *Voce activa, & paſſiva carent Provinciales, & alii, & qua ratione?*
27 *Privilegia celebrandi in Altari portatili revocantur à Tridentino.*
28 *Etiam ſi ſint clauſa in corpore juris.*
29 *Jeſuitis uſus illius datur à Gregorio XIII.*
30 *Regulares, nec in Clauſtro, in eo poſſunt celebrare.*
31 *Bene vero in fixo.*

NEqueunt Regulares impediri, quin Miſſas in propriis, & alienis Eccleſiis celebrent, Pius V. Conſt. *Et ſi Mendicantium* 17.*Kal.Junii* 1567.*Bull.Cherub. tom.*2.*pag.*227.

§. 8. -- Volumus, quod Fratribus Mendicantibus hujuſmodi non ſolùm prohiberi non poſſit, ne Miſſas, & alia Divina Officia faciant in eorum Eccleſiis, verùm etiam in quibuſcunque aliis, ubi celebrari Miſſas ſolitum eſt, etiam ipſis non vocatis,ſeù ad id requiſitis,celebrare valeant -- hoc ultimũ intelligas de Rectorum, & eorũ, ad quos ſpectat, aſſenſu.

Etiam tempore, quo Parochi ipſi in ſuis Eccleſiis celebrant, ut ipſe §.22. -- Prohibemus inſuper eiſdem Ordinariis, ac aliis quibuſcunque perſonis, ne impediant ipſos Fratres, quando eis placuerit, tàm in diebus Dominicis, ſeù feſtivis,aut aliis totius anni temporibus, Campanas pulſare,& etiam tempore, quo ipſi celebraverint, Miſſas celebrare. --

Quò

Quò ad Campanarum pulſitionem obſervandum eſt, quod ſtatuit Leo X. *Conſtit. Dum intra Bull. Cherub. tom. primo pag.* 586. §. 14. -- Et, ut debitus honor Matrici Eccleſiæ reddatur, tam ipſi Fratres, quàm alii Clerici Seculares, etiam
2 ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis Privilegio muniti, die Sabati Majoris Hebdomadæ, antequam Campana Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ pulſaverit, Campanam in Eccleſiis ſuis pulſare minimè poſſint; -- & poſt indultum Pii adeſt Decretum S. C. Regul. 10. *Octobris* 1586., ſtatuentis: -- Ordinarii non impediant Fratres pulſare Campanas ad Matutinum, ad Horas, & ad Miſſam antequam pulſetur Campana majoris Eccleſiæ, præterquam in die Sabbati Sancti. -- *Confect. Coll. Priv. Mend. par. prima pag.* 225.

Imo priuſquam Parochi celebrent, ex eodem §. 8. Pii: -- necnon Miſſas, *ait*, & Divina Officia hujuſmodi, etiam in
3 diebus Dominicis, vel feſtivis, etiam antequam Rector Parochialis Eccleſiæ celebraverit, celebrare, & facere, quando eis videtur; -- quod, cum die 20. *Julii* 1620. fuiſſet à Parochis Bononienſibus ſub iſtis terminis Sacræ Cong. Conc. propoſitum: *Se poſſano celebrar la prima Meſſa nella loro Chieſa, avanti quella del Curato*: -- Sac. Cong. ad V. reſp. Prohiberi non poſſe, quominus Miſſa in Eccleſiis Regularium celebretur ante Miſſam Parochialis Eccleſiæ. --

Nec ſunt impediendi Fideles, quin diebus Dominicis, & feſtivis ad Regularium Eccleſias, Divinorum Officiorum tempore, atq; ad audiendas in eis Miſſas, accedant. Neq; dicendum, de Miſſis diebus audiendis, præcepto eoſdem non ſatiſfacere; oppoſitum enim idem Pius citato §. exprimit ſic: -- Ac etiam quicunq; utriuſq; ſexus Chriſti Fideles totius Anni tempore illas, & illa in Eccleſiis Fratrum hujuſmodi audire poſſint. Ipſi Chriſti Fideles ullatenus deſuper moleſtari, aut impediri per Locorum Ordinarios, ſeu Rectores Parochialium Eccleſiarum, aut alios quoſcunq; ullo pacto, cauſa, vel
4 occaſione, non valeant, ſeu debeant, ſed præfati Chriſti Fideles audiendo Miſſas, & alia Divina Officia in Eccleſia Fratrum hujuſmodi diebus Dominicis, aut feſtivis, præcepto Eccleſiæ de illis audiendis ſatisfeciſſe cenſeantur. -- Cujus Conſt. non eſt revocata quo ad hoc à Greg. XIII. *ut cap. Officialis quoad* 4. *ſun.*

Hoc

Hoc ultimum ſub 13. *Novembris* 1517. ſanxit Leo X. Conſt. tenoris, qui ſequitur: -- Intelleximus quoſdam in dubium revocare,& perinde timoratis conſcientiis ſcrupulum injicere, ſi Chriſti Fideles, qui Dominicis, & feſtis diebus extra Eccleſias ſuas Parochiales, Miſſas audiunt in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Eccleſiæ præcepto de Miſſa audienda ſatisfaciant. Nos enim ambiguitatem hujuſmodi penitùs tollere volentes, ut cum ſinceriori conſcientia Fideles quiq; Deo, Creatori ſuo ſerviant, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium notum facimus, omnes Chriſti Fideles utriuſque ſexus, qui (non contempto proprio Sacerdote Parochiali) in Eccleſiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis, & Feſtis diebus, Miſſas audiant, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamvè incurrere. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. -- *Confect. cit. pag.* 125.

Quod obſervavit *Piaſe. prax. Epiſ. par.* 2. *cap.* 3. *art.* 3. *n.* 21. notans obligari Parochum ex *Trid. ſeſſ.* 22. *in Decr. de Obſer. & evitan. in celeb. Miſſ.* ad monendum Populum,
5 ipſumq; de præcepto audiendæ Miſſæ diebus feſtivis ſub peccato mortali inſtruendum: cogere tamen non poſſe quempiam ad eam in Parochiali Eccleſia audiendam, quia *Conc. loc. cit. verb.* Dumtaxat *moneant*, & non alio, utitur.

Omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Secularibus, quàm Regularibus prohibitum eſt, Miſſas anticipatè celebrare pro eo, qui primo ſtipendium dederit,& Deus videt daturum;
6 vel ſub conditione in futurum contingente, v. g. -- intendo celebrare pro eo, qui proximè mihi eleemoſynam largitus fuerit -- *Sum. Leand. verb. Miſſæ ſtipend. n.*39. *Layman. Theo. mor. de Sacrificio Miſſæ lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 13., & reperitur tanquam periculoſum, & ſcandaloſum juſſu Clem. VIII., & per Pauli V. Decretum, prohibitum à S. C. C. quod per extenſum referunt *Barboſa* 2. *part. de Offic.*, *& poteſt. Epiſcopi alleg.* 24. *num.* 12., *& Lezzana Summ. Quæſt. Regul. tom.* 4. *verb. Miſſa n.*51.; quod eveniſſe *ſub die* 15. *Novembris* 1605., teſtantur.

Prohibitionis ratio eſſe potuit, vel quia hujuſmodi turpis anticipatio lucri quamdam, quovis titulo Sacerdotibus indignam, rerum Sacrarum mercaturam importet; vel etiam, quia

quia ex eo homines ab eleemoſynis in futurum tradendis pro Miſſarum celebratione retrahi potuiſſent; ſi enim Sacerdos offerenti eleemoſynam reſponderet: -- applico tibi Miſſas, quas diebus præteritis celebravi: -- ſuſpicari ſemper poſſent, quod tradendo ſtipendia Miſſas non ſint celebraturi, & dumtaxat applicaturi celebratas, quaſi in eorum eſſet poteſtate fructus Sacrificii pro ſuo libito ſuſpendere.

Sacrilega aliquorum ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promotorum in celebrandis Miſſis audacia, Sancta Sedes ſæpius repreſſit,& poſt Gregorium XIII., & Sixtum V., Cle-
7 mens VIII. Conſt. *Et ſi alias Bull. Cherub. tom.* 3. *pag.* 125., contra eoſdem ſtatuit: -- Ut quicumque non promotus ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, repertus fuerit Miſſarum celebrationem uſurpare, vel Sacramentalem Confeſſionem audiviſſe, à Judicibus S. Inquiſitionis, vel locorum Ordinariis, tamquam Eccleſiæ miſericordia indignus, à Foro Eccleſiaſtico abjiciatur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerit, ritè degradatus, ſtatim Curiæ Seculari tradatur, per Judices Seculares debitis pœnis plectendus.

Quia verò plures, ſpretis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ſtatutis pœnis, beneficio minoris ætatis, nequaquam ſubjacere aſſerebant, in eoſdem Urbanus VIII. *Conſt. Apoſtolatus Officium. Bull. Cherub. tom.* 4. *pag.* 137. ſic decrevit: -- Nos deteſtantes &c. hac noſtra perpetua valitura conſtitutione, ſtatuimus, & decernimus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, qui impoſterum ad S. Presbyteratus Ordinem non promotus, Miſſam celebrare, aut Sacramentalem Confeſſionem audire, præſumpſerit, ætate minori annis viginti quinque, non excuſetur, quo minus eidem Clementis Conſtitutioni ſubjiciatur, dummodo vigeſimum ſuæ ætatis annum compleverit. Ipſeq; non promotus, ſic delinquens, nulla habita conſideratione præfatæ ætatis, ſivè Laicus, ſivè Clericus Secularis, aut cujuſvis Ordinis, Congregationis &c. tradatur Curiæ Seculari debitis pœnis plectendus. --

Is verò, qui præfatas pœnas evaderet, aut cujus delictum ad Forum non deduceretur,irregularis remaneret, quia actum Ordinis, quem non habet, exercuiſſet. *Paſq. add. ad quæſt.*42. *Laur.de Franc.par.prima n.*372. præſertim ſi eſſet Clericus, ſecus dicendum de Laico apud *Laym.de Irregul. lib.primo tract.*5. *p.*5. *cap.*3. *n.*2.

Cùm

Cùm Seculares Presbyteri in Eccleſiis Regularium ex propria devotione volverint, celebrare poſſint, & benignè re-
8 cipiantur juxta diſpoſitionem Leonis X. Conſt. *Dum intra* ſæpius cit. -- ac tam Prælati, quàm Presbyteri Seculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint, Miſſas in Eccleſiis domorum eorumdem, devotionis cauſa celebrare, volentes, celebrare poſſint. Ipſiq; Fratres tales celebrare volentes, libenter recipere debent. --

Exteri autem, & peregrini à Regularibus admitti non debent ad celebrandum in propriis Eccleſiis, niſi ſervata forma ſequentis Decreti. -- Die 11. Auguſti 1649. in Congregatione Sancti Officii Eminentiſſimi RR. Cardinales Inquiſitores mandarunt intimari Superioribus Religionum, quod mandent ſuis ſubditis Monaſteriorum, & Conventuum Superioribus; ne admittant ad celebrandum in eorum Eccleſiis, eorum, vel alterius Religionis, exteros, vagos, ſeu peregrinos, niſi examinatis diligentèr literis obedientiæ, ſeu aſſignationis eorum Superiorum, & teſtimonialibus promotionis ad Sacerdotium; quo verò ad Sacerdotes Seculares, niſi viſis literis teſtimonialibus ſubſcriptis à Vicario Generali, ſeu Foraneo Epiſcopi loci &c. -- Ut refert *Nicolio praxis totius Juris Can. lib.* 3. *tit.* 31. *de Regularibus n.* 15. Et ſæpè id decreviſſe circa Sacerdotes Seculares Sacram Epiſcop: & Regul. Cong. teſtarur.

Ubi tradit Regulares teneri ad conſenſum dandum, & commodum, Presbytero Seculari, qui aliquo titulo tenetur ad celebrandum certis diebus in ipſorum Eccleſiis, per diſpoſita à Sacra Congregatione *ſexto Septembris* 1625. cum onere tamen, ut Presbyter celebraturus ſibi ſuis ſumptibus de ſuppelectilibus, cera, cæteroq; apparatu Eccleſiaſtico ad id neceſſario, provideat.

Cum ex diſpoſitione Teſtatoris deberent in Eccleſiis v.g. Fratrum Minorum, celebrari Miſſæ à Presbyteris ſive Secularibus, ſive Regularibus ad Hæredum arbitrium, & Fratres Minores nollent conſentire; S. C. C. cenſuit, -- dum Regulares non conſentiunt Miſſas à Teſtatore relictas, per Seculares in Regularium Eccleſia celebrandas, ibidem celebrari, poſſe alibi celebrari de licentia Ordinarii, ut in una Venetiarum 24. *Septembris* 1639. idem loc. cit.

Et cum Teſtator non exprimat Miſſas à ſe relictas in Ec-

cleſiis præfatis,etiam per ſeculares Presbyteros, debere celebrari, interdicitur hæredibus poſſe pro ſuo libito pro hujuſmodi celebratione deputare Sacerdotes Seculares, vel alios Regulares: prout ſequitur; S. Cong. &c. attentis narratis --- cenſuit præfatos hæredes non poſſe pro ſuo libito Oratoribus invitis deputare pro prædicta celebratione Miſſarum in eorum Eccleſia Sacerdotes Seculares, ſeu alios cujuſcumque Ordinis Regulares; ſed omnibus præferendos eſſe eoſdem Oratores, quatenus ipſi præmiſſis ſatisfacere non recuſent, quibuſcumque non obſtantibus 16. *Novembris* 1657. *Domenicani*, *Nicolio loco citato*.

Alia ad Miſſarum celebrationem neceſſaria apud Summiſtas poſſunt videri, & interim quæ Sac. Cong. Concilii diſpoſuit, & à SS. D. N. Innocentio XII. Auctoritate Apoſtolica ſunt confirmata obſerventur, ut ſequitur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

9 NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum prodierunt Decreta tenoris infraſcripti, videlicet.

Aliàs ſuper celebratione Miſſarum, ac prohibitione illas moderandi, ſeu reducendi abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, nec non ſuper earundem oneribus perpetuis ſuſcipiendis, & Religioſorum numero, ultra redditus, & conſuetas eleemoſynas locorum Regularium, non habendo, emanarunt ab hac Sac. Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII. illi ſpecialiter attributa, quamplura Decreta tenoris ſequentis.

Cùm ſæpe contingat in quibuſdam Eccleſiis tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen nova onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur: indeque fiat, ut depe-

deperirent piæ Teſtantium voluntates, obſtricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ ſuffragiis priventur, Eccleſiis debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſtifideles gravi ſcandalo affecti, plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur: Cùmque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, ut quod ii, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri: aut quòd Eccleſiis, ſorte pecuniarum abſumpta, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum, abſque ullo emolumento, aut quòd eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeò tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic ſe muneri ſubiicere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterii adeò exigui, ut Sacerdos pro neceſſaria ſua ſuſtentatione novis ſe oneribus obſtringere compellatur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique, ac juſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagant, hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica convellere atque eradicare. Sanctiſſimi D. N. Urbani Divina providentia Papæ VIII. auctoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

10 Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diæceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis, ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expediri arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſi quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

Deinde ubi pro pluribus Miſſis, etiam ejuſdem qualitatis celebrandis, ſtipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſivè à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuſcumque, tam Secularibus, quàm Regularibus: Sacra

Congregatio ſub obteſtatione Divini Judicii mandat, ac præ-
11 cipit, ut abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant: quinimmo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id verò, ut deinceps obſervetur exactiùs, Sac. Congregatio eadem auctoritate, revocat Privilegia, & indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac Locis Piis, tam Secularibus, quàm Regularibus cujuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeu Orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit cele-
12 brandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Prȩterea, ne in Eccleſiis, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, ut par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera hujuſmodi cum nulla, aut parva ſint utilitate conjuncta: ſtatuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſteriis, Conventibus, ac Locis omnibus, tàm Secularibus, quàm Regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda à die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium quàm primùm inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, ſub eadem pœna, ut ſupra, deponi, atque in aliis bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum ejuſdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad

Ad hæc Sac. Congregatio quibuſvis Capitulis, Colle-
giis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus,
& ſingulis Eccleſiarum, ac piorum Locorum, tam Secula-
rium, quàm Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos
pertinet, diſtrictè prohibet, ne impoſterum onera perpetua
ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, Seculares, quidem ſine
Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò ſine Ge-
neralis, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, &
gratis concedenda: alioquin Secularis, qui hujus prohibitionis
13 tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo
ipſo: Regularis verò pęnam privationis omnium Officiorum,
quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cæte-
ro obtinenda, vociſquæ activæ, ac paſſivæ, àbſque alia decla-
ratione incurrat.

Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant: alioquin omnino abſtineāt ab hujuſmodi eleemſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auſerant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa: *Eleemoſyna pro Miſſis*, vel alia ſimili, ſub jiſdem pęnis ipſo facto incurrendis, ne Fideles hac ratione fruſtrentur.

Epiſcopus verò, ſeu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant, de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut Loco pio incumbentibus: nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes, tam novo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe, præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Eccleſiis, & Locis piis relinquuntur, omnino reſpondeant oneribus adjunctis ſecundùm morem cujuſque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque, ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in noviſſimo die ſe hujus prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremò Illuſtriſſimi Patres non ſinè gravi animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ Regularem diſciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent, in-

one-

oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemoſynæ cujuſque Monaſterii: inhærentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis, hac de re editis, Sanctiſſimi Domini Noſtri auctoritate, præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcumque aliis ſuperioribus Monaſteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cujuſcumq; Ord.Congr.& inſtituti,exiſtentium intra fines Italiæ,& Inſularum adiacentium,ut ſinguli, ad quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis pro-
14 batioribus, & rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones, tam communes Monaſteriorum, Conventuum, & Domorum ejuſdem Provinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis Religioſis aſſignatas,ſeu permiſſas, in communem uſum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter & maturè recognoſcant, jis omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes, grandines, ſterilitates, aliave cujuslibet generis onera conſueverunt abſorbere.

Eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cujus intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congregatione generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, & oneribus, ut ſupra detractis ſedulò examinent, quot Religioſi homines, connnmeratis etiam laicis, aliiſque neceſſariis ſervientibus, in unoquoque Monaſterio, Conventu, & Domo Regulari juxtà regionis, & proprii Inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorumdem bonorum, reddituum, eleemſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, ut in illo diligentèr omnibus diſcuſſis, cujuſque Familiæ Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis in ſingula quaque

Pro-

Provincia certus earum tantùm perſonarum numerus, Patrum capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſuperiùs, ſufficienter alii poſſint.

Ne verò Superiores, qui id præſtare debent, ſerius, aut remiſſiùs, quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant: mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, poſt proximum Capitulum Generale, vel Provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipſam Congregationem Concilii ſinguli mittant.

Numerumque familiæ, ſingulorumque Conventuum,
15 Monaſteriorum, & Domorum hujuſmodi Regularium, Capituli, ſeù Congregationis generalis, vel Provincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tam Generales, & Provinciales omnes, quàm Locales perpetuò ſervare omninò teneantur, nec poſſint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti reddituum abſque Sacræ ipſius Congregationis licentia: Superiores autem hujuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint, vel numerum, ut ſupra præſcriptum, quovis modo augere præſumpſerint, privationis omnium Officiorum, quæ tunt temporis obtinebant, vociſque activæ, ac paſſivæ, & ad omnia ſuæ Religionis Officia, & gradus, inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque aliis, etiam gravioribus, à Sede Apoſtolica infligendis pęnis Sacra Congregatio ſubjacere voluit, & declaravit.

Deinceps verò Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita: in ſingulis hujuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monaci, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis, eleemoſynis detractis omnibus, ut ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum decreti felicis recordationis Gregorii
16 XV. hac dere ediri: Alioquin Monaſteria, & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodæ Juriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.

Porrò, nè ullo unquam tempore hæc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cujuſque Monaſterii,

ſterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur, ſub pœna privationis Officii, vociſque activæ, paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum, ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti, præſentes ordinationes in publica Menſa perlegantur.

Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis cujuſcumque ſint Ordinis, conditionis, & gradus, quàm Laicis quocumque honore, & poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non obſtantibus, quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Inſtituti, etiam neceſſario: & individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tàm Secularium, quàm Regularium Locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra

Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præſentes ordinationes in Valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, affixæ omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonalitèr intimatæ fuiſſent.

Utque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ preſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romę die 21. Junii 1625.

Coſmus Card. de Torres.

Proſper Fagnanus S. Congreg. Secr.

Excitatis autem ſuper præmiſſorum decretorum intelligentia, ſeu interpretatione infraſcriptis dubiis, prodierunt à memorata Congregatione ſimili auctoritate illi à præfato Urbano Papa Octavo ſpecialiter attributa reſponſiones, ſeu declarationes inferiùs apponendæ.

Super primo Sacræ Congregationis decreto, de celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera ulla Miſſarum celebrandanrum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.

17 Quæritur, quid ſi legatum ſit ita tenue, ut non ſit, qui velit onus illi injunctum ſubire; etſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſariis?

Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, ut poſſit hujuſmodi onera moderari?

Secundò, ſuper ſecundo ejuſdem Congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa (præſcriptæ fuerint) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius præſcripſerit eleemoſynam congruam juxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur Miſſas illis ab Offerente præſcriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare, ratione Beneficii, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarii, poſſint etiam manualem eleemoſynam, pro Miſſis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Miſſæ Sacrificio utrique oneri ſatisfacere?

Quintò, poſito, quòd Teſtator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Miſſæ, abſque ulla præſcriptione eleemoſynæ.

Quæritur, an liberum ſit hæredibus, eleemoſynam ſibi benè viſam præſcribere, an verò eadem eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario.

Sextò, ſuper tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu Orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quæritur, an verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Privilegium?

Septimò, ſuper quarto ejuſdem Congregationis Decreto, qui prohibetur Sacerdoti, qui ſuſcepit Miſſam celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur, an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem, pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, Inſervientium, paramentorum, luminum, Vini, Hoſtiæ, & ſimilium?

Octavò, an hoc decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, ideſt, an Rector Beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Saçerdoti celebranti dare ſtipendium, ad rationem reddituum Beneficii?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna, major ſolita, pro celebratione Miſſæ, debeant dare eamdem integram eleemoſynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt; An verò ſatis ſit, ut dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Un-

Undecimò, ſuper quinto ejuſdem Congregationis decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba (eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis) ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant: Alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſponte oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c.

Quæritur, an hoc decretum prohibeat abſolutè, quo minùs accipiant novas eleemoſynas ii, qui acceptis non ſatisfecerunt, & quid, ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatiſfacere?

Duodecimo, quid. ſi offerens eleemoſynas, audito impedimento conſentiat, ut Sacerdos Miſſam celebret, cum primum poterit?

Decimotertio: an pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, ut ibidem præcipitur?

Decimoquarto, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent Eccleſiis, in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur (*Gaſſe de Morti*)?

Decimoquinto, an Adminiſtratores Eccleſiæ, magnæ devotionis, & concurſus, poſſint eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem Miſſis, non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valent, ne aliàs cultus Eccleſiæ, & devotio, ac concurſus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

Decimoſexto, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Cōgregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & piorum Locorum, tam Secularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expreſſa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali (*& aliis ad quos pertinet*) ſupplicatur pro opportuna declaratione?

Decimoſeptimo, ſuper ſeptimo, ejuſdem Sacræ Congregationis decreto, quo cavetur, ut in ſingulis Monaſteriis Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.

Quæritur, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim ſimi-

lis decreti ſanctæ memoriæ Pauli V. abſque tamen computatione redditutum, cujuſque Religioſi, ſit denuò facienda, nec nè?

Decimo octavo, an Novitii, ad habitum regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſteriis, in quibus habita, ut ſuprà, præfixione numeri, commodè alii non poſſunt?

Decimo nono, ſuper ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita ut alioquin ſubſint juriſdictioni ordinariæ.

Queritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueverunt onera Miſſarum recipere, ut ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jeſu.

Ultimo, an idem decretum, ubi diſponit, ut nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia, dumtaxat ad quam eſt reſtrictum decretum proximè antecedens, an verò etiam extrà Italiam.

Declarationes, ſeu Reſponſiones ad ſupradicta Dubia.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi à Sanctiſſimo Domino Noſtro attributa, ad ſingula Dubia ſuperius propoſita, ad hunc modum reſpondit, videlicèt.

18 Ad primum, etſi legatum ſit adeò tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſuprà impoſiti, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe judicaverit: Verumtamen. Si in ipſa Beneficii erectione expreſsè cautum fuerir, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quàm decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſervandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario: Quòd ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præ-

ſcri-

ſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, seù Cappellæ, Legati, aut Salarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo pręſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum, reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, ac loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam,utcumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & Loca pia alios non habent redditus, quos in uſum earundem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenùs debere excedere valorem expenſarum, quæ prò ipſomet tantùm Miſſæ Sacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ,& nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis, ut ſuprà deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.

Ad octavum, non habere locum. Sed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione ipſius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad undecimum, reſpondit, non prohibere abſolutè: Ac propterea, etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodò infrà modicum tempus poſſint omnibus ſatiſfacere.

Ad duodecimum, quamvis onera ſuſcepta infrà modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſy-

nam

nam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, decretum non prohibere, quò minus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro iiſdem miſſis juxtà Benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad decimum tertium, has pænas non habere locum, niſi in ſuſcepturis onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad decimum quartum, comprehendi.

Ad decimum quintum. Non poſſe, niſi de conſenſu eorum qui eleemoſynas tribuunt, ut ſuprà in reſponſione ad duodecimum.

Ad decimum ſextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad decimum ſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam, ſervata forma ultimi decreti hac de re editi.

Ad decimum octavum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio ejuſdem Religionis eſſe collocandos, ubi commodè alii poſſint.

Ad decimum nonum, cenſuit comprehendere.

Ad ultimum, habere locum extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres.

Proſper Fagnanus S.Cong.Secretarius.

Cum autem ſuper præmiſſis diverſi irrepſerint abuſus, illorumque occaſione, quàm plures querelæ, & recurſus ad Apoſtolicam Sedem pervenerint: Cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum hujuſmodi deteſtabiles abuſus è Chriſtiana Republica pro viribus evellere, ac opportunè providere, ut ſublatis fraudibus, ac emendata negligentia piæ diſponentium, ſeu benefactorum voluntati fides illibata ſervetur, Defunctorum animabus integra, & prompta præſtentur ſuffragia, itidemque Deo major gloria, & Eccleſiis præſtantior cultus reddatur, prævia auctoritate per SS.D.N. Innocentium Divina Providentia PP.XII. ei ſpeciali-

liter

liter attributa infraſcripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, & poſteà in generali hujuſmodi Cardinalium Congregatione maturè, & accuratè diſcuſſa, recognita, & examinata edidit.

In primis, præinſerta decreta cum præmiſſis illorum declarationibus pleniſſimè, & ampliſſimè approbat, confirmat, & innovat, omniaque, & ſingula ibidem contenta, & expreſſa iterum omni meliori modo decernit, ſtatuit, ac ab omnibus, & ſingulis etiam ſpeciali, & individuali nota, ſeu expreſſione dignis penitùs obſervari, & omnimodæ executioni demandari decernit, ſancit, & præcipit.

Inſuper, ut in re tanti momenti conſultiùs, ac majori, ut par eſt, circumſpectione procedatur: Si qui forſan fuerint, vel ſint, qui ſuis pravis, & erroneis intentionibus, ſeu opinionibus blandiri volentes Miſſarum calebrationem omittunt ſub malitioſa, vel irrationabili ſpe earumdem condonationem, vel reductionem à Sede Apoſtolica, vel compoſitionem à Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi: Congregatio præfata tum eoſdem, tum quoſcumque alios, qui poſthac in adeò deteſtabiles abuſus auſi fuerint oſtendere, certiores fieri, & monitos, eſſe voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, non niſi ex rationabili cauſa, ſeu æqua commiſeratione, compoſitiones verò à dicta Fabrica utente ſuis facultatibus, & privilegiis, non niſi ex cauſa pariter ratio-
19 nabili, & cũ clauſulis opportunis, & præſertim cum illa: *dummodo malitioſè non omiſerint animo habendi compoſitionem, alias gratia nullo modo ſuffragetur*, admitti conſueviſſe, & ſolere: quapropter ut locus omnis impoſterum hiſce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, ſeu ſpes, ac eleemoſynarum, ſive in toto, ſive in parte verſiones in alium, quàm præfatarum Miſſarum uſum, ſeu ſatisfactionem, & quaſcumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, ſeu circumventiones declarat prorſus irrationabiles, injuſtas, & illicitas, illaſque omnino reprobat, damnat, & interdicit.

Cumque hujuſmodi abſurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Miſſarum ſupra vires ſuſcipiantur: caveant omnes, & ſinguli Rectores, Superiores, & Miniſtri quarum-

cum-

cumque tùm ſecularium, tùm Regularium Eccleſiarum, ſeu illarum Capitula, ne onera, ſeu Miſſas tùm perpetuas, tùm temporales, tùm etiam manuales, quarum ſatisfactioni impares fuerint, quoquomodo ſuſcipiant, utque id ipſum quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, ſemperque in loco magis patenti, & obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, & temporalium literis perſpicuis, & intelligibilibus deſcriptorum, quorum implemento, ſi moraliter, & intra præſcriptum, ſeu breve tempus ſatisfacere non poſſe, ſeu illa dumtaxat, & non ulteriora adimplere poſſe crediderint, ſeu credere debuerint, alias Miſſas, ſive perpetuas, ſive temporales, ſive manuales, per ſe, vel per interpoſitas perſonas quoquomodo recipere, ſeu acceptare omnino deſiſtant, ſeu abſtineant, & ulteriùs tali caſu in eadem Tabella ſimiliter exprimant ſeſe, propterea aliis miſſis acceptandis, & celebrandis impares eſſe.

Iidemque teneantur paritèr in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero ſingula onera perpetua, & tempora-
20 lia: in altero autem Miſſas manuales, & tam illorum, quàm iſtarum adimplementum, & eleemoſynas diſtiuctè diligentèr annotare, & annotandas, ſeù annotanda curare ſinguliſque annis de ſupradictis adimplementis, eleemoſynis, & oneribus pariter exactam rationem ſuis Superioribus reddere, ac omnes, & ſingulas rationes hujuſmodi in præfatis reſpective libris ſimili diſtinctione, & diligentia, tam præfati, à quibus rationes debent reddi, quàm Superiores, quibus reddendæ erunt, deſcribere, ſeu annotare, ſive deſcribendas, vel annotandas reſpectivè curare.

Quibus ſemper ſalvis, debeant ulterius Regulares prædicti, omnes, & quaſcumque eleemoſynas tùm manualium, tùm perpetuarum, & temporalium Miſſarum reponere in capſa particulari ſub duabus clavibus; quarum una penes Superio-
21 rem localem, altera verò penes alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ad de iiſdem eleemoſynis, & celebratione Miſſarum coram Patribus Diſcretis, ſeù Conſiliariis, vel alio ſimili modo nuncupatis ſingulis menſibus diſtrictam rationem exigere, & reſpectivè reddere.

Quòd ſi prædicti, ad quos cura Tabellæ capſæ, & librorum præfatorum reſpectivè pertinet, ſeu pertinere debet, ſuam

ope-

operam præmiſſis, ut præfertur, minimè navaverint, & Superiores, tùm Secularium, tùm Regularium Eccleſiarum rationem prædictam non exegerint, ſeu non invigilaverint, quòd præfati, qui in curam Tabellarum, & librorum incumbunt
22 ſuo muneri, ut præfertur ſatisfaciant, in ſingulis reſpectivè caſibus, Seculares pœnam ſuſpenſionis incurrant: Regulares verò voce activa, & paſſiva, ac gradibus & officiis, quæ obtinent ipſo facto, & abſque alia declaratione privati ſint, & intelligantur, necnon ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda ſimilitèr inhabilitentur, & inhabilitati ſint, & intelligantur.

Porrò, ne ullo unquam tempore omnia, & ſingula decreta prædicta in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Rectores, Superiores, ſeu Capitula Eccleſiarium Secularium illa
23 retineant publicè expoſita in eorum Sacrario: Superiores verò locales cujuſcumque Monaſterii, Conventus, ac domus Regularis curare, & efficere teneantur ſub pœna privationis officiorùm, quæ obtinent, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & feria ſexta poſt octavam Corporis Chriſti omnes, & ſingulæ præmiſſæ tum inſertæ, ſeu confirmatæ, tùm in præſens factæ Ordinationes una cum dictis declarationibus in publica Menſa perlegantur.

Meminerint igitur, & ſatagant Ordinarii, ut à perſonis, & in Eccleſiis quoquomodo etiam in vim decretorum Concilii Tridentini ſibi ſubjectis, miſſæ ea, qua par eſt fide, & diligentia celebrentur, & cuncta, & ſingula decreta hujuſmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum juſtitiam recurrentibus, ſeu inſtantibus reddentes, ſed ex officio tùm in Viſitationibus, tùm in aliis actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties, quoties indicaverint inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel ommittatur, quod his omnibus, & ſingulis decretis adverſetur.

Caveant etiam reſpectivè omnes Regulares, tùm Subditi, tùm Superiores quicumque nedum, Locales, ſed etiam Provinciales, & Generales, ne miſſarum celebratio, & omnium decretorum præmiſſorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus miſſæ

ſunt applicandæ , & cum magno Chriſti fidelium ſcandalo quoquomodo ommittantur, differantur ; neligantur , ſeu pervertantur , alioquin ultra propriæ conſcientiæ onerationem , pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ,ac graduum,& officiorum, quæ obtinent , necnon inhabilitationis ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda, prorſus incurrant .

Curent propterea præfati Superiores Regulares in omnes, & ſingulos contravenientes debitis pœnis diligentèr , & promptè etiam per imquiſitionem animadvertere , & inſuper teneãtur omnes, & ſinguli Superiores Locales in Provincialibus Capitulis , ſeu Congregationibus exhibere atteſtationem , ſeu
25 fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus , Monaſterii , ſeu cujuſcumque domus Regularis ſubſcriptam, & juratam, quòd omnibus , & ſingulis, tùm perpetuis , tùm manualibus Miſſarum oneribus, ſeu obligationibus ad limites , & tenorem præſentium decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino, & integraliter ſatisfactum , vel deficiente aliqua modica ſatiſfactione , poſſit, etiam hujuſmodi reſiduali implemento Miſſarum diſtinctè referendarum, intra breve tempus moraliter ſatisfieri , ea adjecta , & omninò adimplenda conditione , quòd antè præfatæ atteſtationis exhibitionem quicumque Superiores Locales prædicti vocem activam, ſeu paſſivam in memoratis Capitulis , ſeu Congregationibus omnino habere non valeant .

Præterea Provinciales, Vicarii , & Viſitatores Provinciarum, ſeu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus generalibus in forma probante oſtendere , quòd executioni præſentium decretorum ſedulò invigilaverint , & ad eorum tenorem in omnibus , & ſingulis Conventibus , ſeu
26 Monaſteriis , vel domibus Regularibus Provinciæ , ſeu Congregationis, de omnibus , & ſingulis oneribus , & obligationibus , ac inſimul ſatisfactionibus Miſſarum exactam , & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem , & executionem reſpectivè pœnarum in decretis contentarum proceſſerint , & de adimplemento circa ea , quæ in præmiſſis ad ipſos ſpectant legitimè docuerint , aliàs ad vocem activam, & paſſivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittuntur .

Cæterum , quia etiam ad quamplures Archiconfraterni-

tates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hoſpitalia, Altaria, Capellas, Oratoria, & Eccleſias, ac alia loca, & opera pia, quomodolibet nuncupata, quæ cuicumque curæ, ſeu regimini, aut adminiſtrationi, vel directioni laicorum cujuslibet gradus, ſtatus, conditionis, & præeminentiæ, etiam ſpeciali, & individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumque Eccleſiaſticorum, & Laicorum hujuſmodi mixtim commendata, annexa, ſeù quomodocumque commiſſa, vel attributa ſunt, onus, ſeu cura celebrationis Miſſarum, ſive manualium, ſive ad tempus, vel in perpetuum pertinet: Hinc ſalvis ſemper iis, quæ in præinſertis decretis continentur omnes,& quicumq; hujuſmodi Archiconfraternitatum,Societatū, Congregationum, Hoſpitalium, Altarium, Capellarum, & Oratoriorum, & Eccleſiarum, ac aliorum locorum, & operum piorū Rectores, ſeu Adminiſtratores,vel Directores, & alii hujuſmodi Officiales, nec non ii, ad quos Cura Tabellæ, & librorum in præmiſſis ſpectat, Tabellam, libros, & hæc decreta reſpectivè juxtà modos ſuperius expreſſos, ſimiliter retinere, nec non de oneribus, ac celebrationibus, & eleemoſiynis dictarum Miſſarum ſingulis annis rationem exigere, & reſpectivè iis, ad quos pertinet, reddere ſub pœnis arbitrio: & in ſubſidium excommunicationis teneantur.

Poſtremo omnibus, & quibuſcumque, tam Eccleſiaſticis perſonis cujuſcumque Ordinis, Status, gradus, regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis, & dignitatis exiſtant, quàm Laicis quocumque honore, ac poteſtate prædictis omnia, & ſingula præmiſſa decreta interpretandi, nec non Eccleſiaſticis prædictis pœnas in hujuſmodi decretis relaxandi, ſub quoquo modo circà præmiſſa diſpenſandi, omnis, & quæcumque facultas ſit penitus interdicta.

Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in hujuſmodi decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium,quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S.Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Inſtituti,etiam neceſſario, & in individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque,tam Secula-

cularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus,etiam immemorabilibus privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu bulla aurea; aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quo ad ea, quæ præſentibus averſantur illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sac. Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ diæ 23. Novembris 1697.

Joſeph Cad. Sacripantes Præfectus.

Ferdinandus Nuptius S. Congr. Secret

Quocirca, cum Dilectus Filius noſter Joſeph tituli Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ S. R. E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congiegationis Præfectus, præfata decreta Nobis retulerit, Nos conſiderantes eadem omnia, & ſingula decreta, ea qua decet maturitate digeſta, & examinata, ac in vim Apoſtolicę auctoritatis, eidem Congregationi ſpecialiter, ut prefertur, attributę peracta, perutilia fore cenſentes, illaque propterea perpetuo, & inviolabiliter obſervari, nec non conſtitutionis noſtrę munimine roborare volentes: Motu proprio, non ad cujuſdam Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione, deque

Apo-

Apoſtolicę poteſtatis plenitudine pręinſerta decreta, omniaque, & ſingula in eis contenta tenore præſentium auctoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicę firmitatis robur, & efficaciam adjicimus, quinimò motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, omnia, & ſingula in ſupradictis decretis contenta, de novo ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuſcumque, etiam ſpeciali, & individua nota dignis, omninọ exactè, & perpetuò ſervari volumus, ſancimus, & mandamus.

Decernentes pręſentes literas, cum omnibus, & ſingulis inibi contentis ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate pręeminentia, aut poteſtate fungentes, & functuros, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S.R.E.Cardinales, etiam de latere Legatos, & Sedis Apoſtolicę Nuncios ſublata eis, & eorum cuilibet quavis alitèr judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere: Ac irritum, & inane, ſi secùs ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quę pręfata Congregatio, auctoritate per ejuſdem recordationis Urbanum Papam VIII., & reſpectivè per Nos illi ſpecialiter attributa, decrevit non obſtare, quę pariter, & iterum Nos tenore pręſentium non obſtare decernimus, & mandamus; quibus omnibus quo ad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis, aliàs in ſuo robore permanſuris, etiam harum ſerie pleniſſimè, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut præſentes literæ in valuis Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, publicentur, & affigantur, ſicque publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt perindè arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum perſonaliter intimatę fuiſſent.

Pa-

Pariterque, ut earumdem præſentium tranſumptis impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quę præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę.

Nulli ergò omnino hominum liceat, paginam hanc noſtrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, & Derogationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicę milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſeptimo. Decimo Kal. Januar. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

B. Cardinalis Prodat.

I. F. Card. Albanus.

Viſa de Curia I. Ciampinus.

I. Catallus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octavo, Indictione ſexta, die verò tertia Januarii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini INNOCENTII Divina Providentia Papæ Duodecimi, Anno Septimo; Supradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valuas Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Curiæ Innocentianæ, Cancellariæ Apoſtolicæ, in acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Joannem Baptiſtam de Cappellis ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Curſorem.

Franciſcus Antonius Simoncellus Mag. Curſ.

27 Privilegia celebrandi in Altári portatili, Viatico, ſeù mobili (quod ad hunc effectum transfertur in itinere de uno ad alium locum) Ordinibus Prædicatorum, & Minorum olim conceſſa, eſſe revocata à *Trident. ſeſſ.* 22. *in Decreto de Obſer-*

van-

vandis,& Evitandis in celebratione Miſſæ; Tradit *Miranda Manual. Prælat. quæſt.* 40. *art.* 9. *concluſ.* 4. Confectius *Summar. privileg. Ord. Medic. tit.* 19. *cap.* 2. *Piaſec. prax. Epiſc. parte* 2. *cap.* 3. *art.* 3. *Fagnan. cap. in his de privileg.* Et facit expreſsè Textus Concilii : -- Nevè patiantur (*ſcilicet Epiſcopi*) privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam , & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria , ab iiſdem Ordinariis deſignanda , & viſitanda Sanctum hoc Sacrificium à ſecularibus, & Regularibus quibuſcumq; peragi ; *Et inferiùs* : ipſi pro data ſibi à Sacroſancta Synodo poteſtate , ac etiam ut delegati Sedis Apoſtolicæ , prohibeant , mandent, corrigant , ſtatuant , atq; ad ea inviolatè ſervanda cenſuris Eccleſiaſticis, aliiſq; pœnis , quæ illorum arbitrio conſtituuntur , Fidelem Populum compellant : non obſtantibus privilegiis, exemptionibus , appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcumque . -- Quibus certè ſuſtulit privilegia celebrandi extra Eccleſiam ; adeoque in Altari portatili .

28 Etiam ſi ſint clauſa in corpore Juris, prout continetur illud præfatis Ordinibus ab Honorio III. *cap. in his* , datum , cum, ex adnotatis à *Fagnan. n.* 12. quotieſcumq; Trident. privilegia revocat , derogatio ad inſerta , etiam in corpore Juris , ampliatur : tametſi illa non nominet ; Etenim cum Concilium generalitèr derogat privilegiis, hujuſmodi inſertionis expreſſionem tacet : ſic *ſeſſ.* 5. *cap.* 2. , *& cap.* 15. *ſeſſ.* 23. ſuſtulit indulta Regularium , inſerta in *Clement. Dudum de Sepul.* , & exigit ad concionandum neceſſariam benedictionem , ſeù licentiam Epiſcopi ; Ejuſdemque approbationem , ut ſecularium confeſſiones excipiant .

29 Et habetur expreſsè ex narrativis *Conſt. Gregorii XIII. Bullar. Cherub. tom.* 2. : indulgentis PP. Jeſuitis uſum Altaris portatilis in locis Miſſionum , ubi : -- Uſum Altaris Viatici Societati Veſtræ à fel. recor. Paulo Papa III. conceſſum , deinde à Concilio Trident. universè ſublatum (*Nota*) Vobis &c. -- Et inde ſubſiſtere non videtur dictum *Roderici tom. primo qq. Regul. q.* 43. *art.* 5. aſſerentis,poſſe Regulares celebrare in Altari portatili , ſi Epiſcopi non contradixerint : Etenim aſſerit Concilium privilegia eis data non abrogare ; ſed ſolum Epiſcopis præcipere , ut non obſtantibus privilegiis , non patiantur Regulares id exequi ; Nam ex allegato Gregorio conſtat , id eſſe

id eſſe falſum; adeoque præcipere Epiſcopis, ut id non permittant, quia privilegia ſunt revocata.

30 Nec in Clauſtro Monaſterii poſſunt in Altari portatili celebrare; nec ad id Epiſcopi licentiam tribuere; Etenim *Concil.* §. *Neve patiantur*: Primò prohibet, ne Epiſcopi permittant, ut Miſſa celebretur in privatis domibus; Secundò, ne id fieri permittant in locis, quæ ſunt omnino extra Oratoria ad Divinum tantum cultum dedicata; Tertiò præcipit, ut Oratoria priùs deſignentur, & viſitentur ab Ordinario. Et licet Clauſtrum non ſit domus privata, quia tamen verè non eſt in Eccleſia, & Altare portatile Oratorium ad Divinum cultum dedicatum appellari non poſſit, cadit ſub prohibitione de non celebrando in locis extra Eccleſiam, & extra Oratoria ad Divinum cultum dedicata.

31 Verum, cum in Clauſtro, non ſuper Altari portatili, ſed fixo, in Oratorio, Divino cultui dedicato, celebrare voluerint, id eis poterit ab Ordinariis concedi, dummodo locum priùs viſitarint, ac ad id aptum, & decentem eſſe noverint; quod certè eſt ad formam Concilii, Quid quid alii ſentiant.

CAPUT VII.

Officialis quoad Clauſuram Monialium.

SUMMARIUM.

1 *Moniales omnes in concernentibus Clauſuram Ordinariis ſubduntur.*
2 *Superioribus Regularium, cauſa ſolùm viſitationis localis, permittitur ingreſſus in Clauſuram.*
3 *Debent unica die viſitationem Clauſuræ abſolvere.*
4 *Refectionem in Monaſterio ſumere nequeunt.*
5 *Generalis poteſt ſecùm duos Socios aſſumere: cæteri ipſo inferiores unicum.*
6 *Viſitatio perſonalis fit ad Crates.*
7 *Poteſt Epiſcopus viſitare Moniales ſine interventu Regularium: & quando?*
8 *Et ejuſdem Vicarius.*
9 *Sententia Roderici reprobata à S. C. C.*

10 *Sine*

10 *Sine mandato Epiſcopi non conceditur ipſius Vicario licentias dare pro ingreſſu in Clauſuram.*
11 *Dubia S. C. C. propoſita.*
12 *Dubiis Reſpondetur.*
13 *Caſus, & quomodo Monialium Confeſſariis permittatur ingreſſus in Clauſuram.*
14 *Quæ dicatur Ætas matura.*
15 *Sine licentia nullus poteſt Clauſuram ingredi.*
16 *Facultas eas concedendi non competit Regularibus privativè quoad Epiſcopum.*
17 *Pœnæ licentiis abutentium, & ingredientium extra caſus permiſſos.*
18 *Locus eſorcizandi Energumenam.*
19 *Quid Clauſura contineat.*
20 *Quando Monialis Clauſuram violet.*
21 *Ex quo in caſu parvitas materiæ deſumatur.*
22 *Tectum ſub Clauſura continetur.*

QUO ad Clauſuram omnes Moniales indifferenter
ſubjiciuntur Epiſcopo, etiam illæ, quæ à Regula-
ribus, reguntur, prout *Conc. Trid. ſeſſ.25. de Re-*
1 *gul.*, & *Monial. cap.* 5. ſtatuit. Bonifacii VIII.
Conſt. quæ incipit Periculoſo renovans San-
cta Synodus univerſis Epiſcopis ſub obteſtatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monaſteriis, ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apoſtolicæ authoritate, Clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui: & ubi inviolata eſt, conſervari maximè procurent.

Verùm juriſdictio circa Clauſuram Monaſteriorum Regularibus ſubjectorum competit Epiſcopo cumulativè quoad Superiores Regulares, non autem privativè: adeò ut, quæ ad eam ſpectant, poſſint Regularium Prælati, quæ opportuna judicaverint, decernere, ex *Sac. Cong. Conc.* 1608., *ut in lib.* 11. *Dec. fol.* 31. Et in una *Foſſanen.* 31. *Auguſti* 1658. *ad ſextum Nicol. Floſc. verb. Clauſura n.* 12. At id exequi debent in terminis à S. Sede eiſdem præfixis, & non aliter; quia eſt certum, quo ad eam Regularium Superiorum juriſdictionem per Decreta Apoſtolica reſtringi, & limitari; modumque in

locali Monaſteriorum, & Monialium perſonali viſitatione ob-
ſervandum præſcribi, pro ut Conſt. fel. Alex. VII. *x. Kal.
Novembris* 1664. *ex Arce Gandulfi apud Pignat. tom. primo
conſ.* 162. ſtatuitur, ut infra.

§. 1. -- Præſentibus perpetuo valituris ſancimus, ut im-
poſterum infra fines Italiæ, & Inſularum adjacentium Gene-
ralibus, Provincialibus, Abbatibus, & quibuſcunque aliis Su-
perioribus Regularibus, quibus alioqui cura, & regimen Mo-
naſteriorum Sanctimonialium quovis modo incumbit, intra
2 ſepta eorumdem Monaſteriorum, nullatenus ingredi liceat,
niſi ex cauſa viſitationis localis, & hoc ſemel tantùm in Anno;
itaut in eo Anno, in quo unus ex memoratis Superioribus vi-
ſitaverit, alius Superior à viſitatione hujuſmodi ſe omnino
abſtineat. --

§. 2 -- Quod ſi ob Clauſuram, quæ à Sacra Trid. Syno-
do, etiam in Monaſteriis exemptis, curæ, & vigilantiæ Epiſco-
pi in primis committitur, aut ob aliam urgentem, ac neceſſa-
riam cauſam oportuerit Superiorem Regularem eodem Anno
pluries ingredi ſepta Monaſterii, tunc non aliter ingrediatur,
quàm cum præſentia Epiſcopi Diœceſani, vel alterius perſonæ
Eccleſiaſticæ ſecularis, boni exempli, ac maturæ ætatis, ab ipſo
Epiſcopo ad hoc ſpecialiter deputatæ. --

§. 3. -- Viſitet autem Superior Regul. interiorem Clauſu-
3 ram per ſe ipſum, non autem per alium, etiam ſi fuerit legitimè
impeditus, quo caſu differatur viſitatio in aliud tempus, quo
ceſſaverit impedimentum, & viſitationem celeriter, & unica
die, debita tamen cum diligentia, abſolvat, nec ante ortum
Solis, eam incipiat, nec poſt occaſum protrahat. --

4 §. 4. -- Neque ipſe Viſitator, neque ejus Socii ullam ſu-
mant in Monaſterio refectionem. --

§. 5. -- Porrò ſi viſitet Generalis, poſſit ſecum habere
5 duos Socios ſui Ordinis: ſi alius à Generali, unum tantùm,
excluſis omnibus aliis, etiam ratione officii. --

§. 6. -- Qui quidem Socii aſſumantur exemplares, &
maturæ ætatis, & in actu viſitationis à Viſitatore nunquam
ſeparentur, ſed eum aſpicere, & ab ipſo aſpici ſemper poſſint. --

Statuto deinde modo obſervando à Monialibus, viſita-
tione durante, ſubdit -- viſitatio verò perſonalis fiat ad Crates,
6 & omnino extra Clauſuram Monaſterii, & per ipſummet Su-
periorem

periorem dumtaxat, ut ſuprà dictum eſt de viſitatione interiori Clauſuræ, --

In fine Conſtitutionis apponuntur contra Tranſgreſſores pœnæ ſub iſtis terminis. -- Si quis verò prædictorum Regularium aliquid contra præſentium tenorem facere, vel moliri præſumpſerit, aut adimplere neglexerit, ipſo facto pœnam excommunicationis, & privationis omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuę inhabilitatis ad illa, vel alia impoſterum obtinenda, vociſque activæ, & paſſivæ abſque alia declaratione incurrat; & nihilominus nullis Privilegiis, & exemptionibus tueri ſe poſſit, quo minus ab Epiſcopo loci, tamquam ad hoc Sedis Apoſtolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, corrigi, & puniri valeat. --

7 Quia Epiſcopis ex tenore Conſtitutionis, & per Tridentinum eſt in primis commiſſum, ut procurent in ſingulis Monialium Monaſteriis, etiam exemptis, inviolatè Clauſuram ſervari, ideo S. C. C. cenſuit *die* 24. *Septembris* 1622. -- licere Epiſcopo viſitare Monaſteria Monialium Regularibus ſubjectarum, & ſingulas Moniales abſque interventu Regularium alloqui in concernentibus Clauſuram -- *lib.* 12. *Dec. fol.* 111. Et aliàs in una *Recinen.* 1638. *lib.* 11. *Dec. fol.* 31. *ad ſeptimam cenſuit.* -- Poſſe Epiſcopum ingredi Clauſuram ſaltem duobus honeſtis, & gravibus Viris comitatum. -- Et in una *Viterbien. die* 26. *Junii* 1627. *cenſuit* -- Epiſcopum ad Clauſuram cuſtodiendam, etiam in Monaſteriis Regularibus ſubjectis, poſſe excommunicationis latæ ſententiæ pœnam ſibi reſervatæ imponere circa aperitionem Oſtii Clauſuræ extra caſus indigentiæ, nec non circa acceſſus, & colloquia cum Monialibus: ac dictam excommunicationem ligare, nedum Regulares accedentes, verum etiam Moniales, ſi de ipſis mentio fiat: adeout Superior Regularis ab eadem excommunicatione abſolvere nequeat. -- *Nicol. Lumbrat. lib.* 3. *tit. pr. n.* 3.

8 Et nedum per ſe ipſum, ſed etiam per ſuum Vicarium, poteſt, imò debet, in reſpicientibus Clauſuram eadem viſitare, ut notat *Sperel. deciſ.* 98. præſertim cum ad id habet Vicarius ſpeciale mandatum; ubi *n.* 27. teſtatur ſe ſuper hoc favorabilem obtinuiſſe à S. C. C. reſolutionem tenoris, qui ſequitur: -- S. C. Cardinalium Concilii Tridentini Interpetrum ad utrumque dubium reſpondit, non ſolùm Epiſcopo, ſed

etiam generali ejus Vicario, ad hoc ſpeciale mandatum habenti, licere pro Clauſuræ viſitatione ingredi ſepta Monaſteriorum Monialium Regularibus ſubjectorum, tametſi nulla rationabilis violatæ Clauſuræ ſuſpicio irrepſerit, & acriter reprehendit Rodericum, quod hac de re tam audacter loquutus fuerit. --

Sententia Roderici *q. q. Reg. tom. primo q. 47. art. 10.* eſt, -- Tridentinum eo decreto quinto ſeſſionis 25. non concedere Epiſcopis licentiam ingrediendi Monaſteria Monialium ſubje-
9 cta etiam Regularibus, ut videant, ſi Clauſura eſt inviolata, ſed tantùm concedere, ut poſtquam ſciverint eſſe violatam, procurent juxta terminos Juris ipſam reſtitui, & reſtaurari, monendo Prælātos dictorum Monaſteriorum, ut Clauſura reſtauretur: quod ſi admoniti intra ſex menſes, hoc emendare neglexerint, tum iidem Epiſcopi, etiam, ut Legati Sedis Apoſtolicæ, eorum defectum auctoritate Apoſtolica poſſunt ſupplere. -- Hæc ille ibidem, ſed nimis laxo calamo, ideo à Congregatione reprehenditur.

Tale mandatum eſt in Vicario neceſſarium, ut licentias
10 ingrediendi Monaſteria concedere valeat, prout in una *Mediolanen. lib. 2. Dec. fol.* 174. eadem S. C. firmavit.

Cæterum in viſitatione Monialium Regularibus ſubje-
11 ctarum ſunt ab Ordinariis obſervandæ Reſponſiones Sacræ Cong. Conc. ad dubia, eidem ſuper ea re propoſita à P. Franciſco de Monelia Min. de Obſ. Procuratore Generali.

I. An Epiſcopus viſitaturus Clauſuram Monialium Regularibus ſubjectarum teneatur ante acceſſum, ejuſdem Monialibus præfinire diem, & horam viſitationis?

II. An in Eccleſiis earumdem Monialium, non curatis, viſitare poſſit Sanctiſſimum Sacramentum, Oleum Infirmorum, Confeſſionalia, Sepulturas, ac Reliquias inibi exiſtentes, & quatenus affirmativè?

III. An in caſu reſiſtentiæ Monialium poſſit Fores Eccleſiæ frangere, Tabernaculum violenter aperire, Eccleſiam interdicere, & Euchariſtiæ Sacramentum ad aliam Eccleſiam transferre?

IV. An Epiſcopo Monaſteriorum Clauſuram viſitare volenti, dictæ Moniales teneantur erigere in Eccleſia exteriori, vel interiori Sedem cum Baldacchino, vel ſolummodò ſufficiat illi ſtratum præparare in utraque Eccleſia?

V. An

V. An Epiſcopus dictam Clauſuram viſitaturus præterquam Conviſitatores, poſſit pro ſuo libito ſecum ducere intus Monaſterium alias perſonas, ſive Eccleſiaſticas, ſive Seculares, indeterminatè, vel incertè, & præfixo numero?

VI. An Epiſcopum dictorum Monaſteriorum Clauſuram viſitaturum teneantur Moniales omnes excipere perſonaliter cum Cruce, & Cantico Benedictus?

VII. An dictæ Moniales teneantur in ipſo Clauſuræ ingreſſu adornare ſtratum, ibique genuflectenti Epiſcopo, Monialis aliqua porrigere debeat Crucem deoſculandam?

VIII. An Epiſcopus Clauſuram ingreſſus poſſit pro ſuo libito convocare dictas Moniales omnes in Choro interiori, aut in alio loco, & ad eas ſermonem habere?

IX. An abſolutè, & indifferenter viſitare poſſit Cellas dictarum Monialium, etiam quò ad non pertinentia ad Clauſuram.

2 Ad quæ die 19. Januarii 1686. Sacra Cong. S.R.E. Card. Conc. Trid. Interpretum reſpondit.

Ad I. Negativè.

Ad II. Cenſuit dandum eſſe Decretum in Florentina Juris viſitandi tenoris infraſcripti -- An Archiepiſcopus, ſeu, de ejus mandato, Vicarius generalis, poſſit viſitare Sanctiſſimum Sacramentum, Olea Sacra, Confeſſionalia, & Sepulturas in Eccleſiis Monialium Regularibus ſubjectarum? -- die 29. Julii 1684. S. C. C. Reſp. negativè, niſi in his, quæ concernunt obſervantiam Clauſuræ, & quatenus non adſit legitima conſuetudo in contrarium.

Ad III. Negativè, niſi in caſibus ſpecialibus ad Clauſuram.

Ad IV. Sufficere præparationem ſtrati.

Ad V. Servandas eſſe Conſtitut. Apoſtolicas -- Greg. XIII. Dubiis, quæ emergunt -- Nos omnem exitationis materiam tollere, & viam ſcandali præcidere, ac Sanctimonialium quieti conſulere volentes, harum tenore auctoritate Apoſtolica declaramus, Prælatos omnes, tam ſeculares, quàm Regulares, quibus cura, & regimen Monaſteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi Monaſteria prædicta, ita demum uti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſariis, & à paucis, iiſque ſenioribus, ac Religioſis perſonis, comitati.

Ad VI.

Ad VI. Negativè.

Ad VII. Itidem negativè.

Ad VIII. Poſſe.

Ad IX. Negativè.

Non eſt in poteſtate Confeſſarii Monialium Clauſuram, quoties ſibi placuerit, ingredi, ſed ſolùm in caſibus, pro quibus ei permittitur. *Alex. VII. Conſtit. ſuperiùs cit. his verbis*:
13 -- Ad hæc Confeſſor Sanctimonialium, tam ordinarius, quàm extraordinarius minimè ingrediatur ſepta Monaſterii, niſi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis miniſtranda Monialibus, vel aliis perſonis infirmis, ibi degentibus, nec non ad commendandam Animam Agonizantium; nec unquam ingrediatur, niſi cum Socio, qui ſit probatæ vitæ, & maturæ ætatis, & ſemper maneat in ea parte Monaſterii, qua Confeſſorem videre, & ab ipſo videri poſſit. --

Semper tamen debet cum Cocta, & Stola ingredi *S. C. 29. Januarii* 1627. *Nicol. Flaſc. verb. Clauſura n.* 30. Non poteſt ingredi ad celebrandam Miſſam, eadem 2. *Januar.* 1601. *ibid. n.* 38. in quo corrigendus *Lantuſca verb. Clauſura n.* 8., neq; ad benedicenda Sabbato Sancto, vel alio tempore, Monaſterium, & Monialium Cellas *S. C.* 4. *Septembris* 1596. *ibid. num.* 26.

Colligitur, Socium Confeſſarii, alioſq; aſſumendos à Superioribus Regularibus, tempore viſitationis Clauſuræ, debere
14 eſſe ætatis quadraginta annorum, quia hujuſmodi præſumitur ætas matura in ſenſu Conſtitutionis; ſicut aliàs S. C. ſuper ſtatu Regularium (licet ad alium effectum) declaravit id intelligi per ætatem maturam *Lantuſc. verb. Conventus ſub n.* 14. *ad* 21.; & pro Sociis Confeſſariorum Monialium Ordini Min. de Obſ. ſubjectarum ſtatuunt Conſtitutiones generales *Sambuc. cap.* 11. §. 17. *n.* 2.

Pro facultate concedendi licentias ingrediendi Clauſuram Monialium Trid. utitur disjunctiva *vel*: -- Ingredi au-
15 tem intra ſepta Monaſterii nemini liceat cujuſcunque generis ſexus, vel ætatis fuerit ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia, in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. -- Ex quibus inferri poteſt ad licitum ingreſſum ſufficere obtinuiſſe illam, vel ab Epiſcopo, vel à Superiore Regulari.

Verùm, ubi conſuetudine legitimè præſcripta introductum eſſet, quod à ſolo Epiſcopo concederentur, vel conjunctim ab Epiſcopo, & Superiore Regulari, eſſe conſuetudinem ſervandam, cenſuit *S. C. C. 7. Julii* 1557. *Theatr. Reg. verb. Clauſura n.* 13., & non eſſe à Superioribus Regularibus petendas in locis, in quibus adeſt conſuetudo, ut ab Epiſcopis tantum concedantur, refert *Pignat. tom. & conſul. cit. n. 3. ſub die* 21. *Maii* 1630. Urbanum VIII. id declaraſſe, ad revocanda dubia, quæ oriri potuiſſent occaſione Decreti ab eadem *S.C. ſub die* 13. *Novembris* 1610. editi, quo decreverat, -- ut deinceps intra hujuſmodi ſepta nemini ingredi, nec alloqui liceat, niſi licentiæ concedendæ in caſibus neceſſariis, quæ Moniales reſpiciant, nedùm à Superioribus Regularibus dictorum Monaſteriorum, ſed etiam à locorum Ordinariis obtentæ fuerint. --

16 Ex quibus liquet facultatem ipſas concedendi non competere Regularibus privativè quò ad Epiſcopum; inſpectis etiam privilegiis iiſdem, quo ad hæc, alias conceſſis, cum eodem Decreto revocentur per clauſulam *non obſtantibus &c.*

17 Qui autem ab Epiſcopo, vel alio Superiore licentiam ingrediendi in caſibus neceſſariis obtinuerint, ſi præter ipſos, vel quando neceſſitas ceſſaverit, ingrediantur, & licentiis abutantur, in excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt, ex Conſtitutione *Ubi gratiæ Greg. XIII. ſub Idibus Junii* 1575. *Bull. Cherub. tom.* 2. *pag.* 393., ubi: -- Quin etiam ſub eiſdem pœnis (excommunicationis ſcilicet Papæ reſervatæ Beneficiorum, & Officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia, de quibus ſuperiùs) ipſo facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis, & ſecularibus, ac etiam Ordinum quorumcumque, etiam Mendicantium, Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Epiſcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in caſibus neceſſariis tantùm ex Dec. C. Trid. tribuitur, nè Monaſteria ipſa Monialium pro libito, ſed neceſſitatibus urgentibus dumtaxat, ingredi, neve Moniales ſub eiſdem pœnis illos aliter admittere præſumant. --

Ad quæ notat *Fagnanus cap. nuper de ſententia excomm. pag.* 168. *num.* 17. *& aliis*, ingredientes ſepta Monaſteriorum, & non ſub prætextu licentiarum, ſed propria auctoritate, non

incur-

incurrere in excommunicationem, ex vi Conſtitutionis prædictæ, Sedi Apoſtolicæ reſervatam; & ita eſſe ab eodem Gregorio declaratum, teſtatur *num.* 36.

Tamen, ſi ingreſſus propria auctoritate factus ſit ad malum finem, caſus erit Sanctæ Sedi reſervatus juxta decretum Sac.Congr.Epiſc.Clem.VIII. juſſu editum ſuper abſolutione à caſibus reſervatis ſub *die* 26. *Novembris* 1602. de quo ſuperius *cap.offic.quo ad reſervata.*

Si verò non ad malum finem, habet locum pœna excommunicationis per Trid. *loc.cit.*

Etiam Prælatis, aliiſq; Monaſteriorum Monialium curam habentibus, extra caſus neceſſarios, idem Gregorius *Conſt. dubiis, quæ emergunt* 23. *Septembris* 1581. *Bull. Cherub. tom.*2. *pag.*393. prohibet ingreſſum, ſtatuens contra ingredientes, non ſervata forma in Conſtitutione præſcripta, pœnas prout ſequitur: -- quod ſi contrafecerint &c. decernimus, qui Pontificalis Dignitatis fuerint, eos pro prima vice, qua contrafecerint, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictos, pro ſecunda à munere Pontificali, & à divinis ſuſpenſos, ac deinceps ipſo facto abſque ulla declaratione excommunicatos exiſtere; Regulares verò omni officio, ac miniſterio privatos excommunicationi ſimiliter ſubjacere; -- nec ex verbis Conſtitutionis conſtat eam Sanctæ Sedi reſervaſſe, ut ibidem *num.* 39. idem notat Fagnanus.

Reſervatur tamen Sedi Apoſtolicæ excommunicatio, quam Moniales, exeuntes extra caſus permiſſos è Monaſteriis, omneſque alii concedentes licentiam, comitantes, & recipientes, incurrunt ex Conſtitut. Pii V. *Decori Kal. Septembris* 1569. *Confectius Coll. Privil. Mend. pag.* 192.

Super quo notetur Decretum Sac. Congr. apud Lezzana. *Sum. qq. Reg. tom.*3. *v. Clauſura n.*13. -- Monialibus licentiam concedere exeundi à Clauſura non licet Ordinariis in aliis, quantumvis gravibus, caſibus in Conſtitut. Pii V. non contentis, niſi in caſu lepræ, magni incendii, & epidemiæ. -- In aliis propterea eſt ad Apoſtolicam Sedem recurrendum.

De Moniali Energumena, ſic apud eumdem *num.*28. Sac. Congreg. diſponit: -- Monialis nulla energumena infra Monaſterii ſepta à quocumque Presbytero Seculari, vel Regulari, 18 etiam Confeſſario, exorcizetur, ſed ad Eccleſiam exteriorem

ejuſ.

ejuſdem Monaſterii, obtenta prius à S.Cong.licentia, ea de cauſa deducatur, vel transferatur. --

In caſu per Clauſuram venit illud ſpatium, quod intra
19 januam Monaſterii continetur, ad quod ſecularibus eſt prohibitus ingreſſus, & extra quod Moniales non poſſunt egredi, quin leges clauſuræ tranſgrediantur, quod Gregor.XIII. *Conſt. Deo ſacris* apud *Bull.Cherub.tom.2.pag.368. §.6.* declaravit his verbis: -- Declaramus prӕterea nullis Monialibus,etiam Tertiariis, licere habere oſtium, per quod ex Monaſterio introiri poſſit ipſam Monialium Eccleſiam exteriorem, in quam ſecularibus ad Miſſas, & Divina Officia patere ſolet acceſſus, ſed omnino muro obſtruendum, neque itidem licere Monialibus, etiam Tertiariis, egredi à janua Monaſterii, quæ eſt pro Clauſura ipſius Monaſterii, etiam ad claudendam aliam ulteriorem januam, qua parte ſolet aditus ſecularibus venientibus, vel ad Rotam, vel ad crates, ſeu loca colloquiis deſtinata, quæ vulgò Parlatoria vocantur, vel ad pulſandum ipſam januam Clauſuræ; quæ loca, cum ſaltem pro cauſis prædictis, patere ſoleant ſecularibus, extra Clauſuram cenſeri debent, etiam quo tempore clauſa ſunt.

Ex quibus ſequitur toties Clauſuram violari, quoties
20 ex Monialibus aliqua toto corpore ſe ponit extra Clauſuræ terminum, quia de ipſa verificatur, quod ſit egreſſa contra diſpoſitionem Gregorii, qui utitur verbis: *Nullis liceat egredi*, etiam ſi egradiatur ad breve tempus,quod per Trid. *ſeſſ.25. de Reg.& Mon. cap.5.* expreſſe interdicitur.

In quo parvitas materiæ, quæ excuſet à peccato violatæ Clauſuræ,conſideratur per Donatum *Prax.Regul.tom.4.tract.4.*
21 *quæſt.25.* ex parte actus Monialis, perfecti vel imperfecti. Et quia reſpectu perſonæ non eſt actus completus, & perfectus, ſed incompletus, extenſio brachii, vel pedis extra Clauſuram, ideo eo caſu Clauſura non violatur; ſicut violatur, cum Monialis toto corpore extra terminum illius ſe ponat, licet in Rota, ſi per eam ad partem exteriorem, ad quam eſt ſecularibus, liber acceſſus, ſe transferat, quamquam ex ipſa non deſcendat.

An vero Tectum ſub Clauſura contineatur? affirmativè reſolvitur cum S. Cong.1609.*die* 18. *Septembris Floſ.Nicol. verb.Monialis num.*35.quæ abſolvi commiſit quaſdam Moniales,

les, quæ ſupra Tectum bona fide aſcenderunt, cum ſpeciali prohibitione illuc ultra aſcendendi, propter quamcumque causam.

CAPUT VIII.

Officialis quoad Conciones.

SUMMARIUM.

1 *Approbatio, & licentia Superioris eſt neceſſaria in Regularibus ad concionandum.*
2 *Peti debet benedictio ab Ordinario.*
3 *Si Epiſcopus contradicat, nec in propriis Eccleſiis prædicare poſſunt.*
4 *Omnes unius Conventus ſuſpendere nequit.*
5 *Neceſſitas benedictionis petendæ, quos caſus, & loca comprehendat?*
6 *Cum Epiſcopus prædicat, Regulares taceant, ſi ipſe velit.*
7 *Poſſunt prohiberi, ne prædicent, cum prædicatur in Parochiali.*
8 *Ad prædicandum in Eccleſiis, non ſuorum Ordinum, egent etiam licentia Epiſcopi.*
9 *Poteſt Epiſcopus examinare Regulares prædicaturos in Eccleſiis alienis.*
10 *Ex privilegio Provinciales Minorum poſſunt concionatores approbare.*
11 *Stipendia concionatoribus debentur, & à quibus?*
12 *Regulares non ſibi, ſed Monaſterio, ea acquirunt.*
13 *Fratres de corpore Obſervantiæ pecunias concionum recipere nequeunt.*
14 *Collatio ſtipendii pro concionibus non eſt ſimoniaca.*
15 *Finis concionatorum qualis?*
16 *Diſpoſita ab Alexandro VII. pro concionatoribus Monialium, præſertim Urbis.*

Nul-

NUlli Regularium concionari, etiam in ſui Ordinis Eccleſiis, conceditur, quin prius per ejuſdem Superiores, prævio morum, & ſcientiæ examine, ad exequendum munus approbetur, & licentiam abtineat, prout in terminis decrevit Trid. *ſeſſ.5. cap.2.*
1 *de ref.* -- Regulares verò cujuſcumque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicare non poſſint. --

At, id non ſufficere, ſed ulterius Ordinarii benedictionem eſſe petendam, ſubdit, --, cum qua licentia perſonaliter ſe co-
2 ram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. --

Quod ſub anno 1622. *nonis Februarii Conſt. Inſcrutabili Bull.Cherub.tom.*3. Gregorius XV. & deinde Clem.X. 10.*Kal. Julii* 1670.*Conſt.Superna magni*, confirmarunt.

Neque eſt neceſſe quod petens eam obtineat, ut per hæc ipſe Clemens decrevit: -- Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere, prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint.

Intelligitur tamen, ſi Epiſcopus non prohibuerit; quia in caſu Pontifex ibidem (ſed prius Trid. *ſeſſ.*24. *cap.*4.) clare exprimit non licere; -- quod ſi Epiſcopus benedictionem, nedum
3 non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare. Et ſtatim ſubdit: Epiſcopum tamen abſque juſta, & ratiobabili cauſa contradicere non debere. --

Quam non teneri Regularibus ſignificare, cum aliis teſtatur *Antonellus de regim.Eccleſ.lib.*7.*cap.*13.*ſub num.6.*

Et videtur eſſe juxta tenorem Conſtitutionis, in qua §. *& cos*, ſtatuitur Epiſcopum non teneri ſignificare Regularibus cauſas, ob quas, Confeſſarios à ſe ſimpliciter approbatos ad Confeſſiones ſecularium, ab iiſdem audiendis ſuſpendat.

-- Non poſſe tamen Epiſcopũ generatim prohibere Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum predicent:: Idem Cle-
4 mens ſubjũgit. Propterea ad tempus poteſt in eiſdem officium prædicationis, per aliquos Religioſos exercendum, interdicere,

at non pro ſemper, & cum ſingulorum excluſione.

Neceſſitatem benedictionis petendæ ibidem extendit Pontifex, etiam ad alios caſus,& loca his verbis: --Et hujuſmodi benedictionem teneri, etiam Regulares, petere, ſi in quibuſcumque Oratoriis ſui Ordinis ſermonem coram populo, vel in
5 Eccleſiis, aut ad crates Monaſteriorum ſanctimonialium eorum juriſdictioni ſubjectarum, licet clauſis januis, & nullus ſecularis ibi interſit, habere voluerint. --

Unde apparet Pontificem loqui, tam de prædicatione, quæ habeat tractum ſucceſſivum, in qua ſcilicet poſſit aſſegnari principium, medium, & finis; ut poteſt in ea ad longum tempus,Quadrageſimæ,ſcilicet, Adventus,& per annum; quam de illa, quæ unico abſolvitur actu; ut evenit in Sanctorum feſtis, in quibus ab uno, vel altero habetur ſermo ad populum. Ut in una Vercellen.reſoluit S.Cong.Conc.31 *Martii* 1643. *Pignatel.tom.*1.*Conſul.*268.

Verùm non eſt neceſſe, quod pro ſingulis concionibus quadrageſimæ,& ad aliud longum tempus continuatis, ſingulis diebus petatur benedictio, ſed ſat eſt petere in principio, & obtinere. Quod certè eſt juxta mentem Trid. *ſeſſ.*5. *cap.*2. in illis, *antequam prædicare incipiant.*

Hora, qua, vel ipſe Epiſcopus prædicare, vel ab alio ſolemniter, & non privatè, concionem audire velit, debent Regulares à concionibus in Eccleſiis propriis ceſſare; ſi ſic ipſe diſpoſuerit, & clare habetur in Clementina *Dudum de ſepult.in 6.lib.*3.*tit.*7. §.*nos autem &c.* -- Ordinamus, ut dictorum Ordinum (Prædicatorum, ſcilicet, & Minorum) Fratres in Eccleſiis, & locis eorum, ac in plateis communibus, liberè valeant Clero, & Populo prædicare, ac proponere Verbum Dei: hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram ſe facere ſolemniter prædicari. --

Imo prohibere poteſt, nè in ſuis prædicent tempore, quo in Eccleſia Parochiali prædicatur: & hunc eſſe ſenſum Trid. *ſeſſ.*24.*cap.*4.conſtat ex textu: -- Moneat (Epiſcopus) populum diligenter teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi
7 commodè id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei; nullus autem Secularis, ſive Regularis (eo tempore) etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat. --

-- In

-- In Eccleſiis verò (ſequitur Trid.*cap.2.cit.*quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur; ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum, nullo modo prædicare poſſint; ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant. -- Quod confirmat Greg.XV.*Conſt.Inſcrutabili.*

Non solùm pro Eccleſiis non ſuis egent licentia,ſed etiam ſi in plateis, aliiſque locis prædicare velint,ut habetur in Trid. *ſeſſ.5. cap.2. & ſeſſ.24. cap.4.* ubi utitur adverbio *etiam*, quod ampliat præfata decreta ad ſenſum, ut nulli Regularium liceat prædicare in aliquo loco, quicumque ſit, ſine benedictione,vel licentia Epiſcopi, aut Epiſcopo contradicente; *etiam ſi* in Eccleſiis proprii Ordinis eſſet concionaturus. *Donat. Prax. Reg. tom.3.tract.6.quæſt.19.*

Et quia non ſumus in iis, quæ ſpectent ad Ordinem, ſed ad juriſdictionem, nomine Epiſcopi venit quilibet Ordinarius loci, quamquam Epiſcopus non ſit.

Ab Epiſcopo facultatem concedente, item examinari poſſunt, Clem.X. ibidem: -- Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus, in Eccleſiis, quæ ſuorum Or-
9 dinum non ſunt, prædicare volentibus, illos quamvis ab Univerſitatibus, aut Magiſtratibus laicis nominatos, etiamſi Epiſcopi anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare: ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit. Et licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam ob rationabiles cauſas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, ſuſpendere.

In Ordine Fratrum Minorum ex vi Regulæ ſolus Gene-
10 ralis poſt Prædicatores approbare, ex Privilegio tamen Clementis IV. Conſt. *Virtute conſpicuos §. 6.Bulla.Cherub. tom.1.* conceditur Provincialibus, & Definitoribus in Capitulis Provincialibus congregatis; ſub quibus veniunt etiam Congregationes intermediæ, vim Capituli habentes *Marcant. in cap. 9. Regulæ S. Franciſci tit. unico q. 1. Concl. 2.*

Quantum ad alimenta, & ſtipendia Concionatoribus debita *Trid.ſeſſ.24. cap. 4.* per hæc modum præſcribit: -- In Eccleſia ſua mandat, ut ipſe (Epiſcopus) per ſe; in aliis autem
11 Eccleſiis per Parochos (ſcilicet prædicent) ſive iis impeditis,

per

per alios ab Epiſcopo, impenſis eorum, qui eas præſtare, vel tenentur, vel ſolent, deputandos. --

Tenentur autem, qui Prædicatores nominant, & eligunt, aliique, qui quamquam eundem non eligant, conſueverunt tamen eidem ſtipendia præſtare. Si conſuetudo non adſit, obligari Parochum de redditibus Beneficii, firmat *Sperellus deciſ.* 70. *num.* 15.; & ſi non ſufficiant, cogendus eſt Populus in ſubſidium, niſi aliunde certi reperiantur redditus, ad id relicti.

Sibi tamen Concionatores, ſi ſint Regulares, tale ſti-
12 pendium non acquirunt, ſed immediatè Monaſterio *Donat. Prax. Regul. tom.* 1. *part.* 2. *tract.* 11. *qu.* 3. *num.* 1. & in terminis *cap. exiit in ſexto lib.* 5. *de verborum ſignificatione tit.* 12. §. *ne talium*: -- Monachus res ſibi oblatas, conceſſas, vel donatas Monaſterio acquirit. -- *Et Trid. ſeſſ.* 25. *de Regul. & Monial. cap.* 2. -- Nemini igitur Regularium, ait, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuſcumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur, & Conventui incorporentur. -- *Vid. Conſt. Urb. VIII. Nullus Bull. Cherub. pag.* 61. *tom.* 4.

Pro illis de corpore Obſervantiæ, ſive ſint Obſervantes, ſive Reformati, Diſcalceati, & Recollecti (quibus ex Regula, & Conſtit. Nicolai III. Clem. V. & Innoc. XI. eſt prohibita quælibet civilis receptio, & contrectatio pecuniæ) Capit. Generale *Tolet.* 1633. *tit. de Prædicatoribus*, cujus ſtatuta olim confirmata fuere ab Urbano VIII. *Orb. Seraph. tom.* 4. *tit. de Prædicatoribus*, ſic ſtatuit: -- Prædicatores quicunque eleemoſinas Prædicationis prætextu oblatas penitùs non recipiant; nec de illis ſub quovis prætextu, vel quæſito colore, diſpone-
13 re, aut quomodolibet tractare præſumant, & audeant, ſed, ſi abſoluta Prædicatione, vel ante contigerit fieri à quo vis genere Perſonarum, Prædicatoribus ipſis eleemoſynarum oblationem, reſpondeant; Syndicis Conventuum dumtaxat liberè, & integrè tranſmittendam, & conſignandam fore. Addit contra tranſgreſſores pœnas. Quod ſi conſtiterit quempiam Prædicatorum per ſe, aut per alios pecuniam recipere, vel recepiſſe, proprietatis pœna omnino puniatur, & actibus le-

gi

gitimis per ſexennium privetur: quam pœnam etiam Guardiani ſubeant, ſi eorum culpa, vel negligentia contrafieri contigerit. -- Quod totum in forma ſpecifica *Conſt. exponi nobis ſub die* 16. *Octobris* 1685. confirmavit Innocentius XI. *Directorium Trium Ordinum Conſt.* 6. eamdem per extenſum referens.

Neque excuſatur quis ab onere præſtandi Concionatori, præter alimenta, ſtipendium, ex capite, quod talis conſuetudo, vel pactio de mercede ſit nutritiva peccati, ut pote ſimoniaca; quia eſſet verum, quando daretur pro ipſa concione, ut actio ſpiritualis eſt: pro qua certe merces minimè da-
14 tur; ſed confertur dumtaxat pro ſervitio, laboribus extrinſecis per accidens adiunctis, præviis, vel comitantibus ipſam actionem ſacram; ut eſt, ſe conferre de loco ad locum, locare ſuam libertatem, ac ea ſe privare, ſe obligando ad prædicandum in tali loco, & pro tanto tempore, Quadrageſimæ, Adventus, vel alio: ad quæ gratis pręſtanda quis non obligatur; quæ omnia ſunt quid temporale, & pretio extimabile, adeoque digna mercede, quæ ſine labe ſimoniaca conferri poteſt, ut cum aliis tenet *Engell. Collect. Univ. Jur. Can. lib.*5. *tit.* 3. §. 3. *num.* 15.

Ex quo plures volunt poſſe Concionatorem, quin ſimoniacus cenſeatur, quærere Concionem, in qua pinguiores colligantur eleemoſynæ; qui licèt in caſu ex dictis, à ſimonia, non tamen ab avaritia ſpirituali, excuſatur, cùm potius quæ-
15 renda ſint loca ad Deo fructificandum aptiora, quàm ad ſibi temporalia lucranda *Sperell. dec.*70. *num.*14.

16 Pro Concionatoribus in Eccleſiis Monialium, præſertim Urbis Alex. VII. *Conſt. Sacroſancti ſub die* 20. *Februarii* 1657. §. 4. decrevit, ut infra: -- Confeſſores, quoque, & Concionatores nihil omnino quovis prætextu à Monialibus accipere poſſint ſub eiſdem pęnis (ibidem ſuperius enumeratis) præter duos Julios monetæ prædictictæ in pecunia enumerata, ſi per Inſtitutum regulare licuerit; pro quotidianis eorum alimentis ad tempus ſervitii præſtiti, & non ultra, Procuratori Conventus reſpective ſolvendos; ſin minus equivalentem vini, frumentique portionem Syndicis conſignandam. --

CAPUT IX.

Officialis quoad Confeſſarios Monialium.

SUMMARIUM.

1 *Moniales quolibet Menſe Confeſſionem faciant.*
2 *Confeſſarii, etiam Eſemptarum, ab Ordinario approbandi.*
3 *Non ſufficit eſſe approbatos ad Confeſſiones Secularium.*
4 *Approbatus pro uno Monaſterio, non cenſetnr pro alio.*
5 *Approbatio Confeſſariis extraordinariis neceſſaria, & quoties.*
6 *Colloquia probibita cum Monialibus, & Pænæ.*
7 *Prohibitio commorandi propè Monialium Monaſteria.*
8 *Modus obſervandus ab Ordinariis in approbatione Confeſſorum Monialium.*
9 *Triennium præſcribitur Confeſſariis Ordinariis.*
10 *Quadrageſimus Annus eſt in eis neceſſarius.*
11 *Confeſſarii tempore Jubilei debent approbari ab Ordinario.*
12 *Nomine Prælati intelliguntur, etiam Epiſcopi.*

DE rigore præcepti obligantis ſub mortali, (niſi per propria Monaſteriorum ſtatuta, aliter ſit proviſum,) non tenentur Moniales, niſi ad annuam confeſſionem, ſicut cæteri Fideles; nihilominus Sacrum Conc. Trid. ſaltem quolibet menſe, ſemel confiteri deſiderat, & ideo *ſeſſ.* 25. *de Reg.*, & *Mon. cap.* 10. ſic diſponit: -- Attendant diligenter Epiſcopi, & cæteri Superio-
1 res Monaſteriorum Sancti-Monialium, ut in Conſtitutionibus earum, admoneantur ſanctimoniales, ut, ſaltem ſemel ſingulis menſibus, confeſſionem peccatorum faciant.

2 Quarum Confeſſarii debent eſſe ab Ordinario loci approbati, etiam pro illis, quæ Regularium gubernio ſubſunt: at pro iſtis eorumdem præſentatio, & deputatio à Superioribus Regularium fieri debet, ut conſtare poteſt ex Conſtitutione *Inſcrutabili* Gregorii XV.: -- Confeſſores verò, ſive Regulares, ſive Seculares quomodocumque exempti, tam Ordinarii, quàm extraordinarii ad confeſſiones 'Monialium, etiam Regula-

gularibus ſubiectarum, audiendas, nullatenus deputari (ſcilicet per Regulares) valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. --

Quod ex Tridentino loc. cit. item liquet: -- Præter Ordinarium autem Confeſſorem, alius extraordinarius ab Epiſcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur.

3 Nec ſufficit eoſdem approbatos eſſe ad Secularium confeſſiones, ſed eſt neceſſaria ſpecifica approbatio pro Monialibus, in terminis Conſtitutionis *Superna* Clem. X. *alibi cit.* --- Et generaliter (Religioſos ſcilicet) approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum Secularium confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium, ſibi ſubiectarum, ſed egere quo ad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione. --

Qua item eget approbatus pro uno, cum non cenſeatur
4 pro aliis approbatus, quia ſubdit, -- atque approbatos pro audiendis confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterii.

Ubi pro Confeſſoribus extraordinariis addit: --- itidemque Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice
5 audiendas, haud poſſe, expleta deputatione, in vim approbationis hujuſmodi illarum confeſſiones audire; ſed toties ab Epiſcopo eſſe aporobandos, quoties caſus deputationis contigerit. --

Utrique extra actum confeſſionis ſub non levibus pœnis interdicuntur cum Monialibus colloquia, ab Alex. VII. Con-
6 ſtitutione *Sacroſancti* 20. *Februarii* 1657., in qua §. 2. ex verbis narrativis conſtat, aliàs id per Sanctam Sedem fuiſſe decretum; quod & ipſe §. 3. innovat, & confirmat, (& præſertim pro Monialibus Urbis) & §. 4. addit: -- Præterea interdicimus omnibus, & ſingulis prædictis ſub eiſdem pariter pœnis, colloquia quæcunque cum Sanctimonialibus prædictorum Monaſteriorum (comprehenſis etiam Abbatiſſis, Prioriſſis, & Officialibus) extra actum confeſſionum, Concionum, aut viſitationum hujuſmodi. --

Pœna autem, quam §. 5. in Tranſgreſſores apponit, eſt illa privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac officiorum: reintegra-

tegratione ſibi, & Succeſſoribus Romanis Pontificibus, reſervata.

Et Conſtitutione *Felici* 13. *Kal. Novembris* 1664. plura pro iiſdem idem diſponit prout ſequitur: --- Inſuper diſtrictè præcipimus memoratis Superioribus Regularibus, ut infra terminum duorum menſium, à publicatione præſentis Conſtitutionis computandorum, revocent ad Clauſtra Confeſſores, eorumque Socios, Concionatores, & alios quoſcumque Regulares apud Monaſteria Sanctimonialium, vel aſſiduè, vel ad
7 tempus quocunque titulo pernoctare ſolitos, neve permittant eoſdem, ſeù alios Regulares intra, ſeù prope ſepta Monaſteriorum hujuſmodi habitare, vel commorari. --- Et inferius præſcribit modum obſervandum, quò ad Monaſteria exiſtentia extra Civitates, vel Oppida.

Modus autem in Ordinariorum Confeſſorum approbatione ab Epiſcopis obſervandus ſequenti epiſtola Ordinario Catanen. à Sac. Cong. Epiſcoporum, & Reg. *ſub die* 4. *Maii*
8 1696. directa, continetur, ut infra: *Referito in Sacra Congregatione dall'Eminentiſſimo d'Adda tutto tutto ciò, che V. S. ha rappreſentato in ordine all'approvatione fatta da lei per un ſol anno del Confeſſore ordinario, deputato dal Provinciale della Provincia Oſſervante di Sicilia per le Monache del Monaſtero di S. Chiara d'Adernò di coteſta Dioceſi, ſoggetto all'Ordine de' Minori Oſſervanti di S. Franceſco, queſti Eminentiſſimi miei Signori ſono ſtati di ſenſo, ch' Ella, ò ammetta il Confeſſor deputato à compire il Triennio, ò aſſolutamente lo rigetti; e che in auvenire debba così oſſervarſi dal principio dell'approvazione di ſimili Confeſſori. Glielo ſignifico, & il Sig. Dio la proſperi.*

Triennio dumtaxat à die obtente Patentis Confeſſarii ordinarii durant; eoque elapſo, ſub pena ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus non poſſe amplius in eodem Monaſterio per aliud triennium confeſſiones audire, pluries reperitur
9 à Sac. Cong. diſpoſitum *Floſc. Nicol. verb. Monialis num.* 43. *& verb. Confeſſarius num.* 36. & pro aſſumptis de Ordine Min. de Obſ: *Conſt. Sambucanæ cap.* 11. §. 17. *num.* 5. ſic diſponunt: -- Confeſſores, & Vicarii Monialium non poſſunt durare ultra triennium in eodem Conventu, nec denuo inſtitui poſſunt, niſi triennio vacaverint. -- Et exigunt quadrageſimum ætatis annum *num.* 1. quod extendi etiam debet ad

10 Con-

10 Conſeſſores extraordinarios ; & pro Reformatis declaravit S. Cong. Concil. in una *Caſentina ſub die* 26. *Novembris* 1689. *lib.* 39. *Decr. fol.* 340. *à tergo* .

Vigore Jubilei nequeunt Moniales eligere in Conſeſſorem Sacerdotem , ad illarum conſeſſiones audiendas non approbatum , juxta textum Conſt. Gregorii , & Clementis ;
11 prȩſertim etiam , quia non approbatus in ſpecie pro Monialibus , idoneus ad illas non judicatur, ſicut approbatus reſtrictè pro viris , non cenſetur idoneus pro fȩminis .

At dubium poteſt eſſe de approbato pro uno Monaſterio: an vigore Jubilei poſſit eligi à Monialibus Monaſterii diſtincti? Et reſolvendum eſt negativè ex verbis Clementis , qui abſolutè , & ſimpliciter ſtatuit , -- approbatos pro audiendis conſeſſiones Monialium unius Monaſterii , minimè poſſe audire Conſeſſiones Monialium alterius Monaſterii .

Et in aliis terminis , reperitur diſpoſitum ab Urbano VIII. *Conſt. In ſpecula* 19. *Iunii* 1630. *Bull. Cherub. tom.* 4. *pag.* 165. declarante Bullam Cruciatæ , & cætera indulta Regularibus , & Monialibus non ſuffragari , quantum ad illum articulum eligendi Conſeſſarium independenter à ſuis Superioribus Prælatis ; Nomine autem Prælati in re ad Conſeſſionem ſpeſtante , in caſu veniunt , & ipſimet Epiſcopi ; ſine
12 quorum licentia nullus,etiam Conſeſſarius,aliàs approbatus, excepto actualiter deputato , poteſt ad Monaſterium Monialium accedere . Quæ ſententia videtur ſecurior , & quo ad praxim comunior; adeout , qui ſine hujuſmodi Ordinarii deputatione id exequi non timeret , præter mortale peccatum , ob gravitatem materiæ , poſſet ab eodem , uti Sedis Apoſtolicæ Delegato , tamquam Apoſtolicarum Conſtitutionum traſgreſſor , & Epiſcopalis juriſdictionis perturbator , puniri .

C A P U T X.

Officialis quoad Confraternitates.

S V M A R I V M

1 *Quid Confraternitas?*
2 *Diſpoſita à Clemente VIII. ſuperConfraternitatum erectionibus.*

3 *Non limitantur erectiones Confraternitatum SS. Sacramenti.*

4 *Poſſunt Epiſcopi viſitare Confraternitates erectas in* Eccleſiis *Regularium.*

5 *Super quibus?*

6 *Quibus Caſibus Altaria ipſarum?*

7 *Patres Conventuales poſſunt Confraternitates Cordigerorum ubique locorum erigere.*

8 *Vbi Conventuales non ſunt, Obſervantes.*

9 *Facultas eas erigendi præfatis convenit privativè quoad alios quoſcunque.*

10 *Diſtinctio Confraternitatis Cordigerororum à Tertio Ordine S. Franciſci.*

11 *Confraternitates Roſarii erigunt Superiores Generales Ordinis Prædicatorum.*

12 *Conſtitutio Innocentii XI. erectionibus favorabilis.*

1 DOmine Confraternitatũ (deſumpta denominatione à Confratribus, hoc eſt, à quaſi Fratribus ſimul in pace, & charitate, ſub certis legibus, reſpicientibus divinum cultum, unitis) veniunt Collegia Perſonarum liberè ad exercitia pietatis exequenda congregatarum.

Quarum, ut una eſſet apud omnes erectionis, & aggregationis forma, Clemens VIII. ſub die 24. *Decembris* 1604. Conſtitutionem edidit, incip. *Quæcunque à Sede, Bull. Cherub. tom.* 3. *pag.* 160. in qua plura, quo ad hoc obſervanda, prę-
2 ſcribit, quæ ſummariè huc transfero.

I. Statuit unicam tantùm Confraternitatem ejuſdem Inſtituti, & generis poſſe in Eccleſiis locorum, & Regularium inſtitui, & aggregari.

II. Quod id fiat de conſenſu Ordinarii, & cum litteris teſtimonialibus ejuſmodi.

III. Quod Inſtituentes, vel Aggregantes Confraternitatem, eidem expreſsè, & in ſpecie communicent Privilegia, Indulgentias &c. Ordini inſtituenti, vel aggreganti nominatim conceſſa, non verò ea, quibus per Privilegium communicationis gaudet.

IV. Quod ſtatuta Confraternitatum examinentur, & approbentur ab Ordinario loci.

V. Quod

V. Quod in aggregandis, & inſtituendis Confraternitatibus ſervetur formula ab eodem Pontifice approbata.

VI. Quod Gratiæ, & Indulgentiæ Confraternitati communicatæ, prævia cognitione Ordinarii dumtaxat, promulgentur.

VII. Quod Confraternitas eleemoſynas, & alia charitatis ſubſidia excipiat juxta formam per Ordinarium præſcribendam.

VIII. Quod dictæ eleemoſynæ pro arbitrio Ordinarii in utilitatem Eccleſiæ, alioſque pios uſus erogentur.

IX. Quod Confeſſarii Confraternitatum ſint ab Ordinario approbati.

X. Quod, ſi ſint Regulares, à propriis etiam Prȩlatis, approbentur; & abſolvant Confratres juxta Privilegia eiſdem conceſſa, dummodo ſint in uſu, nec Concilio Tridentino, cæteriſque Pontificum Conſtitutionibus adverſentur.

XI. Quod Confratres non poſſint abſolvi à caſibus

1 Contentis in literis Bullȩ Cȩnæ.

2 Violationis Immunitatis Eccleſiaſticæ.

3 Violationis Clauſurȩ Monaſteriorum Monialium: ſi ingreſſus fuerit ſine urgenti cauſa, & abſque Superioris licentia, vel cum iſtius abuſu.

4 Iniectionis manus violentȩ in Clericum.

5 Singularis certaminis, ſeu Duelli.

6 Et ab aliis Sedi Apoſtolicȩ, & Ordinario loci reſpectivè reſervatis, & pro tempore reſervandis.

7 Nec non à quavis excommunicatione ab homine lata.

8 Neque ſuper irregularitatibus valeant diſpenſari.

XII. Quod literæ erectionis, & aggregationis gratis dentur.

Ultimo. Apponit pȩnas contra tranſgreſſores.

Et quamvis firmet unicam tantùm inſtitui debere; tamen, quantùm ad illam Sanctiſſimi Sacramenti, ſub die 7. *Februarii* 1607., cum approbatione Pauli V., S.Cong. Indulgentiarum declaravit, prout ſequitur: *Ma nell' inſtituire nuove Confraternite vogliono le Signorie Illuſtriſſime, che una ſola ſe ne*
3 *poſſa fare in qualunque Città, Terra, ò luogo, eccettuando però la Compagnia del Santiſſimo Sacramento, quale concedono, anzi deſiderano, che ſia eretta in ogni Chieſa Parrocchiale, non oſtante,*

che

che ci ſi trovi eretta prima qualſivoglia altra Confraternità -- *Laurentius de Franchis Contr. inter Epiſc. & Regul.* 1. *par. nu.*231. *Lantuſc. verb. Confraternitas num.* 9.

Diſponit Trid.*ſeſſ.*22. *cap.*8. *de reform.* habere Epiſcopos, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatos, jus viſitandi Confraternitates Laicorum, dummodo ſub immediata Regum
4 protectione non ſint; & cum exceptio firmet Regulam in contrarium, ſequitur eorumdem viſitationi omnes alias, exiſtentes etiam in Eccleſiis Regularium, ſubjici.

Ideo poſſunt, etiam iſtas in iis, quæ ad bonorum, ac redituum adminiſtrationem ſpectant viſitare; eaſque ad reddenda
5 da computa compellere; & ab iiſdem documenta exigere, quæ concludenter probent fuiſſe Miſſarum onera, (ſi quæ ſint) & alia pietatis opera, adimpleta. In quo Doctores conveniunt, & plura ſuper hoc edidit Sancta Sedes Decreta.

At dubitatur, an iiſdem liceat Capellas, & Altaria Confraternitatum in iiſdem Regularium Eccleſiis, & Clauſtris exiſtentium, viſitare?

Aliquibus reſolvendum videtur negativè, & inferunt ex ipſomet textu Concilii, tribuentis Ordinariis facultatem viſitandi Confraternitates; quæ ſecundum Doctores à Capellis, & Altaribus diſtinguuntur; & cum in odioſis non fiat extenſio: limitantur ex conſequenti ad ſolas Confraternitates. Præſertim etiam, quia Altaria, & Capellæ ſunt, ut ſupponitur, in locis exemptis, quæ integraliter conſtituunt; ideò ſi Eccleſia, & Clauſtra cenſentur exempta, idem dicendum de partibus.

Verùm, etſi hæc probent de Capellis, & Altaribus nudè ſumptis, aliter tamen de eiſdem ex adjunctis circumſtantiis eſt dicendum; Si enim à Fidelium pietate fuerint Confrater-
6 nitatibus relicta Legata ad effectum, ut annui redditus in ornamentum Capellæ, & Altaris, eorumque reparationem, & ſubſiſtentiam per Confratres erogentur, tunc certè iiſdem conceditur ea inviſere. Quod ex Bulla Clem. *cit.* §. 8. eſt facilè inferre, & videtur expreſsè decretum à S. C. Epiſ., & Reg. in *Epiſtola ſub die* 14. *Novembris* 1698. directa Epiſcopo Giracen., prout ſequitur. *Queſti Eminentiſſimi miei Sig. m'hanno comandato di ſignificarle, che da queſta S. C. de' Veſcovi, e Regolari è ſtato più volte riſoluto, che gli Ordinarii poſſono viſitare le Confraternite de' Laici, erette nelle Chieſe de' Regolari, e d' altre*

perſone

perſone eſenti, non ſolo in quanto à gli beni, & entrate loro, con rivedere i conti, mà anche le Cappelle ſteſſe in quanto à quello, che riſguarda l'amminiſtrazione, & altri oblighi perſonali, che ſpettano alla Compagnia, e Confrati aſcritti à quella, cioè in riconoſcere, ſe l'entrate, & elemoſine, che ſi danno per adornare, e mantenimento della Cappella, e per accreſcer ivi il culto Divino, e devozione del Popolo, ſiano ſpeſe fedelmente, e con effetto s'impiegano ad utilità, & in beneficio della ſteſſa Cappella, e non in altri uſi; non toccando però il reſtante, che ſpetta alla cura, e total amminiſtrazion de' Frati, e Regolari, che ſon padroni di tutto il Corpo della Chieſa, dove ſono dette Cappelle, e Confraternite, come gli Altari, Imagini, & altre coſe materiali affiſſe, & utenſili ſacri applicati à quelle, ſopra de' quali nè i Veſcovi, nè altri Ordinarii hanno da ingerirſi, nè uſar alcuna giuriſdizione, ò ſopraintendenza; à ſegno tale, che non l'è permeſſo uſar alcun atto giuriſdizionale nelle ſudette Chieſe de' Regolari, fuora di quanto s'è detto di ſopra. Onde V.S. dourà governarſi in queſta conformità, che tale è ſempre ſtato il ſenſo della S. Congregazione.

Quomodo autem poteſt Ordinarius inſpicere, an fidelitate ſint erogatæ eleemoſynæ juxta Teſtatorum voluntatem, niſi ad ipſa loca accedat, id viſurus, & inſpecturus? A quibus ſi præſcindas annexis eiſdem non licere, jam liquet; quod aliis verbis, ſed non ſenſu, ſignificat *Lezzan. Sum. q. Regul. tom.* 2. *cap.* 15. *n.* 27.

Confraternitatem Cordigerorum poſſunt ubique in propriis Eccleſiis erigere Patres Conventuales ex conceſſione Sixti V. *Conſt. Ex ſupernæ diſpoſitionis apud Confect. Coll. Pri-*
7 *vil, Mend. part. prima*. Qui eorundem Archiconfraternitatem in Eccleſia S. P. Franciſci Aſſiſien. ipſe primò inſtituit; cui ex tunc omnes aliàs Cordigerorum Confraternitates impoſterum erigendas, aggregavit.

In locis verò, in quibus, Fratres Min. de Obſ., & non ipſi Conventuales, exiſtunt, ab eodem Sixto *Conſt. Divinæ*
8 *Charitatis apud eundem*, eaſdem, in ſuis tantùm Eccleſiis, illis erigere conceditur; quod etiam deinde acceperunt à Paulo V. *Conſt. Nuper Archiconfraternitati* 25. *Septembris* 1607. *Lantuſc. verb. Confraternitas n.* 3. Poſtremo præfata confirmavit, nuper conceſſit, & ad partes etiam Indiarum Orientis, & Occidentis extendit Clem. X. *ſub die* 13. *Julii* 1673. *Conſt. Du-*

dum fœlicis, in qua circa medium ſic habetur: – Nos igitur ipſos Franciſcum Mariam Procuratorem Generalem, ac Miniſtrum, & Commiſſarium Generales ſpecialibus favoribus &c. hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, facultatem erigendi, & inſtituendi Confraternitates Cordigerorum Sancti Franciſci utriuſque ſexus in Eccleſijs Fratrum Minorum ejuſdem Sancti Franciſci de Obſervantia à memorato Paulo prædeceſſore conceſſam, ut præfertur, expeditaſquè deſuper ipſius Pauli prædeceſſoris literas prædictas, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica, tenorem præſentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac innovamus, illiſq; inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac eiſdem Miniſtro, & Commiſſario Generalibus, eorumve cuilibet, ejuſmodi Confraternitates Cordigerorum S. Franciſci in Eccleſiis eorum Ordinis tantùm, ubicunque, etiam in Indiis, tàm Orientalibus, quàm Occidentalibus, conſiſtentibus, in locis tamen, ubi non ſint Eccleſiæ, vel Conventus prædicti Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium, erigere, & inſtituere, illiſq; omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, & pœnitentiarum relaxationes, aliaſq; gratias ſpirituales præfatas, ſervata tamen dictarum Conſtitutionum Sixti, & Clementis, ac literarum Pauli prædeceſſorum prædictorum forma, & diſpoſitione, communicare licuiſſe, & deinceps perpetuis futuris temporibus licere authoritate, & tenore præſentium, declaramus &c. Regeſtum 22. *Curiæ Ciſmontanæ Ordinis Min. de Obſ. ab anno* 1670. *uſq; ad* 1674. –

Ex quibus poteſt conſtare facultatem ejuſdem erigendæ Confraternitatis Ordini Minorum competere privativè
9 quo ad alios quoſcunque, quia idem Sixtus *Conſt. Ex ſupernæ* vult Cordam, quam Confratres gerunt, debere priùs eſſe à Superioribus Ordinis benedictam; imo & cinctam, ac ſuſceptam *Conſt. Supernæ charitatis*. Quod per hæc confirmat Paulus V. *Conſt. cit.* – Omnibus utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, qui in memoriam ejuſdem Sancti Franciſci Cordam benedictam ab ejuſdem Ordinis Superioribus ſuſcipientes prædictam Archiconfraternitatem de cætero ingredientur. –

Formulam in erectione ſervandam refert *Lantuſca verb. Confraternitas*. Quæ ad Confratrum Sepulturam ſpectant *Cap. Officialis quoad Sepulturas* videri poſſunt.

10 Cor-

10 Cordigerorum Societatem à Tertio ejuſdem S. P. Franciſ' Ordine, qui *de pœnitentia* nuncupatur, diſtinguimus; nè dum, quia iſte ab ipſomet S. P. Franciſco ſub anno 1221. originem habuit *Orb. Seraph. tom.2. lib.* 12. *cap.* 1. *pag. mihi* 785. *n.* 2. illam verò, ejuſdem Seraphici Patris filius, Sixtus V. *ſub anno* 1585. primò inſtituit *Confect. loc. cit.*; ſed etiam, quia Cordigeri fune, dumtaxat à Superioribus benedicta, cinguntur, & quibuſdam ſolis ſtatutis ab Ordinario, & non aliqua Regula ex illis a S. Sede approbatis, reguntur: cum ex oppoſito Tertiarii hujuſmodi Regula gubernentur; & præter Cordam (quam eis expreſsè concedunt ſtatuta *cap.* 3. à Paulo III. *Conſt. Ad fructus* 5. *Nonas Julii* 1547. confirmata *Direct. Trium Ord. pag.* 28. *n.* 16., & alia deſumpta ex *Speculo Seraphico, appoſita ad cap.* 3. *Regulæ Nicolai IV. ibidem pag.* 61. & approbata ab *Innoc. XI. Conſt. Eccleſiæ Catholicæ die* 28. *Junii* 1686. *loco cit. conſt.* 2. *pag.* 151.) utantur etiam habitu diſtincto, vel ſaltem amplo ſcapulari juxta locorum conſuetudinem: & profeſſionem emittant *Lezzan. loc. cit. par.* 2. *verb. Tertiarii cap.* 14. ad quam ſolummodo debent recipi per habentem à Miniſtro Gener. facultatem recipiendi ad hunc Tertium ſtatum; ut idem Paulus *cap.* 2. de quo alibi plura.

11 Confraternitates Sanctiſſimi Roſarii erigunt, & inſtituunt Sacri Ordinis Prædicatorum Magiſtri, vel Vicarii Generales, & per eos deputati Fratres, etiam in ſecularibus Eccleſiis prout Sixtus V. *Conſtitutione Dum ineffabilia ſub* 30. *Januarii* 1586. *Bull. Cherub. tom.* 2. *pag.* 520. ubi ipſe Pontifex confirmat, & innovat privilegia, & Indulgentias à Prædeceſſoribus Pontificibus, Confraternitatibus Roſarii conceſſa.

Cæterum in erectione, & inſtitutione ſimilium Confraternitatum eſt ſervanda locorum diſtantia per Conſtitutiones Apoſtolicas taxata, & forma Clementis VIII., prout diſponit Innocentius XI. ut infra. -- Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Antoninus Clochè Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum, quod licet multæ in dicti Ordinis, aliiſque Eccleſiis, ſeu Oratoriis, exiſtant Confraternitates utriuſque ſexus Chriſti Fidelium, ſub titulo Sanctiſſimi Roſarii, quæ ſuas functiones ad inſtar ſimilium Confraternitatum obeunt, multaq; pietatis opera exercent, de aliquarum tamen ex illis canonica ab initio Inſtitutione, forma non conſtat &c. Nobis proptea

rea dictus Antoninus humiliter ſupplicari fecit, ut de benignitate Apoſtolica indulgere dignaremur &c. Nos igitur &c. ipſum Antoninum ſpeciali favore gratiæ proſequi volentes, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis &c. omnes, & ſingulas Confraternitates prædictas ſub titulo SS. Roſarii, in quibuſvis Locorum poſitas, & exiſtentes, tametſi de earum canonica ab initio Erectione, & Inſtitutione non appareat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, confirmamus, & validamus, eaſque in ſtatu valido eſſe, & fore decernimus in omnibus &c. ac ſi illas canonice erectas, & inſtitutas fuiſſe &c., omneſque, & ſingulos Juris, & facti defectus, qui propter præmiſſa deſuper intervenerunt, ſupplemus, & ſanamus, & quatenus opus ſit ipſas Confraternitates omnes, & ſingulas, ſervata tamen cæteroquin Conſtitutionum & Decretorum huius S. Sedis, præſertim circa diſtantiam Locorum in Erectione Confraternitatum ſimilis Inſtituti ſervandam, emanatorum, forma, & diſpoſitione, de novo erigimus & inſtituimus. Cæterum in Erectione, & Inſtitutione ſimilium Confraternitatum de cætero faciendis formam Clementis Prędeceſſoris admuſſim ſervari volumus &c. alioquin Erectiones hujuſmodi nullius ſint roboris & momenti, decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas fore &c. Non obſtantibus quibuſvis Conſtitutionibus &c. Dat. Romæ apud S. Petrum die 15. Junii 1679. Pontificatus Noſtri anno 3. –

CAPUT XI.

Officialis quoad Conſervatores.

SVMMARIVM.

1 *Conſervatores ſunt Judices à Summo Pontifice delegati.*
2 *Eligendi debent eſſe Conſtituti in dignitate Eccleſiaſtica, & Judices Electi.*
3 *Differentia inter Delegatum Pontificis, & alterius.*
4 *Canonici Collegiatæ ſunt ineligibiles.*
5 *Et Regulares.*
6 *Pęnæ eligentium Conſervatores non ſervata forma Gregorii XV.*

7 *Poſſunt*

7 *Poßunt etiam eligi non Judices, & quando?*
8 *In Conſervatoribus eſt neceßaria doctrina.*
9 *Electionis teſtimonium relinquendum penes acta Curiæ Epiſcopalis.*
10 *Quinquennio durant.*
11 *Juriſdictio Conſervatorum.*
12 *De manifeſtis injuriis judicant, & ab eis defendunt.*
13 *Manifeſta quæ ſint?*
14 *Quando poſſint Regulares Judicem à Secularibus Magiſtratibus petere?*

1 Conſervatores ſunt particulares Judices à Summo Pontifice delegati, ad quos ſpectat eos, quibus ſunt conceſſi, à moleſtiis, & injuriis ſibi illatis tueri, & in propriarum rerum, & jurium poſſeſſione conſervare. Qui, ut notat *Pignatel. tom.* 10. *conſ.* 96. *num.* 8. Regularibus dantur (de quibus loquimur) ad tuendum eorum perſonas, bona, & jura; ſub quibus eorumdem continentur Privilegia, exemptiones, & immunitates; à quo munere *Conſervatores Privilegiorum* ſolent nuncupari.

Horum meminit *Trid. ſeß.* 14. *cap.* 5., modumque in eorum electione ſervandum, & eligendorum qualitates tradit Gregorius XV. *Conſtitut. Sanctiſſimus in Chriſto Pater Bull. Cherub. tom.* 3. *pag.* 392. Ex qua ad hæc neceſſaria hic adnotantur.

I. Statuit, & decrevit, ut -- Judices Conſervatores hujuſmodi, ſive principales, ſive ſubrogati eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi, non ſolùm habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione ſimilis recordationis *Bonifacii PP. VIII. etiam Prædeceßoris ſui, quæ incipit* Statutum (*cap.* 11. *in ſexto de reſcriptis lib. primo tit.* 3.) itaut, vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant, ſed etiam in Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis juxta Decretum Concilii prædicti (*ſcilicet Trid. ſeß.* 25. *de Refor. cap.* 10.) Judices electi, ſeù deſignati ſint.

Unde colligitur notabilis differentia inter Delegatum Pontificis, & alterius; Pontifex enim, ut notat *Engel. Colleg.*

3 *jur.Can.lib.*1. *tit.*29. *num.*11. non ſolet cauſas aliis perſonis delegare, quàm in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, & Eccleſiarum Cathedralium Canonicis. Et id per *Sperellum deciſ.*167. *num.*16. ob Apoſtolicæ Sedis, decus, & dignitatem. Propterea Gregorius ea Conſtitutione vult in Conſervatores non poſſe eligi, niſi ex illis aliquem; adeo ut electio ſit ad eos reſtricta privativè quo ad alios.

4 Etiam ſi eſſent Eccleſiæ Collegiatæ Canonici, & eximii Doctores, quia eiſdem ſemper deficerent qualitates neceſſariæ, juxta Conſtitutionem Bonifacii VIII.*cap.ſtatutum loco ſuperius cit.* ubi decernitur: -- quod nullis, niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeù Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, cauſæ, authoritate literarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejuſdem, de cętero committantur. --

Et ad id non eſſe idoneos firmavit S.Congr. Conc. apud
5 *Sperell.cit.ſub num.*6. Et eſſe ineligibilem quemlibet Regularem, quamvis dignitate fulgentem, reſoluit in terminis S.C. Epiſ.& Reg.6.*Septembris* 1617.*Pignat.tom.& conſt.cit.num.*9.

Additur, quod Innocentius X.Conſt.*Cum ſicut accepimus* 14.*Maji* 1648. *Bull.Cherub.tom.*4.*pag.*284. *ad* 5.*num.*5. confirmavit Conſervatores eſſe eligendos ad præſcriptum Conſtitutionis Gregorii XV. non obſtantibus quibuſvis Privilegii, utpote reductis ad terminos ipſius Conſtitutionis.

II. -- Ut qui ſecus, quam juxta formam ſuperius præſcriptam Conſervatores hujuſmodi cum effectu eligere, nomi-
6 nare, ſeù deputare, aut electis, nominatis, ſeù deputatis uti, auſi fuerint, Regulares quidem voce activa, & paſſiva ſint ipſo jure privati, adeo ut habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice conſequi valeant; & prædictorum omnium Conventus, Monaſteria, & loca hujuſmodi, eorumque perſonæ, ac bona careant Conſervatore ad annum, ita ut illorum cauſæ interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognoſci, ac definiri debeant. --

Verùm dicendum diſpoſitionem Pontificis valere in caſu, quo in Diæceſi ſint Judices in Provinciali, aut Diæceſanam Synodo deſignati; cum alias in eorum defectu poſſint, non Judices, à Regularibus aſſumi, ut ſæpius cenſuit S.C.C. *Direct.trium Ord.pag.*300.*num.*50. & Cong.Epiſ.& Reg.*die* 4. *Decembris* 1671.decrevit dandam eſſe infraſcriptam Declaratio-

tionem, alias editam, tenoris qui ſequitur: nimirum *S.C.&c.* -- cenſuit Epiſcopos quamprimum Diœceſanam Synodum omnino celebrare teneri; & interim in Civitatibus, & Diœceſibus, in quibus nulli Judices extant in Concilio Provinciali, aut Diœceſano deſignati; licere Regularibus, ſervata in reliquis forma Conſtitutionis fel.rec.Gregorii Pap.XV. hac de re editæ, Conſervatores nominare habentes qualitates à jure requiſitas; quorum tamen Conſervatorum facultas eo ipſo expiret, cum primum hujuſmodi Synodus celebrata, in eaque Judices deſignati, extiterint. --

Quam declarationem à Clemente X. Conſt. *Inter opera* 18.*Januarii* 1672. confirmari, ibidem legitur *num.*49.

III. -- Ut in Synodis Provincialibus, aut Diœceſanis quamplures perſonas ex habẽtibus qualitates in prædicta Conſtitutione ejuſdem Bonifacii Prędeceſſoris, contentas, & alioquin ad id aptas deſignari (ſcilicet Ordinarii) procurent; & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci, cum conſilio Capituli alium in ejus locum, uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Sydodum. -- Quod prius, decreverat Trid.*ſeſs.*25.*cap.*10.*de reform.*

Et obſervandum per ea verba, *& alioquin ad id aptas*, quę ex Trid. cit.deſumuntur, ſignificari in judicibus Synodalibus
8 pręter qualitates ex capite *ſtatutum* neceſſarias, requiri etiam doctrinam, ut ſic cauſę ex intentione Tridentini, committantur perſonis idoneis.

IV. -- Ut electionis, ſeu aſſumptionis documentum debeant penes acta Curię Ordinariorum exhibere, & dimittere
9 teneantur, adeout, niſi infra pręfinitum tempus exhibuerint, ac dimiſerint coram Ordinario loci debeant Regulares conveniri. Prout Sac.Congr. ab Innocentio X.deputata, loc.cit. videnda.

Et intelligendum, ad id ſub pœna nullitatis actuum teneri, Conſervatores à Regularibus nominatos, & electos, antè exercitium ſuę juriſdictionis; prout eadem Cong. ad XIII. firmavit, & idem Innocentius approbavit.

V. -- Ut Conſervatores ſemel legitimè deputati, niſi ex legitima cauſa à Sede Apoſtolica, aut locorum Ordinariis, prout iiſdem Regularibus, aut aliis ſupradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoveri,

aut

aut mutari nullatenus poſſint, & valeant. Et ultra quinquennium non poſſe durare, decrevit Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de Reform.*

VI. -- Ut coram ipſis Conſervatoribus Regulares, ac Perſonæ ſupraſcriptę conveniri quidem, aut trahi debeant, ſed alios convenire, aut trahere non poſſint; itaut memorati Con-
11 ſervatores, in quibus Regulares, & alii, actores fuerint, prorſus nullam juriſdictionem habeant, ſed in iis tantùm, in quibus rei extiterint. --

Nec per hoc Conſervatores privantur, quin poſſint etiam à manifeſtis injuriis, & violentiis Regulares defendere, dum ſuis juribus uti, & bonis frui, impedirentur: ac contra eos procedere, qui eorum Privilegia infringunt, ut in terminis firmavit S.Cong. Conc. *Dum cenſuit*, illis verbis: -- minimè ſublatam fuiſſe facultatem, quam habent Conſervatores defendendi Regulares à manifeſtis injuriis, ac violentiis, dummodo obſervent formam preſcriptam in Conſtitutionibus Innocentii IV. & Bonifacii VIII. relatis -- *cap.* 1. *& finali de Officio Delegati in ſexto. Bull. Cherub. Calcem ad Conſt. Gregorii XV.*

Et tam Innocentius *cap. Statuimus I.*, quàm Bonifacius *cap. Hanc Conſtitutionem* 15. *tit.* 14. *lib.* 1. *in ſexto. cit.* volunt,
12 Conſervatorum poteſtatem extendi ad defendendos eos, quibus dantur, à manifeſtis injuriis, & violentiis; & Innocentius addit: *nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, ſuam extendere poſſunt poteſtatem*. Ubi ex annotatione Gloſſæ in caput *ſtatuimus*, ſi injuria non ſit manifeſta, ſed requirat plenam cauſæ cognitionem, Conſervatores nequeunt procedere; niſi in Privilegiis eorum, quibus ſunt dati, aliud diceretur, nimirum, quod poſſent cognoſcere de injuriis, & aliis cauſis, etiam ſi requirerent judicialem indaginem, quod obſervavit Confectius *Summar. Privileg. Mendic. cap.* 8. *tit.* 4. ex Clementina *ſæpe de verborum ſignificatione lib.* 5. *tit.* 11. *cap.* 2.

13 De manifeſtis ergo ſolummodo poſſunt cognoſcere. Et per manifeſta veniunt ea, quæ notoria ſunt, & ita patentia, ut nulla probabili tergiverſatione celari poſſint. In caſu autem, quo offenſa notoria negetur, & ex negatione res ſub dubio exponatur, tunc poterit Conſervator, ex Gloſſa ibidem, probationes de notorietate facti recipere ad videndum, an ſuæ ſint juriſdictionis; & ubi repererit factum notorium, procedat; aliàs deſi-

deſiſtat, quia non habet poteſtatem defendendi utcumque, injuriam, ſed qualificatam notorietate, & in terminis notorietatis recuſari non poteſt *Peyerin. de Privil. tom.2. ad Conſt.5. Greg.15.§.7. num.59.* præſertim, ſi pœna fuerit ab jure impoſita. Et in caſu recuſationis quid ſit agendum, tradit *Sperellus deciſ.93. num.12.* poſſe nimirum recuſatum compellere recuſantes ad eligendos arbitros, coram quibus cauſa recuſationis probetur, & decidetur. v. C. *offic. quoad pœnas Eccleſ. num.12.*

Tandem, reſtricta Conſervatorum juriſdictione ad Civitates, & Diœceſes, in quibus fuerint deputati, & appoſita diſpoſitione quo ad ea, quæ poſſent inter ipſos, & Ordinarios oriri ſuper competentia juriſdictionis; pœniſque Conſervatoribus, qui quovis modo limites ſuæ juriſdictionis exceſſerint,
14 ſtatutis, ſubdit: -- Per hoc tamen non intendit Sanctitas Sua prohibere, quominus Regulares, & alii ſupradicti, in caſibus à jure permiſſis, petant Judicem non ſuſpectum à Principibus, ſeu Magiſtratibus ſecularibus; dum tamen hæc tria copulativè concurrant: videlicet, ut Regulares, & alii prædicti, ſint actores, non autem rei: utque agant contra Laicum, non autem contra Eccleſiaſticum, vel alias à juriſdictione ſeculari exemptum: atque, ut cauſa, in qua Judex deputatur, fuerit profana, non autem Eccleſiaſtica, & in ea juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, Laicus, ut præfertur, eligendus, Judex competens exiſtat.

An autem ad Syndicos Fratrum Minorum de Obſervantia Conſervatorum Juriſdictio extendatur? Reſolvendum affirmativè ex Clemente VII. de quo *cap. Officiali, quo ad Syndicum*.

C A P U T XII.

Officialis quoad Conventus.

S V M M A R I V M.

1 *Monaſterium, Conventus, & Cœnobium idem ſignificant.*
2 *In nova eorum erectione, obſervandæ Conſtitutiones Clementis VIII., Gregorii XV., Vrbani VIII., & Innoc. X.*

3 *Con-*

3 *Conventus non recipiantur, niſi ſint capaces duodecim religioſorum.*
4 *Praxis Sacræ Congreg. Epiſcoporum in concedendi facultatibus pro erectione.*
5 *Audiendi ſemper ſunt Regulares præexiſtentes.*
6 *Ex actibus facultativis præjudicium poteſt inferri.*
7 *Quando vocandi diſtantes, pluſquam per quatuor milliaria?*
8 *Hoſpitia à Conventibus debent diſtingui.*
9 *Etiam in translatione Conventus, poteſt præjudicium inferri.*
10 *Quando Conventus formatus cenſeatur?*
11 *Excommunicantur fœminæ ingredientes Monaſteria Virorum.*
12 *Pœnæ in regulares eas admittentes.*
13 *Tempore Proceſſionum, poſſunt mulieres clauſtra Conventuum ingredi.*
14 *Revocatio Oraculorum, de quibus intelligatur.*
15 *Praxis Vrbis.*
16 *Pœnæ in Fratres Minores de Obſervantia admittentes Seculares adpernoctandum in Conventibus.*
17 *Quos Clericos Seculares Decretum comprehendat.*
18 *Syndici Apoſtolici non comprehenduntur.*
19 *Septa à quo dicantur.*
20 *Quæ loca ſub Clauſura contineantur.*
21 *Sacriſtiæ quandò?*
22 *Et Grangiæ, Infirmariæ, & Oſpitia, & quæ?*
23 *Numerus Religioſorum alendorum in Conventibus non ſuppreſſis.*
24 *Gratia reſtitutionis Conventus ſuppreſſi, quando ſit nulla?*
25 *An in reſtitutione ſuppreſſi requiratur, conſenſus Cleri, & Regularium.*
26 *Declarationes ſuper ſubjectione aliquorum Conventuum.*
27 *Ordo quæſtuandi inter Conventus.*

1 QUamquam Monaſterium, Conventus, & Cœnobium, in nomine ſint diverſa, in re tamen ſignificata conveniunt; cum ex eis quodlibet quædam loca, & ædificia ſignificet, in quibus ad Deo ſerviendum Religioſi congregantur, & convivunt.

In his de novo conſtruendis ſunt obſervandæ Conſtitutiones

tiones Clem. VIII. *Quoniam ad inſtitutam. Bull. Cherub. tom.3. pag.*142. ſtatuentis, vocandos, & audiendos eſſe Regulares, alioſque intereſſe habentes, exiſtentes in locis, & Civitatibus, in quibus nova ſunt ædificanda Monaſteria,& Gregogorii XV. *Conſt. Cum alias, eodem tom. pag.*,427. extendentis ad alios exiſtentes in locis per quatuor milliaria diſtantibus ad effectum, ut conſenſum præſtent, dum eis conſtiterit, ex nova Conventus erectione non eſſe reportaturos detrimentum; & aliam Urbani VIII. *Incipit Romanus Pontifex pag.*62. *tom.*4., prohibentis novorum Conventuum erectiones ſine expreſſa Ordinariorum licentia, & non ſervata forma, contenta in Conſt. Clem., & Greg., & alteram Innocentii X. *ibidem pag.*281. *Incipit Inſtaurandæ*, innovatis Prædeceſſorum Pontificum literas ſuper erectione novorum Conventuum editas, eiſque addentis, & prohibentis -- §.5. ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, Congregationis, Societatis, & cujuſvis alterius Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, ſeu loco, ad habitandum domos, vel loca quæcunque de novo recipere, ſeu Monaſteria, Conventus, vel Collegia incipere, vel fundare præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem, in ſcriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ; ſi ſecus egerint, eo ipſo incurrant pœnas privationis, & inhabilitatis, ut ſupra, inflictas; & nihilominus receptiones, fundationes, & erectiones ſint ipſo jure nullæ, & invalidæ: & domos, ac loca ipſa, & perſonæ in eis degentes omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Ordinarii loci plenè in omnibus ſubjaceant. --

Examen præfatæ Congregationis eo tendit, ut conſtet, ſi alii Regulares ex nova fundatione detrimentum recipiant: aut præjudicium juribus Parochialibus ex eo inferatur;& tandem, ut ſervetur Decretum S. C. Conc. alias auctoritate Urbani VIII. editum, tenoris qui ſequitur: -- Deinceps verò Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel ſocietas Religioſorum, ſeù Regularium nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis hujuſmodi locis duo-
3 decim ſaltem Fratres, aut Monaci, ſeù Religioſi, degere, &

ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis, detractis omnibus, ut ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant, ad præſcriptum decreti fel. rec. Gregorii XV., hac de re editi; alioquin Monaſteria, & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodę juriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur. --

Quod noviſſimè cum aliis relatis *cap. Official. quò ad celebrationem Miſſarum* ab eadem emanatis, confirmavit, & approbavit, ac ab omnibus exactè, & perpetuò ſervari voluit, & mandavit Innocentius XII. *Conſt. Nuper prout loc. cit.*

Præfatorum obſervantiam Sacra Cong. Epiſc., & Reg. ad praxim deducit, quippe erigendi novi Conventus unquam facultatem concedit, quin priùs Ordinario loci negotium
4 committat, & ſenſum ipſius, tam, quo ad commodam ſuſtentationem Religioſorum de novo introducendorum in numero duodeno, abſque ullo cęterorum prępexiſtentium Regularium præjudicio, quam quo ad iſtorum conſenſum, ac jurium Parochialium indemnitatem, audiat.

5 Audiendi eſſent præexiſtentes Regulares, in caſu etiam, quo alii de novo introducendi, eſſent Clerici Regulares, quia Conſtitutiones comprehendunt quodcunq; Inſtitutum; imo etiam ſi haberent congruam dotem pro victu, & veſtitu Religioſorum, in numero ab Apoſtolicis Conſtitutionibus præfixo; quià fortè, eo non obſtante, poſſent antiqui, & præſertim Mendicantes (quibus victum tribuit incerta mendicitas) præjudicium ex eo recipere; ſi nimirum poſt conſummatam Conventus fabricam adminiſtrent Sacramenta, ſtipendia pro celebrandis Miſſis recipiant, Defunctos Sepulturę tradant, & ſimilia. Ex quibus certè minuitur ad præexiſtentium Regularium Eccleſias fidelium concurſus, & inde, ad minus indirectè, ſequitur eleemoſynarum diminutio, & diviſio. Undè quia finis legis, antiquorum nimirum præjudicium, in caſu non abeſſet, etiam tunc, diſpoſitio legis de vocandis intereſſe habentibus ſervanda.

Nec obſtat dicere, quod enumerata ſpectent ad lineam actus facultativi, quatenus eſt in poteſtate cujuſlibet pia opera facere, ſepulturam eligere, & pro Miſſis celebrandis elee-

mo-

6 moſynas tradere, ubi, & quibus, velit; quippe ad ſummum concluditur ex nova erectione, in caſu, de quo agitur, non fore alios reportaturos præjudicium, conſideratum in ſenſu ſtricto, ut ſcilicet læſionem juſtitiæ importet; ſecus verò, ſi ſumatur pro quocunque damno, ſive qualibet alimentorum, & eleemoſynarum diminutione.

7 Poteſt etiam finis legis habere locum, etiamſi Conventus erigendus ſit in loco, pluſquam per quatuor milliaria diſtancti ab eo, in quo alius prius ædificatus reperitur; maxime ſi huic, loca exiſtentia intra limites diſtantię, per Gregorium neceſſariæ, non ſufficiant ad ſubminiſtranda victualia, quo ad numerum Religioſorum per Apoſtolica Decreta expreſſum. Tunc certè vocandi, & audiendi ſunt, exiſtentes, etiam extra allegatam diſtantiam, quia ea diſpoſitione legis, nil aliud ſignificare intenditur, quam occurrere damno, quo cæteri poſſent gravari; unde ſi in diſtantia majori allegata non eſſet præfato prouiſum, præſumendum eſt in caſu, eam voluiſſe Pontificem ſub ſua diſpoſitione comprehendere.

Proinde S. Cong. Epiſc. & Reg. in termininis erectionis Conventus in Inſula Corſicæ, ob circumſtantiam inopiæ Regionis, majorem præfata, unius loci ab altero, per alios Religioſos acquirendo, diſtantiam exigit, prout ſequitur: -- S. Cong. &c. Decrevit &c. ac impoſterum in dictæ Corſicę Inſula pro hujuſmodi fundationibus, tàm ab Obſervantibus, quàm à Reformatis, & Capuccinis reſpectivè ſervandam eſſe dictam diſtantiam duodecim milliariorum, menſuræ illarum partium. -- Quod Clemens X. Conſt: *Nuper ſub die 20 Maij* 1673 confirmavit; & refert *ſub anno* 1661. in provinciis Burgen., Granaten., & Aragoniæ ad quindecim extendiſſe. *Reg.* 22. *Ciſmontanum pag.* 101. *à tergo*.

8 Item ſub earumdem Conſtitutionum diſpoſitione, dubium non debet eſſe, ea loca venire, quæ alias ſolent dici *Hoſpitia*; Verum in nullo, præterquam in nomine, à Monaſteriis differunt; cùm, ſicut iſta, Eccleſias cum Campanis habeant, in eis Religioſi habitent, Miſſarum ſtipendia recipiant, eleemoſynas oſtiatim quærant, divina celebrent, & Sacramenta adminiſtrent. Ideo quo ad iſtorum erectionem ſubintrat cauſa finalis, in præfatis literis expreſſa, de evitando nimirum præjudicio præexiſtentium Regularium; conſequen-

ter earumdem litterarum diſpoſitio: juxta ſatis comune,quod ubi eadem ratio militat legis, ibi ejuſdem legis debet diſpoſitio militare; adeoque præſcriptarum ſolemnitatum in hujuſmodierectionibus obſervantia.

Secus dicendum de Hoſpitiis in ſenſu ſtricto, cauſa dumtaxat itinerantium, & quæſtuantium Religioſorum abſque alio prejudicio erectis *Engell. Colleg. univerſ. jur.Can. lib.*3.*tit.* 36.*ſub num.* 4. & in quibus non adminiſtrantur Sacramenta, nec ibi continuò ſunt Religioſi permanentes, niſi infirmi, & eis inſervientes; nec habent ſepulturam, niſi expreſsè concedatur *Nicol: Floſc. verb. Hoſpitium num.* 1, ubi plura S. C. decreta citat.

29 Non ſic de translatione, & mutatione Conventus de loco non ſano, seù minus commodo, ad ſaniorem, & magis commodum; nèdum, quia ſępe ex Conventuum vicinitate ſolent jurgia oriri, ęmulationes, & rixę; verùm etiam, quia in translatione Conventus militare poteſt ratio motiva Conſtitutionum, quę ex dictis eſt providere, ne Regularibus præexiſtentibus præjudicium inferatur. Quod certè inferretur, quippè ad ipſorum Eccleſias Populi minueretur concurſus, & ad eas aliorum frequentius,vel ob amęnitatem,& commoditatem loci, aut aeris ſalubritatem, confluereț; ex quo utique major, & minor dependet eleemoſynarum collectio. Et ideo translatio, adeo damnoſa, debet per Sedem Apoſtolicam examinari, de cujus licentia eſt facienda. Et colligi poteſt ex verbis Innocentii *de novo recipere, vel incipere, vel fundare*; ubi ponitur dictio, *vel*, quæ tamquam alternativa cadit inter diverſa, & caſus diſiungit, *Pignatel. to.*10. *Conſ.*32.*nu.*5. conſequenter diſpoſitionem Conſtitutionis extendit, tum ad loca, quæ recipiuntur in locis de novo, tùm ad Conventus, qui in locis de novo, ex capite translationis, debent fundari. & Privilegia, quo adhoc alias conceſſa, eſſe extincta affirmat *Donatus Prax. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 1. *qu.*26. *num.* 10. Ampliatio autem Conventus in eodem loco facienda ſub diſpoſitione legis non venit per *Engell. ibid.*

Dum Conventus eſt in fieri,& ibi ſolùm aliqui Religioſi pro ſervitio, & cura fabricæ commorantur, in eum non reperitur Mulieribus interdictus ingreſſus, *Antonell.de Regim. Eccleſ.lib.* 7. *cap.* 6.*ſub num.* 22. benè verò, ſi Conventus ſit

forma-

formatus ; *Floſc. Nicol. verb. Clauſtrum num.* 2. & formatus
10 cenſetur, quo ad incurrendas pœnas appoſitas, tam contra ingredientes Mulieres, quam eas admittentes, ſi Religioſis, qui in eo ſunt de familia, præſit Superior, ut in terminis S. Cong. Epiſ. & Reg. 13. *Septemb.* 1583. decrevit apud *Theat. Reg. verb. Clauſura Conventuum ſub num.* 1.

11 Excommunicationem Papę reſervatam in fœminas ingredientes Virorum Monaſteria, ſub licentiarum prætextu, tulit *Pius V. Conſt. Regul. perſonarum Bull. Cher. tom.* 2. *pag.* 198. *& Greg. XIII. Conſt. ubi gratiæ ibid. pag.* 368., & hic extendit etiam ad Monaſteriorum Superiores, & Sùbditos, eiſdem hujuſmodi ingreſſum permittentes, & addit privationem officiorum, & inhabilitatem ad ea.

Quam pęnam excommunicationis incurrunt fęminæ ingredientes, etiam propria authoritate, & non licentiarum vigore, ut idem Pius Conſt. — *Decet Romanum Pontificem* per hæc propriam mentem aperuit. Cum alias a Nobis emanaverint quædam literę in ſimili forma Brevis, ſub die 24. Octobris 1566. &c. Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium dicimus, & declaramus fuiſſe, & eſſe mentem, & intentionem noſtram, quod dictæ noſtrę literę non ſolum comprehenderent, & comprehendant mulieres habentes, & habere pretendentes, facultatem, & Indulta ingrediendi Monaſteria, ſed etiam omnes, & quaſcumque mulieres alias, tàm in genere, quàm in ſpecie. — *Confect. collect. privileg. Mendicant. pag.* 182. *Bullar. Cherub. tom.* 2. *pag.* 198.

12 Et cùm Conſtitutio Pii *Regularium*, in Regulares admittentes eas, ſub licentiarum prætextu, pœnas appoſuerit, pro ut ſequitur: — Prohibentes mulieribus quidem pręd ictas facultates, & licentias prætendentibus, ſub excommunicationis latę ſententiæ pœna, a qua non poſſit, niſi à nobis, aut a Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, abſolvi, pręterquam in mortis articulo, ne dictas Domos, & Monaſteria ingredi audeant. Ipſis vero Monaſteriorum, & Conventuū, Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, & aliis Pręſidentibus, quocunque nomine vocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus ſive Mendicantibus, ſive non Mendicantibus, ſub privationis Officiorum, quę in pręſenti obtinent, & inhabilitatis impoſterum ad illa, & alia omnia, & ſuſpenſionis à Divinis, ipſo fa-

facto, ſine alia declaratione, incurrendis pœnis, ne eas introducere, & admittere præſumant; --- Infertur certè ex terminis ejuſdem declarationis, *Decet*, voluiſſe hujuſmodi pœnis ſubeſſe Regulares intra Monaſterium ſepta, & Clauſuræ limites, admittentes alias quaſcunque.

Et licet ex tenore ipſarum Conſtitutionum Pii conſtet, pœnam excommunicationis in præfatos Regulares latam non eſſe, & ſolùm ex vi Conſtitutionis Gregorii innodentur ii, qui eas ſub licentiarum prætextu ingredi permitterent (quod certè non obſervavit *Lantuſca verbo Clauſtrum num.* 1.) tamen ſub excommunicationis pœna Sedi Apoſtolicæ reſervatæ, eſſe Regularibus interdictum fœminas quaſcunque, etiam ſine licentiarum prætextu, in Monaſteria recipere, earumque permittere ingreſſum, patet ex Decreto S.Cong. Ep. & Reg.cit. *nu.* 10. Cujus tenor fuit à Card.Matthæio Ord. Min. Protect. tranſmiſſus Com. Generali Min: de Obſer. & ei ſignificavit, *che i SS. Card. della Congreg. de' Veſcovi, e Regolari hanno deciſo, e determinato, che dove è il Guardiano, con la Famiglia, etiamdio, che il luogo non ſia affatto compito, nè circondato di muri, foſſi, ò ſiepe, ò che ſii aperto, ivi ſia Clauſura, ſicome hà deciſo la fel.mem. di Papa Pio V., & entrandovi le Donne ſiano ſcommunicate, e li Frati, così Prelati, come ſudditi, introducendole, incorrano nella ſteſſa ſcommunica, riſervata al Papa, reſtando ipſo facto privi dell'officio loro, & inhabili* in futurum.

Quas pœnas, dicendum non incurri, nec à mulieribus ingredientibus, nec à Regularibus eas intra clauſtra, tempore proceſſionum, admittentibus; cum enim Pius V. allegata Conſtitutione: *Decet Romanum* declaraverit, & ſignificaverit ſe non intellexiſſe, quod mulieribus præcluderetur, aut præ-
13 cludatur aditus ad Monaſteria, & loca Regularia Congregationis Montis Virginis, ac eorum clauſtra, quando in eis proceſſiones fiunt, ſequitur, habentes communicationis privilegium eodem indulto gaudere.

Quo quidem gaudent Minores de Obſervantia, quibus Clemens VII. Conſt. *Dum fructus uberes* 30. *Maii* 1525. *Confect.Coll.Privil.Regul. pag.* 150. conceſſit -- poſſe omnibus gratiis, indultis, privilegiis &c. aliis Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, quomodolibet conceſſis, & concedendis, uti, frui, & gaudere debere in omnibus, & per omnia, per

inde

inde ac ſi eis conceſſa ſpecialiter fuiſſent. --

Imò Cardinalis Cribellus apud *Donatum tom.*1. *par.*2. *tract.*4.*quæſt.*3. refert ſuper hoc ejuſdem Pii, ſibi factum, vivæ vocis Oraculum, quod per extenſum ipſe Donatus ibidem exhibet; ex quo hìc ſequentia notamus: -- Significans nihilominus idem Sanctiſſimus D. N., eodem vivæ vocis Oraculo Nobis facto, quod propter hoc, & per dictas ſuas literas non intelligit, quod muleribus præcludatur aditus accedendi ad Monaſteria, & loca Regularia, ac eorum Clauſtra, quando in eis Miſſæ, & alia Divina Officia celebrantur, ac quando proceſſiones fiunt, ſed liberè conceſſit,& concedit eiſdem omnibus mulieribus facultatem, ut ad illa loca, in quibus pia opera exercentur, cum aliis Catholicis perſonis accedere, liberè, & licitè poſſint, & valeant &c. --

14 Nec dicendum Oracula fuiſſe per Sedem Apoſtolicam revocata; quia Gregorius XV.*Conſt.Roman.Pontifex* 2.*Julii* 1622., à ſua revocatione excepit ea, facta S.R.E. Cardinalibus; & quamquam Urbanus VIII. Conſt. *Alias*, *Bull.Cherub. tom.*4. *pag.*181. extendat præfatam Gregorii ad ea, etiam ipſis Cardinalibus facta, idem tamen Conſt. *Alias*, *felicis ibidem pag.*205. declarat: Oracula Officialibus Papæ facta adhuc vivere, prout ſequitur -- Motu proprio, certaque ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Officiales, ſeu Miniſtros prædictos, quibus, alias ante emanatas prædictas Conſtitutiones, ex officiorum ſuorum auctoritate, & prærogativa de Oraculo, per eos à Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus, habito, fides haberi ſolebat: quo ad ea, quæ ut præfertur, ad cujuslibet eorum officium,ſeu munus, quo funguntur, pertinent, in literis, etiam noſtris prędictis, ſuper revocatione Oraculorum hujuſmodi emanatis, minimè comprehenſos füiſſe, nec eſſe, nec comprehendi debere declaramus, & decernimus; & ad abundantiorem cautelam, eoſdem Officiales, ſeu Miniſtros adverſus eaſdem Conſtitutiones, quatenus opus ſit, reſtituimus, & plenariè reintegramus in omnibus, & per omnia, per inde ac ſi, quo ad illos, prædictæ Conſtitutiones non emanaſſet.

Cardinalis autem Alexander Cribellus erat tunc Officialis Domini Papæ; quod,quando aliunde non conſtaret,ſatis liquet ex clauſulis illis: -- Datum Romæ in Palatio Apoſtolico

in

in Ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ ſub anno à Nativitate Domini 1568., indictione 11. die verò 28. menſis Januarii, Pontificatus prælibati SS.D.N. Pii V. anno 3.

Unde inferendum decretum relatum à Lantuſca verb. *Clauſtrum num.*2. exigens expreſſam licentiam Sedis Apoſtolicæ, quòd fœminæ licitè poſſint comitari proceſſiones per clauſtra Regularium, poſſe, tamquam ſubreptitium, nullius valoris cenſeri; quia petitio exhibita ab Epiſcopo Oriolen. Sacræ Congregationi Rituum nullum verbum facit, aut de declaratione Pii V. *Conſt. Decet.*, aut de nova conceſſione facta Mulieribus vivę vocis Oraculo per pręfatum Eminetiſſimum Cribellum relato.

15 Additur praxis communis, & præſertim Urbis, cui nullum adverſari conſtat *Donat. tom.*1. *part.*2. *tract.* 4. *quæſt.*19. Quamvis ſit certum pręfatum Privilegium, quo ad ingreſſum Mulierum in clauſtra Regularium, non eſſe in uſu, niſi pro tempore, quo proceſſiones fiunt.

Secularibus non eſt ad eorum clauſtra aditus abſolutè interdictus: verùm quibuſdam eos recipere, & admittere in certis circumſtantiis, prohibetur. Et ſub *die* 1. *Decembris* 1679. *S.Cong. Ep. & Reg.* illis Minorum de Obſervantia injunxit, ejuſque diſpoſitio reperitur confirmata à ſan. mem. Innoc.XI. *die* 20.*Septembris* 1685. *Director. trium Ord. Conſt.*8. *pag.*249. pro ut ſequitur. -- Emanavit alias, & infra, decretum tenoris, qui ſequitur: Videlicet, S.Cong.&c.Religioſæ quieti, & tranquillitati Fratrum Minorum S.Franciſci de Obſervantia benignè conſulens, injungendum cenſuit, prout præſentis decreti tenore injungit omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Superiori-
16 bus Provincialibus, Localibus, eorumque ſubditis, ſub pœna privationis officiorum Ordinis, immediatè incurrenda, nè ullo unquam tempore, quovis prætextu, vel quæſito colore, permittant, aut conſenſiant ſeculares quoſcumque ingredi ſepta ſuorum Conventuum, deferendo per ſilvas, hortos, & prata ſclopos ad venandum, ſive alia armorum genera, vel illa apud Fratres, tàm Superiores, quàm ſubditos deponere, pariterque ludere quomodolibet per clauſtra, aliaque loca publica, vel privata ipſorum Conventuum, & convivere, ac pernoctare in eis ultra triduum, tantùm piæ hoſpitalitatis titulo; & ſic ſervari mandat; non obſtantibus &c. Decernentes eaſdem præ-

ſentes

ſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit inviolabiliter ſervari &c. Non obſtantibus &c.

17 Sub qua legis diſpoſitione comprehenduntur etiam Clerici, niſi ſint bonæ vitæ, ut *ſub die* 10. *Maii* 1680. eadem S.C. in terminis firmavit, ut infra — S. C. &c. Referente Eminentiſſimo Caſanate cenſuit ſupraſcriptam prohibitionem extendendam eſſe, etiam ad Clericos, exceptis tamen Clericis, qui exemplarem vitam ducunt.

18 Non verò Syndici Apoſtolici Conventuum præfatorum Fratrum, ex ejuſdem ibidem S. Congregationis reſponſo ad dubium, eidem ſuper ea re per Patrem Fratrem Joannem Baptiſtam ab Atina, Procurat. Generalem Ordinis propoſitum, *An ſcilicet dicti Syndici comprehenderentur in Decreto emanato die* 1. *Decemb.* 1679.? quæ reſpondit ut infra. -- S.C.&c. audito Patre Miniſtro Generali Ordinis, & attentis narratis, cenſuit, ac declaravit præfatos Syndicos Apoſtolicos Conventuum ejuſdem Ordinis, non comprehendi in enunciato Decreto. Romæ 4. Decembris 1699. -- G. Card. Carpineus -- Joſeph Emygdius Ferrus Pro-Secretarius. —

19 Apponitur in Decreto ſubſtantivum *ſepta*, quod ex adnotatione Gloſſæ in Clementina *Ne in Agro v. ſepta de ſtatu Monachorum lib.* 3. *tit.* 10. *à ſepio ſepis* dicitur, & Clauſuram ſignificat, ut ſit certum Eminentiſſimos Patres ſub eo Decreto voluiſſe comprehendere quicquid ad Clauſuram ſpectat.

20 Cujus nomine veniunt loca illa intra ſepta Monaſterii contenta, iiſdem muris cincta; ſive ſint Horti, Sylvæ, & Prata, vel alia *Lezz. Sum. q. Reg. tom.* 3. *verb. Clauſura num.* 3. ex quibus nulli, quin ut Apoſtata puniendus exiſtat, abſque Superioris licentia exire permittitur.

Quod ſatis conſtat ex Decreto Clementis VIII., edito ſuper caſuum reſervatione, ab omnibus Regularium Superioribus obſervando; quorum ſecundus eſt; -- Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſive retento, quando eo pervenerit, ut extra ſepta Monaſterii, ſeu Conventus fiat egreſſio — *Bull. Cherub. tom.* 3.

21 Sub Clauſura continentur Sacriſtiæ, ad quas duplici porta, altera in Clauſtro, alia in Eccleſia, exiſtente, patet aditus:

& cenſetur pars Monaſterii, ut notavit *Bonacina tom. primo de Clauſura q. 5. punct. primo pag. mihi* 656. *ſub n.* 4. Secus de illis Eccleſiæ conjunctis, unico ſolùm pariete diviſis, qui non ponitur ad eas ab Eccleſia ſeparandas, ſed ad ibi repoſita cuſtodienda: & ad quas per Eccleſiam dumtaxat patet acceſſus; quia ſic cenſentur pars Eccleſiæ, & ejuſdem, & non Conventus officina. *Donat. tract.* 4. *tom. primo q.* 12. Niſi aliter per Superiores Regulares diſponatur,; ad quos, ut Judices ordinarios Religioſorum, ſpectat Clauſuræ terminos deſignare. *Ibid. Lezzan. Conſect. Summ. Privil. Mendicant. tit.*21. *cap.*8.

22 Item Granciæ, Infirmariæ, & Hoſpitia, quamquam à Conventibus diſtantia; dummodo in eis ſit Eccleſia cum Campanis,& Divina celebrentur Officia; ſecus ſi ſint loca purè ſecularia,& ad Divinum cultum non deſtinata; *Donat.ibid. tract.* 3. *q.* 8. Et domum, in qua unus, vel duo Regulares tantum commorantur, non gaudere privilegio Conventus firmavit *Inn. X. Conſt. Cum ſicut Bullar. Cherub. tom.* 4. *pag.* 285. *ad* 15.

23 Conventus non ſuppreſſi, in quibus ſex ſaltem Religioſi (quorum ad minus quatuor debent eſſe Sacerdotes maturæ ætatis) non aluntur, correctioni, viſitationi, & omnimodæ juriſdictioni ordinarii loci, ſubduntur ad formam Decreti Innocentii X. ut *in parvis apud Lantuſc. verb. Conventus n.*14.

24 Ubi, nulla item declaratur gratia reſtitutionis, & conceſſionis, ſi in prius ſuppreſſo, & nuper poſtea Religioni reſtituto, enunciatus Religioſorum numerus re ipſa non ſit.

25 Cum Conventus ſuppreſſi, iterum reſtituuntur Religioni, cujus prius fuerant, non videtur neceſſarius novus conſenſus vel Cleri, vel Religioſorum, ſi qui in eodem loco ante ſuppreſſionem præexiſtebant, cum in prima eorum fundatione illum exhibuerint, & non ſimus in caſu acquirendi novum jus, ſed antiquum exercite poſſidendi.

Limitarem, niſi Religioſi præexiſtentes concludenter ex reſtitutione probarent, ſibi præjudicium inferri; adeo ut nec in proprio, nec in Monaſterio reſtituto poſſet, aut ex redditibus, aut ex eleemoſynis nùmerus Religioſorum, per Conſtitutiones Apoſtolicas requiſitus, commodè ſuſtentari. In caſu enim ſubſiſterent motiva jam factæ ſuppreſſionis.

In conceſſione Conventus ſuppreſſi, diverſæ Religioni

facienda,

facienda, non eſt dubium id exigi; & ſi præexiſtentes Regulares contradicant, eſſe denegandam, eſt certum, ut videri poteſt apud *Supplem. Lantuſ. verb. Hoſpitium ex S. C. Ep. & Reg. 26. Martii* 1677.

26 Declarationes editas à S. C. ſuper ſtatu Regularium, & ab Alex. VII. approbatas ſuper nonnullorum Conventuum ſubjectione juriſdictioni Ordinarii, refert *Lant. verb. Conventus num.* 15.

27 Ubi plures Religioſorum Conventus in eodem diſtrictu reperiuntur, in colligendis per quæſtuationes eleemoſynis, ordo antiquitatis, & fundationis ſervatur; & ubi in diverſis ſint, prohibetur ad quæſtuandum egredi ſuos diſtrictus: prout diſpoſuit *S. C. Epiſ. & Regul.* 22. *Junii* 1674. ad inſtantiam Miniſtri Provinciæ Obſervantis Corſicæ contra Capuccinos ejuſdem Inſulæ.S.C.&c. -- referente Eminentiſs.Sancta-Crucio declaravit, atque decrevit, ne impoſte[illegible] n præfatorum Ordinum Conventus proprios ſuos diſtrictus ad quæſtuandum egrediantur, ſed intra ſuos limites ſe contineant, ut ab his, quibus inſerviunt, ſuſtentari faciliùs poſſint. Nec non, ut ubi plures inveniuntur Conventus in eodem diſtrictu, inter eoſdem ratio antiquitatis,& fundationis rationabiliter habeatur. Sicque omnino ſervare mandavit. --

C A P U T XIII.

Officialis quoad Delicta.

S V M M A R I V M.

1 *Regularis degens, & delinquens in Monaſterio à Superiore Regulari punitur.*
2 *Conſtitutio Pauli V. quoad cauſas civiles.*
3 *Quando conveniendus coram Ordinario?*
4 *In caſu notorii delicti ſervatur Decretum Tridentini.*
5 *Conſtitutio Clementis VIII. plura præſcribentis.*
6 *Quando Regularis ad carceres Epiſcopales duci poſſit?*
7 *Epiſcopus de delicto informationem capit abſque mora.*
8 *Dictio* ſtatim *moralitèr intelligenda.*

9 *Quid de Regulari intra Eccleſiam delinquente?*
10 *An de punitione ſit Epiſcopus docendus?*
11 *Quid de Regulari extra Clauſtra degente, & delinquente?*
12 *Licentia Superioris liberat ab Apoſtaſia.*
13 *Vagi ab Epiſcopo puniri poſſunt.*
14 *Quando Regularis Parochus?*
15 *Quando Novitii?*
16 *Regulares, in concernentibus Fidem Catholicam, ſubſunt Sancto Officio.*
17 *Contra prædicantes hæreſes Ordinarii procedunt.*
18 *Alloquentes Moniales ſine licentia puniuntur.*

1 EXamen capitis eo tendit, ut de competenti Delinquentium Regularium Judice, & Foro, quid S. Sedes decreverit, & firment Doctores, conſtet.

I. Et ſciendum quoad Regularem in Clauſtris degentem, ſi intra Monaſterii ſepta deliquerit Innocentium IV. *Capite volentes de Priv. in 6. lib. 5. tit. 7. verb. Dummodo* ſtatuiſſe, non poſſe coram Ordinariis conveniri; adeoque neque ab iiſdem puniri, ſed ejuſdem punitio Superiori Monaſterii relinquitur *Sperel. dec. 38. n. 11.*

2 In cauſis civilibus attendenda eſt *Conſtitutio Religioſorum Pauli V. Bull. Cherub. tom. 3. pag. 222.* quæ, cum ſit ad praxim Regularibus utilis, hic tranſcripta exhibetur: Religioſorum, & infra.

§. 1. -- Cum itaque nomine Dilecti filii Baſilii Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum in Cong. Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum expoſitum fuerit, in Hiſpaniarum Regnis quoſdam Ordinarios locorum contendere Religioſos intra Clauſtra degentes, coram ipſis Ordinariis conveniri debere in cauſis civilibus, *Capite volentes de Privilegiis in 6.* comprehenſis; propter illius innovationem à *Conc. Trid. factam ſeſſ. 7. cap. 14.*, quo præfatos Religioſos, eorum Privilegiis abrogatis, defendunt comprehendi. --

§. 2. -- Præterea eoſdem locorum Ordinarios pariter contendere eoſdem Religioſos intra Clauſtra degentes in prima inſtantia coram ipſis conveniri debere, -- ex Decreto ejuſdem *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 20. de Refor.*

§. 3. -- Cum

§. 3. -- Cum ab eodem Baſilio, Procuratore Generali in eadem Cong. ſupplicatum fuerit, ut ſuper utraque re reſponſa daret; ab eadem verò Congregatione fuerit reſponſum: Neque Conſtitutione in generali Concilio Lugdunenſi edita, quæ incipit *volentes*: neque Decreta *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. comprehendi Regulares; ideoque eos juxta eorum Privilegia coram ſuis Superioribus, vel Conſervatoribus eſſe conveniendos. --

§. 4. -- Nec non Decretum ejuſdem *Conc. Trid. loco dicto cap.* 20. *ſeſſ.* 24. ad Regulares non pertinere, nec eorum Conſervatorias minuere, nec, quo ad primam illarum inſtantiam, aliquid novi inducere; ipſeque Baſilius &c. --

§. 5. -- Nos illius ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, omnibus, & ſingulis locorum Ordinariis in virtute S. Obedientiæ, per præſentes, diſtrictè præcipiendo, mandamus, ne Fratres, & Religioſos dicti Ordinis contra diſpoſitionem, & declarationem prædictarum perturbare, vel inquietare quoquomodo audeant, vel præſumant. Non obſtantibus &c. --

3 Unde in illis coram propriis Conſervatoribus ſunt conveniendi; dummodo ipſos juxta Conſtitutionum Apoſtolicarum præſcriptum nominaverint; aliàs coram Ordinariis: ut in terminis S. Congregatio ab Innocentio X. præpoſita controverſiis inter Epiſcopum Angelopolitanum, & PP. Societatis in reſponſione ad ſextum, quo præfatus Epiſcopus petiit -- an Regulares prædicti gravati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel teſtamentorum executores, poſſint conveniri coram Ordinario, ſi Conſervatores non nominaverint intra tempus habile ab Ordinario præſcriptum? *& Congregatio reſpondit*: Regulares in cauſis præfatis coram Ordinario loci eſſe conveniendos, ſi ad præſcriptum Conſtitutionis S. M. Gregor. XV. Conſervatores non elegerint: -- *vid. C. off. quoad Conſervatores*.

4 II. In caſu notorii delicti, à Regulari intra Clauſtra degente, extra Clauſtra verò commiſſi, obſervanda eſt diſpoſitio *Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 14. *de Regul.* ſtatuentis, ut infra: -- Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra Clauſtra Monaſterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut Populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeverè puniatur; ac de punitione Epiſcopum

certio-

certiorem faciat; ſin minùs à ſuo Superiore officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit. --

Ad cujus Decreti obſervantiam emanavit Conſtitutio Clem. VIII. incipit *Suſcepti muneris &c. Bull. Cherub. tom. 3*, in qua propè medium Pontifex ſubdit.

§. 1. -- Motu proprio, & ex certa ſcientia, noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, omnibus, & ſingulis cujuſcunque Ordinis, & Inſtituti Regularium, etiam Mendicantium, Superioribus, in virtute S. Obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac privationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipſo incurrendis pœnis, præcipimus, & mandamus, ut juxta prædictum Decretum quilibet ipſorum, Regularem non ſubditum Epiſcopo, intra Clauſtra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, ut Populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante infra tempus ab Epiſcopo præfigendo, ſeverè puniat, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, & alias Decretum ipſum in omnibus, & per omnia exequatur. --

§. 2. -- Cæterum, ſi Superior in Regularem delinquentem non animadverterit, quinimo, ſi illum impunitum ad alia ſuorum Ordinum loca extra Diœceſim, ut præfertur, tranſmiſerit, volumus, & ſimili motu, atque authoritate decernimus, ut Superior, inſtante Epiſcopo, intra terminum ab Epiſcopo præfigendum, & ſub eiſdem indignationis noſtræ, ac privationis dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon & ſub inhabilitatis ad illa, & alia impoſterum obtinenda; ac ulteriùs privationis activæ, & paſſivæ vocis, ad quas à nemine, præter quam à Nobis, & Romano Pontifice pro tempore exiſtenti reſtitui poſſit, ipſofacto ſimiliter incurrendis pœnis, ipſum Regularem delinquentem à loco, ad quem tranſmiſſus fuit, revocare, & in quo deliquit conſtituere, ſeu ſiſtere teneatur. --

§. 3. -- Quod ſi hoc etiam facere prætermiſerit, per præſentes ſimiliter ſtatuimus, ut Ordinarius loci, ad quem Regularis delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab ipſo Ordinario loci, in quo deliquit, ſimiliter requiſitus, vel alias de illius delicto informatus, ut præfertur, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, prædictum Concilii Decretum omnino exequi, & in Regularem delinquentem ſeverè animadvertere

tere poſſit, & debeat &c. Non obſtantibus &c. --

6 Regularem in delicto comprehenſum, ubi timetur de fuga, poſſe ad carceres Epiſcopales duci, decrevit *Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de Refor.*; & de quolibet in caſibus ab jure permiſſis firmant *Doctores Antonell. de Regim. Eccleſ. lib.* 7. *cap.* 18. *n.* 3. *Sperell. deciſ. cit. n.* 13. *Piaſecus Prax. Epiſ. par.* 2. *cap.* 3. *art.* 6. *ſub n.* 23. Nec alia ratione, niſi, vel, ut Epiſcopus, qui ex Decreto Concilii poteſt, & ex Conſtitutione Clementis debet, in defectum Superiorum, delinquentem punire, de qualitate delicti, ſaltem Summarie, informetur, ut ſecundum jura in caſu animadverſionis, per ipſum in delinquentem exequendæ, procedere valeat: vel, ut eam ad Superiorem cum præfixione competentis termini ad puniendum, tranſmittat; ex diſpoſitione *S. Cang. per Barboſam relata, apud Donat. prax. Reg. tom. primo part.* 2. *tract.* 13. *q.* 54. *n.* 11.; quæ ad dubium: -- an Epiſcopus ſtatim habita notitia delictorum poſſit capere informationem, & illam ad Superiorem delinquentis remittere, ut nequeat de illo delicto ignorantiam præſumere? *Reſpondit* Poſſe. --

7 Informatio abſque mora eſt ſumenda, & quamprimùm detentus, in Monaſterio cuſtodiendus, etiam nemine inſtante, remitti debet. Ex proviſione *S. C. apud Donat. num.* 7. ad dubium ſibi propoſitum, tenoris ſequentis: -- Quando Regularis extra Clauſtra notoriè delinquit, an detinendus ſit in carceribus ab Epiſcopo, donec Proceſſus in Curia Epiſcopali conficiatur; eoque compilato inſtante Superiore, remittendus ſit ad Superiorem, una cum his probationibus, quæ habentur? *Sacra Congregatio reſpondit*: Statim remittendum eſſe, etiam poſito, quod Superior nullam inſtantiam faceret. --

8 Ubi, dictio *ſtatim*, non eſt phyſicè, ſed moraliter intelligenda, quæ, ut obſervat Sperellus ibidem, cum refertur ad actum exequtivum; temporis intervallum ſignificat; propterea *Piaſec. loco allegato n.* 24. Tempus remiſſionis reſtringit ad viginti horas; & ipſe Sperellus cum communi Doctorum, ad duos dies limitat. Et diutiùs per Piaſecum, alioſque apud *Antonell. n.* 4. detinens Regularem, non ſuſpectum de fuga, vel in caſu ab jure non permiſſo, in excommunicationem incidit, ex adnotatione *Gloſſæ in Clementina Frequens, de exceſſ. Prælat. verb. Capiunt lib.* 5. *tit.* 6.

9 Decre-

9 Decretum Trid. *cap.* 14. *num.* 4. *cit.* locum habet etiam ſi Regularis in propria Eccleſia notoriè, & cum ſcandalo Populi deliquerit; cum tunc per *Sperell. n.* 15. cenſeatur extra Clauſtra delinquere, quod tenet *Donat. loc. cit. q.* 56. *n.* 4. *& Antonell. n.* 7. *ex Decreto S. C. C. apud Sperellum ibidem*, quæ interrogata: -- An Regularis delinquens notoriè in Eccleſia, ſeu Monaſterio ſui Ordinis, in quo degit, itaut ſcandalo ſit, dicatur delinquere extra Clauſtra, ut locus ſit diſpoſitioni Concilii *cap.* 14. *ſeſſ.* 25. *de Regul.*? *Congregatio cenſuit* delinquere extra Clauſtra, ſi in Eccleſia Monaſterii deliquit: niſi clauſis portis Eccleſiæ, & ſolis Regularibus in ea exiſtentibus, fuerit commiſſum delictum. Si verò intra Clauſtra Monaſterii, vel Eccleſiæ interioris delictum ſit commiſſum, ex verbis Concilii non videri procedere *d. cap.* 14., quod expreſsè dicit extra Clauſtra; tamen, ſi ſcandalum ſit notorium Populo, ex identitate rationis idem videtur. Ideo referendum Sanctiſſimo: Sanctitas Sua, dixit: Reſcribendum Epiſcopo, ut in individuo exprimat caſum, prout contigit, ut ſciatur melius locus delicti commiſſi, & an Populo ſcandalum ob notorietatem generet.

10. Doceri debet Epiſcopus de punitione per Regulares juxta tenorem reſponſi *S.Congregationis apud Barboſ.relat.à Donat. q.* 60. nimirum: -- Non ſufficere ut Superior Regularis ſententiam, aut etiam acta, ad Epiſcopum tranſmittat, ſed opus eſt, ut de punitione ipſa, & ſententiæ executione, Epiſcopum certiorem faciat. --

11 III. Cùm autem Regularis delinquens extra Clauſtra degit, ex *textu Trid. ſeſſ.* 6. *cap.* 3. *de Refor.* ſubditur Epiſcopo, à quo, uti Sedis Apoſtolicæ delegato, corrigi, & puniri poteſt; -- Eccleſiarum Prælati, *textus habet*, ad corrigendum ſubditorum exceſſus prudenter, ac diligenter intendant: & nemo ſecularis Clericus, vel Regularis extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis Privilegii prætextu, tutus cenſeatur, quominùs, ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica delegato, ſecundum canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.

Etiam ſi Regularis ſit extra Clauſtra ſtudiorum causa *Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de Regul.*, vel alio quovis modo, etiam ad erectionem Monaſterii, de ſui Superioris licentia, extra ſui

Ordinis

Ordinis Monaſterium habitet, *Piaſec. cit. ſub num.*15. *verb. eoſdem Regulares*; cum licentia Superioris, ut notat *Sperel.num.*19. operetur dumtaxat, ne committatur Apoſtaſia, non vero, quin ab Ordinario pro exceſſibus poſſit puniri, *Pignatell.tom.*10.*Conſt.*153. *num.*6., ac ex Genuenſi refert Piaſec. ibid. fuiſſe à Sac. Cong. declaratum his verbis: -- Regularis manens extra clauſtra de licentia Superioris, etiam in domo deputata ad erectionem Monaſterii, niſi in dicta domo ſit Regularis obſervantia, ut ſaltem vivat ſub Superiore conventualiter, poteſt puniri ab Ordinario.

13 Quod quidem à fortiori extenditur ad vagos Religioſos, qui,cum abſque obedientialibus literis à propriis Conventibus recedant, poſſunt, tamquam ſui inſtituti deſertores, ab Ordinario puniri, prout eidem in terminis concedit Trid. allegato *cap.*4. etiam per conjectionem in carceres, ſive habitum deferant, ſive non, *Antonell.cap.*19.*num.*3.

14 Item ad Regularem degentem extra Monaſterium in domo Parochię Monaſterio unitæ,dummodo delictum ſit in concernentibus Animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem, tunc enim ex diſpoſitione Greg.XV. *Conſt.Inſcrutabili* ad Epiſcopum eundem punire ſpectat. *Peyrin. de Priu. tom.*1.*ad* 2.*Conſt.Siſti IV.*§.11.*num.*27.

15 Et ad Novitios in caſu fugæ à Conventu; & poſſe Ordinarium ad eorumdem capturam per ſuos Miniſtros procedere, ob delictum in ſeculo patratum, cum præſumatur in fraudem Religionem intraſſe, tradit Roderico *tom.*2. *quæſtionum Regul.quæſt.*63.*art.*7. *& Donat.cit. quæſt.*62.; Non verò extra caſus ab jure permiſſos, alias excommunicationem Canonis non evaderent ex *cap. Religioſo, de ſententia excommunicationis in* 6.*lib.*5.*tit.*11. verb.*Quamvis.*

16 Regulares, quomodocumque privilegiati, comprehenduntur ſub diſpoſitione Conſtitutionum Apoſtolicarum in concernentibus fidem Catholicam, ejuſque propagationem, ac S.Inquiſitionis Officium, hactenus per Sedem Apoſtolicam editarum, & de cætero edendarum Urb.VIII. *Conſt. Cum ſicut accepimus Bull.Cher.tom.*4.*pag.*180.

Quorum item, quomodolibet privilegiatorum, de hereſi culpabilium, poſſe Inquiſitores hæreticæ pravitatis cauſas cognoſcere, eoſque punire, voluit Pius IV. *Conſt. Paſtoris idem*

Bull.tom.2.pag.65. & Paulus V. *Conſt. Romanus Pontifex tom.3. pag.*209. revocavit quaſcumque facultates Superioribus conceſſas cognoſcendi cauſas ſuorum ſubditorum ad Officium Inquiſitionis quoquomodo pertinentes.

17 Nec poſſunt ſe privilegiis tueri, quin in eos, ſi hæreſes prædicaverint valeant locorum Ordinarii, uti Sedis Apoſtolicæ Delegati, procedere. Trid. *ſeſſ.5. cap.2. de Ref.*

Cum etiam abſque licentia alloquntur Moniales ex proviſione S.Conc.Conc.ad dubium: -- An Regularis abſque legitima licentia accedens ad Monaſteria Monialium Regularibus ſubjectarum, ibique in loco colloquiis deſtinato, cum Moniali colloquens, à Diœceſano Epiſcopo, tamquam à Sede Apoſtolico Delegato, coerceri, & puniri poſſit? - & cenſuit: *Poſſe. Bull. Cher. tom.3. pag.*404. *ad Conſt. Inſcrutabili Gregorii XV.* Cui ab eadem Cong. ibidem in vim alleg. Conſt. conceditur poſſe punire Regulares procedentes ad Abbatiſſę electionē, vel eidem non prænunciato electionis die, vel ante tempus ſignificatum. Ex dictis *cap. Offic. quoad Abbatiſſæ electionem.* Et in reſponſione ad tertium decimum ibidem declarat: *Conſtitutionem habere locum in omnibus delictis*, (à Regularibus, nimirum, commiſſis circa Clauſuram, aut perſonas intra ſepta Monaſteriorum Monialium degentes) *non autem in notoriis tantùm, & cum Populi ſcandalo.*

Verùm, ſive ab Epiſcopo, ſive ab eorumdem Superiore, Regularium delinquentium corrigantur, & puniantur exceſſus, id prudenter, & diligenter juxta Tridentini monitum *cap.3. ſeſſ.6.* exequi debet; & in caſu ad praxim deduci, quæ *cap. 1. de Refor. ſeſſ.13.* pro utili Animarum regimine tradit Superioribus neceſſaria; -- quos illud primùm admonendos cenſet, ut ſe Paſtores, non Percuſſores eſſe meminerint, atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, ut non in eis dominentur, ſed illos tamquam filios, & Patres diligant; elaborentque, ut hortando, & monendo ab illicitis deterreant; ne ubi deliquerint, eos pœnis coercere cogantur; quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſervanda præceptio: ut illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate, in patientia; cum ſæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam auſteritas: plus exhortatio, quam comminatio: plus charitas, quàm poteſtas.

-- Si

Si autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveritas adhibenda eſt; ut ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris, ac neceſſaria conſervetur: & qui correcti fuerint, emendentur: aut ſi reſipiſcere noluerint, cæteri ſalubri in eos animadverſionis exemplo à vitiis deterreantur; cum ſit diligentis, & pii ſimul Paſtoris officium, morbis ovium lenia primùm adhibere fomenta: poſt, ubi morbi gravitas ita poſtulet, ad acriora, & graviora remedia deſcendere.

Vide Offic. *quoad exemptionem ab Ordinarii juriſdictione*.

CAPUT XIV.

Officialis quoad Diœceſanam legem.

SUMMARIUM.

1 *Concilia Diæceſana quolibet anno celebranda.*
2 *Ad ea tenentur accedere Regulares habentes curam Animarum.*
3 *Cauſa, cur debeant accedere?*
4 *Poſſunt per Eccleſiaſticas cenſuras compelli.*
5 *Cæteri Regulares non tenentur.*
6 *Quælibet lex ad bonum publicum ordinatur.*
7 *Lex extra Territorium ſtatuentis non ligat.*
8 *Conſtitutiones Synodales, an ligent Regulares?*
9 *Regulares tenentur ad jejunia ab illis inducta.*
10 *Obſervare debent feſta, & cenſuras Epiſcopales.*
11 *Synodus ſervanda quo ad tempus humationis cadaverum.*
12 *Solos Regulares habentes curam Animarum poſſunt Epiſcopi cogere ad intereſſendum lectioni caſuum conſcientiæ.*
13 *Quid propriè importet ſuſpenſio lata in Synodo contra Confeſſarios Regulares non accedentes ad caſuum conſcientiæ conferentias.*
14 *Diviſio poteſtatis juriſdictionis.*
15 *Epiſcopus poteſtatem Ordinis exercet, in quos juriſdictionem habet.*

16 *Nulla eſt lex juriſdictionis Epiſc.propriè,quæ non ſit Diæceſana.*
17 *Ab utraque ſunt Regulares exempti.*
18 *Loca aliqua ſunt de Diæceſi, & in Diæceſi: & alia in Diæceſi, ſed non de Diæceſi.*
19 *Regulares non tenentur ad ſolvendum Synodaticum, nec Cathedraticum.*
20 *Nec ad charitativum ſubſidium.*
21 *Regulares tenentur ad ſolutionem decimarum pro bonis de novo aquiſitis.*
22 *Eas non ſolvunt non poſſidentes ſtabilia.*
23 *Etiam Moniales ad id ſunt adſtrictæ.*
24 *Quibus immunitas à ſolvendis decimis obtinetur?*
25 *Bona fides ad præſcribendum eſt neceſſaria.*

SIngulis annis ex diſpoſitione Trid.*ſeſſ.24.cap.3.de Refor.* ſunt per Epiſcopos celebranda Diæceſana Concilia, in quibus ea ſtatuantur, quæ ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, & controverſias componendas conducant,quod obſervant *Pignatel.tom.*1.
1 *Conſul.*178.*num.*7.*& Engel.Colleg.univer.jur.Cano.lib.*1.*tit.*33. §.4.*num.*47. Propterea leges, & Conſtitutiones ad præfatos effectus condere valent; eaque item ſancire, quæ pro recta adminiſtratione curæ animarum cenſent neceſſaria.

Ad quæ, vel Synodos,vocantur omnes, qui de jure intereſſe debent; & accedere tenentur etiam Regulares ad Anima-
2 rum curam deputati. *Piaſec.prax. Epiſc.part.*2.*cap.*1.*art.*1.*num.*3.*& cap.*3.*art.*6.*ſub num.*36.§.*iidem*, extendit etiam, ſi cura animarum ſit in ipſis Regularium Eccleſiis.

Quod his verbis Trid.loc.cit. ſtatuit: -- Synodi quoque Diæceſanæ quotannis celebrentur, ad quos exempti, etiam omnes, qui alias, ceſſante exemptione, intereſſe deberent, nec Capitulis generalibus ſubduntur, accedere teneantur. -- Et eſt certum, quod ſi Regulares curati non eſſent exempti, intereſſe tenerentur, ratione curæ Parochialis, ut ex iis, quæ ibi ſubdit, liquet, -- ratione tamen Parochialium, aut aliarum ſecularium Eccleſiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi ſint, Synodo intereſſe. --

Et id, ut per acceſſum ad Synodum,de iis, quæ fuerint in Synodo decreta, informentur, ut ea noſcant, quæ ſui muneris

ſunt,

3 ſunt, & poſſint rationem ſuæ adminiſtrationis Epiſcopo viſitaturo reddere. Cujus juriſdictioni, viſitationi, & correctioni in iis, quæ dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem reſpiciunt, per Trid.*ſeſ.*25.*cap.*11. *de Reg. & Conſt. Greg. XV. Inſcrutabili* ſubjiciuntur. Et poſſe Eccleſiaſticis cenſuris per
4 Epiſcopos ad acceſſum compelli, tradit *Peyrin. de Priu. ad Conſt.*2.*Julii II.*§.25. *num.*65.

5 Cæteri verò Regulares exempti, ſive Prælati, ſive ſubditi, non tenentur per Tridentinum ad Synodum accedere; quia *Capitulis generalibus ſubduntur*. Quod item notavit *Piaſecus eadem part.*2. *cap.*1. *art.*1. *num.*3. præſertim de exemptis Mendicantibus. Nec compelli ab Epiſcopo poſſunt, prout Julius II.*Conſt.Virtute conſpicuos apud Pyer. loc.cit. conceſſit Minimis*? & Clemens IV. *Conſt. Virtute conſpicuos Minoribus Bull. Cherub.tom.*1.*pag.*162.§.25.

Poſſent aliqui opinari, Regulares legibus, & Conſtitutionibus Synodalibus ligari, eo quia ad obligationem legis in non ſubditum inducendam, ſufficiat publica utilitas; verùm id ad concludenter probandum, nec ſufficit, nec efficax cenſetur; aliàs, ut notat *Sperell.dec.*188.*num.*77. tota Eccleſiaſtica
6 exemptio ſubverteretur; cum quælibet lex natura ſua ad bonum publicum ordinari ſit neceſſe, nè inutilis ſit.

Nec tamen eſt abſolutè reſolvendum Synodalem Conſtitutionem omni vi carere ad obligandos exemptos; ex quo
7 lex extra Territorium ſtatuentis non liget, ut idem *deciſ* 88. tradit; & Regulares extra Territorium Synodi cenſentur, cum eorumdem Superior non ſit.

Sed diſtinguendum inter Conſtitutiones: Si ad Clericorum mores reformandos, & moderandos ſint inſtitutæ, his non
8 ligari Regulares, firmant; *Peyrin.loc. cit.num.*77.*Lezzan.ſumm. quæſt.Reg.tom.*1.*cap.*11.*num.*13.*Lantuſc.verb. conſtitutio num.*5. *Haſbenſ.ſum.ſelect. quæſt. verb. conſtitutio num.*111. aliique. Si verò, actiones communes, devotionẽ totius populi reſpiciant, & Regulari Obſervantiæ non adverſentur; inter quæ quædam numerantur jejunia, feſta, & alia, Religioſos quoque ligant; non quidem debito obedientiæ, ſed jure naturali; quia cum & illi ſint partes, & membra illius populi, toti corpori, per citatos ibidem, ſe conformare tenentur.

Verùm quicquid ſit, an jejuniis per Synodales, vel Epi-

ſcopi

ſcopi leges inductis ex ſola decentia, & ad vitandum in populis ſcandalum adſtringantur, vult ut Hasbenſis, vel vi tantùm
9 directiva, & ut ſe conforment cæteris, ut *Donatus Prax. Regul.tom.1.part.2.tract.15. quæſt.25.num.4.*, id eſt certum, ſtricto obedientiæ debito iiſdem, quo ad ea, quæ rectam Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, aliaque in Conſtitutione *Inſcrutabili* Greg.XV. & *Superna* Clem.X. contenta, parere debere.

Et ad ſe conformandum ſecularibus in obſervatione cen-
10 ſurarum Epiſcopalium, & feſtorum Diœceſis, præcipit Trid. *ſeſſ.25.cap.12.* prout ſequitur: -- Cenſuræ, & interdicta, nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur. Dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus ſerventur, -- quod notavit etiam *Engell.Colleg.jur.Can.lib.2.tit.9.§.2.num.8.*

11 Eſt item ſervanda ſynodus quo ad tempus humationis cadaverum, ex reſponſione S.C.Rituum *in una Senogallien. ſub die 22. Junii 1675. ad Primum ſupplem.Theatr.Reg.verbo aſſociatio num.5.*

Ad caſuum autem conſcientiæ intereſſendum lectioni nequeunt Regulares, niſi ſint Parochi, & curam animarum
12 habeant, de jure, per leges ſynodales, & Epiſcopi cogi, ut tradit *Pignatel.tom.1.conſult.* 418. *& Donat.Prax. Regul.tom.1. tract.13. quæſt.25. num.5.* & in terminis firmavit ipſa S.C.C. *ſub die 3. Septembris 1630. in una Foroſempronien. lib. decr.19. fol.76.*

Adeo ut ſuſpenſio à confeſſione lata in Synodo contra Confeſſarios Regulares ad eam non accedentes, non ſit per *Donatum loc.cit.num.7.* propriè ſuſpenſio, & cenſura; cum
13 ex *cap.ut Animarum de Conſtit. in 6. lib.1.tit.2.* ſtatuta Epiſcopi non obligent, niſi ſubditos, eoſque dumtaxat cenſuris ligari valeant; Præfati verò Regulares propter exemptionis privilegium, Epiſcopo non ſubduntur; ſed eſt dumtaxat ex cauſa rationabilis approbationis revocatio. Unde *loc.cit. Donat.* notat, quod quamquam contravenientes à munere audiendi Confeſſiones ob acceſſus omiſſionem ſuſpendantur, ſi eo non obſtante, adhuc adminiſtrent, irregulares non fiunt, licet peccent & invalidè abſolvant.

Sunt

Sunt Regulares exempti à lege juriſdictionis Epiſcopalis, pro ut hæc eſt reſtricta ad ſignificandam ea, quæ ad pote-
14 ſtatem juriſdictionis referuntur, ut ſunt citare, abſolvere, punire &c. quia ſi ad legem juriſdictionis reducantur etiam, quæ ad Ordinis poteſtatem ſpectant, ut ſunt confirmare, dare Ordines, conſecrare, & hujuſmodi, ea parte, qua iſta comprehenderet, eos lex juriſdictionis ligaret, cum ex *Engel. de Privileg.*
15 *monaſt. privileg.*3. Epiſcopus poteſtatem Ordinis exercere non poſſit, niſi in quos juriſdictionem habet.

16 Et cum *Pignatell.tom.*10.*Conſult.*106. *num.*18. Nulla ſit lex juriſdictionis, accepto vocabulo propriè, quæ non ſit Diœceſana, nec lex Diœceſana detur, quæ non ſit juriſdictionis; ſive lex Diœceſana ſtatuat de iis, quæ ſunt conferenda Epiſcopo, & ab ipſo recipienda, uti ſunt quarta mortuariorum, decimarum, & alia temporalia ſubſidia, quæ ipſi ratione ſui muneris debentur; ſive de aliis, quæ tangant mores Cleri, in caſibus, in quibus Monaſteria per Apoſtolicas literas à Diœceſana exi-
17 muntur, ab ea item juriſdictionis exempta eſſe cenſentur; cum hæc item ad loca extendatur, quæ ſunt in Diœceſi, & de Diœceſi, non vero ad ea, quæ licet in Diœceſi exiſtant, intra nimirum ipſius limites, tamen propter exemptionem de Diœ-
18 ceſi non ſunt; per ea, quæ tradit *Fagnan. cap. paſtoralis de his, quæ fiunt à Prælato num.*34.*&* *Engel.lib.*5.*tit.*33.§.4.*num.*23.

Et ſic à Diœceſana ſunt exempti, ut ſi ab Epiſcopo aliqua exigantur, quæ ad eam pertineant, ad ea præſtanda non teneantur, niſi contrarium reperiatur expreſsè ſtatutum; propterea *Piaſecus praxis Epiſcopalis part.*2.*cap.*2.*art.*2.*num.*12. notat Regulares propter particulares exemptiones non teneri ad Synodaticum, seu cathedraticum ſolvendum Epiſcopo, dum
19 à Clero ipſe exigit, quod in ſignum ſubjectionis, & honorem Cathedræ debet iſte præſtare.

20 Nec tenetur ad charitativum ſubſidium, quod Epiſcopi ab Eccleſiaſticis, juſta ex cauſa, & de conſenſu Cleri, & Capituli pro neceſſitate, vel utilitate Diœceſis petere poſſunt: Etenim Charitativum ſubſidium legi Diœceſanæ acceſentur, ut tradit *Engel.loco cit.num.*5.*de privileg.Monaſteriorum.*

21 Tenentur ad ſolvendas Curatis decimas prædiales de bonis ab ipſis novitèr acquiſitis, niſi obtinuerint a Sancta Sede

ſpe-

ſpeciale privilegium eos expreſsè eximens, pro ut pluries firmavit Sac. Cong. &c. apud *Nicolio prax. Juris Can. lib.* 3.*tit.* 30. & ſpecificè in una Civitatis plebis 24. *Novemb.* 1657. & in una Camerinen. 15. *Novemb.* 1659: Ut ſequitur, Sac.C.C. cenſuit -- Bona, & prædia, quæ, dum à Laicis poſſidebantur, decimarum ſolutioni erant obnoxia, ad Regularium Monaſteria cum ſuo onere tranſiere, ac propterea Regulares teneri illas ſolvere, quemadmodum tenebantur Laici, priuſquam Bona ipſa in Monaſterium tranſtuliſſent, dictiſque Regularibus non ſuffragari allegata privilegia, ſed requiri ſpeciale privilegium poſterius Sacro Conc. Tridentino cum individua derogatione -- *C. Nuper* 34. de decimis. Ubi expreſsè diſponitur decimas eſſe ſolvendas de prędiis, bonis, & terris, quæ per religioſos de novo acquirũtur, & ea, vel propriis manibus, vel ſumptibus excolunt, dum antea erant decimis obſtricta. vide *Decretalem*, *lib.*5. *tit.* 3. *de Decimis*.

Ad quas, & Papales, ut idem refert, non tenentur Regulares non poſſidentes ſtabilia, qui de eleemoſinis vivunt, ut
22 item S. Cong. ſub die 7. *Octobris* 1625. in ſpecie pro obſervantibus diſpoſuit.

23 Moniales verò tenentur pro ut eadem Sac. Cong. Conc. 1. *Septemb.* 1629. ejuſdem teſtimonio decrevit, ut infra Sacra Cong. cenſuit ea, quæ ſupra dicta ſunt de Regularibus, procedere etiam in Monialibus, ſcilicet, quod Moniales tenentur ad decimas prædiales, ratione prædiorum noviter aquiſitorum; quæ, dum à Laicis poſſidebantur, decimarum ſolutioni erant obnoxia, & ideo tranſierunt cum onere ſuo: nec poſſe Monialibus ſuffragari prætenſam, quaſi poſſeſſionem, niſi eſſet immemorabilis cum fama privilegii. --

24 Immunitas a ſolvendis decimis obtinetur, ne dum privilegio ſpecifice exemptivo, ſed etiam conſuetudine, & præſcriptione, ut optimè obſervat *Engel. lib.*3. *tit.*30. §. 3. *nu.*46. *& ſequentibus*; & ad præſcribendum contra Eccleſiam Parochialem, tradit, cum titulo, requiri ſpatium quadraginta annorum, & ſine titulo, ut temporis ſolutionis non exiſtat memoria, ex *cap. Epiſcopum de præſcriptionibus in* 6. *lib.*2. *tit.* 13. in hac tamen, ſicut in quavis alia præſcriptione, eſt ſemper, ex
25 *cap.* 2. *titulo cit.* neceſſaria *bona fides*, ut ſcilicet quis ſine contuma-

tumacia, dolo, & fraude, ſed juſto errore fuerit in poſſeſſione non ſolvendi, aliàs mala fides cum præſcriptione ei non prodeſſet, prout notat *Gloſſa in allegat. cap. Epiſc. cit. verb. niſi iſtud.*

CAPUT XV.

Officialis quoad Electionem Prælatorum.

SVMARIVM.

1 *Electio à collatione diſtinguitur.*
2 *Contemptus poteſt irritare Electionem.*
3 *Confirmantur Electiones legitimæ.*
3 *Tempus ad opponendum præfixum.*
5 *Etiam abſentes ſunt vocandi.*
6 *Dies certa Electionis ſignificanda.*
7 *Aſſignato termino, poſſunt cæteri ad Electionem procedere.*
8 *Abſentium vota per Procuratorem non ſupplentur.*
9 *Non inſtituuntur vocales Titulares.*
10 *Leges ſubrogandi ſubſiſtunt.*
11 *Vota alternativa, conditionata, & incerta, reprobantur.*
12 *Prælati eliguntur per vota ſecreta.*
13 *Clauſula Decreti irritantis actum ſecus geſtum annullat.*
14 *Publicatio unius voti electionem caſſat.*
15 *Etiam ſi fieret privatè.*
16 *Et ſi contigeret per errorem.*
17 *Ignorantia excuſat à pæna.*
18 *Quo tempore publicatio facta noceat?*
19 *Limitatur.*
20 *Electio per publicam acclamationem non valet.*
21 *An ſuffragia debeant dari in ſcriptis?*
22 *Immiſſio ſchedæ albæ in urnam electionem non irritat.*
23 *Sine libertate non ſtat electio.*
24 *Reſtricta ad tres, vel quatuor, eſt nulla.*
25 *Quid ſi reſtringatur ad Lectores, Magiſtros &c.*
26 *Libertas, quid importet?*
27 *Præſidi non creditur, ſi aliquem excludat.*

28 *Per ſubornationem libertas læditur .*
29 *Mutuo eligentium pacto libertas offenditur .*
30 *Pœnæ contra ſubornantes per Clementem VIII..*
31 *Aliæ per Pium V.*
32 *Facultas abſolvendi ab excommunicatione .*
33 *Tractatus conſultorii electionibus præmittantur .*
34 *Juramentum de eligendo magis dignum .*
35 *Cauſa jurandi , qualis ?*
36 *Quis ſit dignior ad Prælaturam ?*
37 *Non poſitivus , ſed comperativus eligendus .*
38 *Ineligibiles in Ordine Minorum de Obſervantia .*
39 *Conſtitutio declaratoria Innocentii XII.*
40 *An Prælaturæ regulares dicantur beneficia Eccleſiaſtica ?*
41 *Munus, vel à manu, à lingua , vel obſequio, ſimoniam inducit .*
42 *Simoniacè electus debet renunciare .*
43 *Etiamſi ſimonia fuerit occulta .*
44 *Verba Extravagantis* : cum deteſtabile , *extenduntur .*
45 *Enumerantur aliqui caſus electionis ſimoniacæ .*
46 *Pactum de re ſpirituali ſimoniam infert .*
47 *Quid de Paciſcente de commodo electionis ?*
48 *Vota reſpectu querum debeant eſſe majora ?*
49 *Ad electionem canonicam ſufficit major pars ex Clementina* Exivi .
50 *Majoritas numerum , & ſanitas zelum , reſpicit .*
51 *Electus ante confirmationem , non adminiſtrat .*
52 *A quibus electiones confirmentur ?*
53 *Quando inhabilis vitiet electionem .*
54 *Præſes non privat aliquem vocem activa, vel paſſiva .*
55 *Tempus electionis .*
56 *Regulæ quorumdam eligendorum apud Minores de Obſervantia .*
37 *Votum deciſivum in paritate votorum habet aliquando Provincialis .*
58 *Procurator Generalis , & Commiſſarius Curiæ Ordinis Minorum de Corpore Obſervantiæ eliguntur de ſexennio in ſexennium .*
59 *In caſu vacantiæ recurritur ad Sedem Apoſtolicam .*
60 *Eorum Electiones fiunt per ballottationem .*
61 *Electio Procuratoris Generalis Reformatorum pari modo fit .*

62 *Mi-*

62 *Miniſtri Generales Ordinis Minorum prærogotivis fruuntur, etiam non expleto ſexennio.*

63 *Suffragia Monialium ægrotantium in electione Abbatiſsæ, an recipienda.*

64 *In Electione Abbatiſsæ non poteſt intereſse Notarius, & ſine eo facta, ſubſiſtit.*

1 POtiſſima vis electionis, ejuſque ratio, ut à collatione, inſtitutione, & deputatione ſecernitur, in votis Capitularium, seù Eligentium conſiſtit, ut tradit *Engel. Colleg. univ. Jur. Can. lib.* 1. *tit.* 5., cui ſubſcribens *Ameno pract. crim. tit.* 2. §. 1. *num.* 32. *pag.* 78. *addit*: Electionem canonicam exigere eſſentialiter, quod ſit facta à Collegio, ſic, ut ſi ab uno dumtaxat habente facultatem eligendi, eamque confirmandi, ſit facta, creatio, & collatio, non verò electio, dicatur.

2 Ideo ad electionem ſunt vocandi, quotquot habent de jure jus ſuffragandi, ut tenent Doctores communiter; ex *cap. Quia propter de Elect. lib.* 1. *tit.* 6. & ibi videnda *Gloſsa ver. qui debent*; adeout, ſi vel unus, qui de jure, aut conſuetudine vocari debuiſſet, vocatus non ſit, poſſit agere de contemptu, & electionem irritare, ex notatis per *Engel. ibidem* §. 1. *num.* 11. niſi ob bonum pacis velit electioni conſentire, & non contradicere.

Propterea, ut habet *Hasbenſis Summ. qq. ſelect. verb. electio num.* 174. dicendum, quod, licet electio taliter facta non ſit ipſo jure nulla, eſt tamen annullanda, ſi opponat de contemptu; quamquam unius tantùm contemptus ſit, cum exadnotatis a *Pignatel. tom.* 10. *Conſul.* 19. *num.* 11., plus obſit contemptus unius, quàm contradictio multorum.

Etiam poſtquam fuerit confirmata, per *Layma. qq. Canon. de Prælatorum electione cap.* 4. *qu.* 40. quia confirmantur
3 electiones, non quæcunque, ſed legitimæ. Limitatur tamen ſi contemptus ante confirmationem, ſciens electionem factam, nihil opponat; cum in caſu cenſeatur tacitè approbare, & juri ſuo renunciare, ut poſtea non ſit audiendus. Imo contemptus ratam poteſt habere electionem, quæ non eſt caſſanda, ſi ipſe taceat, & ratam habeat, ut tradit *Paſserin. de ele-*

ctione can. cap. 11. *num.* 119. *& Sperell. deciſ.* 181. *num.* 43. *addens num.* 47., modo electio, habito reſpectu ad contemptos, fuerit facta a majori parte, alias remaneret nulla.

4 Tempus ad opponendum per appellationem diſponitur capite *Concertationi de Appellationibus in* 6. *lib.* 2. *tit.* 15. ad decem dies. Et forma, ab jure ſtatuta, ſervanda ad opponendum electioni, habetur, ut notavit *Pignatell.* ibi *conſ.* 42. *nu.* 3. *capite ut circa de electione in* 6. *lib.* 1. *tit.* 6. ubi in terminis: -- Appellantes in inſtrumento publico, ſeu literis ſuper appellatione confectis, omnia, & ſingula exprimant, quæ in forma intendunt obiicere, vel perſonas coram perſonis authenticis, aut perſona, quæ ſupra hoc teſtimonium perhibeant veritati, corporali præſtito juramento, quod credunt ea, quæ ſic exprimunt eſſe vera, & ſe poſſe probare. --

Dici non poteſt contemptus, & nulla iniuria irrogatur ei, qui manens in Conventu, ad effectum Capituli electo, ſi ad locum electionis cum aliis non acceſſerit, ut pote, ſicut cęteri, & ipſe per ſonum Campanæ vocetur. *Pignatell. nu.* 17.

5 Etiam abſentes eſſe citandos, niſi ſint valdè remoti, & poſſint commodè intereſſe, tradunt cum aliis *Layman. cit. qu.* 36., *& Engel. num.* 11. *ex cap. cit. quia propter*; exprimendo ad effectum electionis vocari, vt ſic vocati, vel greſſus accelerent, vel de impedimento doceant; cum præfixione temporis pro electione determinati, & ſufficientis, ex notatis à *Pignatell. Conſul.* 58. *num.* 4.

6 Alias ſi dies certa electionis in citatione omitteretur, ſingula poſt eam geſta, vitio nullitatis ſubiacerent; cum talis ſint generis ea, quæ prævia citatione certam diem non continente, exequuntur. Et tempus non debet eſſe ita breve, ut impoſſibile ſit in eo comparere; alioquin pro non facta citatio cenſetur, ut tradit Bonifacius VIII. *extravagant. Rem non novam de dolo, & Contumacia lib.* 2. Et non ſolùm tribus diebus ſunt expectandi, ſed quot erunt pro itinere neceſſarii, niſi eſſet in doloſa mora, quia juxta regulam 26. in 6. *mora ſua cuilibet eſt nociva*, & notavit *Sanctoro ſuper ſtatuta S. Franciſci cap.* 8. *ſtat.* 36. *pag. mihi* 641.

7 Aſſignato termino ad eligendum præfixo, & ad comparendum ſufficiente, poſſunt cæteri ad electionem procedere, quamquam alii non acceſſerint; cum propter eorum abſen-

tiam

tiam ſuo jure non priventur. Imo ſi ideo eſſet electio retardanda, poſſet id ſæpe propter aliquorum malitiam in certum Religionis damnum contingere, ut ibidem *ſtat.* 19. *pag. mihi* 582. idem obſervavit Sanctoro: Et *Hasbenſ. num.* 176., extendens etiam ad caſum, quo aliqui in loco electionis cum cæteris congregati, ex eo irrationabiliter exeunt. Tunc enim cum Electoribus amplius non computantur per *Roderic. reſol.* 58. *verb. de Electione Prælatorum num.* 13. & remanentes jure ſuo uti poſſunt, & ad electionem procedere, quod præter ipſum docet *Layman. qu.* 36.; apud quos, ex *Engel. num.* 12. totum jus eligendi reſidet; & univerſam Religionem repreſentant, *Sanct. allegato*, *ſtat.* 19.

8 Abſentium vota per Procuratorem ſuppleri non poſſunt, ut cenſuit Sac. Cong: Concil. in una *Bulgariæ die* 3. *Decembris* 1644. *ad cap.* 6. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* apud *Pignatell. tom.* 1. *Conſul.* 285. in terminis Regularis ob paupertatem impotentis ſe transferre ad locum Capituli; & eadem *Sacr. Congreg. cenſuit cavendum, ne deinceps Titulares conſtituantur ad effectum electionis faciendæ, aut voces, & ſuffragia abſentium ſuppleantur lib.* 12. *decret. fol.* 149.

9 Et cùm *Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de Reg.* id etiam prohibeat, intelligendum eſt ex *Pignatell. tom.* 10. *Conſul.* 77. *num.* 16. id eſſe interdictum Præſidi Electionis, vel Capitulo, ſic; ut nequeant propria authoritate Vocales Titulares, alioſve ad effectum electionis inſtituere, & ſimili modo abſentium ſupplere vota, cum hujus generis electiones, nec ſecundum Deum ſint, & in Religionum perniciem ſæpius contingant.

10 Nec ſequitur tolli Conſtitutiones Ordinum de ſubrogatione (præſertim per Sedem Apoſtolicam approbatas) cum in caſu vota non ſuppleantur authoritate Præſidis, cui ſit voluntarium aliquos ſibi benè viſos in fraudem electionis aſſumere, ſed neceſſitate legis, taxantis ſub rogandorum qualitates, & genus.

11 Vota alternativa, ut *eligo Petrum, vel Paulum*: & conditionata, ſi conditio ſit de futuro ſuſpendens actum, ut; *Eligo Petrum, ſi in eum major pars Capituli conſenſerit*: & incerta, *ut illum eligo, quem Paulus eligit*, pro non datis habentur, & reprobantur capite *in Electionibus de Elect. in* 6. *lib.* 1. *tit.* 6. *& notat ibi Gloſſa*, ea eſſe ipſo jure nulla, ſic, ut tota poteſtas

eli-

eligendi apud eos ſit, qui purè, & abſolutè elegerunt.

12 Prælatorum electiones per vota ſecreta debent fieri; & ſic, ut nomina eligentium nunquam publicentur, per diſpoſita, allegato *cap. Quia propter*, *& à Trid. loco cit.* eo fine, *ut omnia rectè*, *& ſine ulla fraude fiant*; &, ut ſignificaret id ad formam ſubſtantialem electionis pertinere, appoſuit, (ſed prius eo allegat capt.) clauſulam Decreti irritantis: irritam declarando quamcumque electionem aliter factam, prout notavit *Sperell. deciſ.* 161. *num.* 8. *&* 181. *num.* 13. ibidem cum
13 aliis notans ejuſdem Decreti clauſulam ipſo jure actum ſecus geſtum annullare; addens *num.* 15. omnem in contrarium tollere conſuetudinem, quia non datur locus conſuetudini contra Decretum irritans, *Donat. tom.* 1. *tract.* 1. *quæſt.* 11. *num.* 3. Ne dum in præteritum, ſed etiam infuturum, prout *Hasbenſi loco cit. num.* 184. *& Rota coram Rojas deciſ.* 618. *nu.* 24. *tom.* 2. *par.* 5. *deciſ. Recent.*

14 Quare, electio facta cum publicatione voti unius dumtaxat Electoris, ut certo inde ſciri poſſit, cui ſuffragium dederit, ſtatim corruit, & ipſo jure eſt nulla: ex non ſervata forma ejus ſubſtantiali in præfato voto, ut firmant Doctores, *Sanct. cit. cap. ſtat.* 4. *Pignatell. Conſul.* 77. Habens. bidem *Sperell. deciſ.* 161. *referens num.* 21. ex Vaſquez rationem, quod res perfecta non eſt, ſi aliqua ex parte forma deſit, per quam conſtituitur, cum perfectum id ſit, quod omnibus ſuis partibus conſtat.

Quod intelligendum, ne dum, ſi totum Capitulum conſentiat, vel unicum votum permittat manifeſtari; ſed etiam,
15 ſi quis privatè, & ſine conſenſu Capituli, ſuam ſchedulam publicet; quia defectus formæ ſubſtantialis, ex *Sperell. n.* 22., inficit abſolutè electionem, undecumq; proveniat. Et utrumque videtur eſſe contra diſpoſitionem Conciliarem, non diſtinguentem publicè, vel privatim, & exigens vota debere eſſe ſecreta, & ſicut ex *Gloſ. in cap. Quia propter* non valet depoſitio teſtis, niſi ſecreto deponat; (& hoc exigitur, ut liberiùs veritatem dicat) ſic in caſu.

16 Etiam ſi manifeſtatio contingat ignoranter, & per errorem, quia Decretum irritans, etiam ignorantes ligat *cap. Dudum de præbendis in* 6. *§. Et quia Decretum lib.* 3. *tit.* 4. *Et cap. Quodam ibid.*; & ex clauſula, quæ apponi ſolet in *Conſtit. Pontif.*

tiſ. prout ſequitur : -- ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. -- Et apud *Sperell. n.* 31. *allega. deciſ.* 161.

17 Ignorantia ad ſummum facit, quod publicans, pœnas ſtatutas non incurrat, ex *Gloſſ. ad Text. Clement. Nolentes de Hæreticis, verb. ex nunc.*

18 Publicatio voti, ut concludat electionis nullitatem per notata à *Pignatell. n.* 15. *& Haſbenſ. n. cit.* debet eſſe, vel in ipſo electionis actu, vel priuſquam publicetur, aut incluſivè ante confirmationem. Unde ſi poſt iſtam contingat, electioni, per Sanctoro, non nocet, cum jam ſit canonicè facta, & in rem judicatam tranſierit. Noceret tamen, ſi in literis electionis nomina Eligentium exprimerentur, quamquam in ſcrutinio fuerint ſecreta, *Pignatell. n.* 13.

19 Limitatur ab iiſdem, & *Sperell. num.* 13. *Roderic. tom.* 2. *q.*51. *art.* 9. in caſu, quo quis in fraudem electionis, & ad eam infringendam, ſuum votum publicat; etenim tunc electio ſubſtinetur, ne fraus, & dolus præfato patrocinetur, & in poteſtate cujuslibet ſit electiones, ad præſcriptum Canonum celebratas, propria malitia vitiare. Quod ſignificat *Paſſerin. de elect. Canon. cap.* 17. *de ſecreto electionis n.* 13.

Item dum quis, aut per errorem, aut malitiam alteri ſecretò ſuam ſchedulam oſtendit; dummodo hujuſmodi manifeſtatio, nec vere ſit, nec præſumatur cauſa, cur potiùs iſte, quam alter ſit electus ex *Sperell. n.* 36.

20 Non ſubſtinetur tamen electio facta ab Electoribus ad ſcrutinium congregatis, per publicam acclamationem, ob defectum formæ ſubſtantialis non ſervatæ.

21 Ubi electiones fiunt per ſchedulas, non officit electionis ſecretò, quod quis ſuum votum ex ignorantia non ſcribat, & ad ſcrutatores accedens, ore, ſecretò tamen, & ſic, ut à cæteris de Capitulo non audiatur, dicat: *Eligo in Provincialem &c.* ſicut ſecretæ, canonicæ & validæ apud omnes ſunt electiones per Moniales oretenus factæ. Ideo non eſt neceſſe, ut ſuffragia dentur in ſcriptis, ita obſignata, ut nec Scrutatoribus innoteſcat nomen Suffragatoris; niſi aliter ex notatis à *Pignatel. n.* 13. *per Conſtit.* vel Apoſtolicas, vel particulares Religionum, ſit diſpoſitum. Ut videtur eſſe apud Minores de Obſervantia ex *Conſt. Sixti V. incipit Et comunis cura edita* 29.

Julii

Julii 1587. *apud Roderico Coll. Privil. Apoſt. pag. mihi* 494., præſcribentis electiones ſemper faciendas eſſe per ſchedulas obſignatas, cum appoſitione Decreti irritantis: Etenim notat *Paſſerinus loc. cit.* non eſſe contra ſecretum electionis, nec contra formam Trid., quod Scrutatores ſciant Eligentium nomina, cum in ſcrutinio auriculari Scrutatores nomina Eligentium ſciant; limitat tamen, ut non verificetur, ſi cum Decreto irritanti præcipiatur eligere per ſchedulas omnino obſignatas ſic, ut nec Scrutatoribus innoteſcat nomen Eligentium.

22 Non irritatur electio, ſi quis per errorem, vel malitiam ſchedulam albam mittat in urnam, ut docet *Lezz. Sum. qq. Regul. tom. primo cap.* 15. *de electionibus n.* 18. *Roder. reſol. & n. cit. Haſbenſ. n.* 186. quia cenſetur tunc ſuo juri renunciare, & nolle ea in electione vocem activam habere, ſicut nec eſſe de numero Electorum.

23 Irrita, & nulla eſt electio, cum ab Electoribus libertas ſuffragandi tollitur ex *Cabaſut. Theor. juris Canon. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 7. nam in omnium ſententia, libertas eſt de eſſentia, & ſubſtantia electionis, ſine qua ſubſiſtere nequit; & expreſsè habetur *cap. ubi Periculum de electione in* 6. *lib. primo tit.* 6. *§. ceterum*, ubi: *Ceſſat electio, dum libertas adimitur eligendi*.

24 Ideo nulla eſt electio ſine authoritate Apoſtolica reſtricta, & limitata ad tres, vel quatuor, excluſis cæteris, ex adnotatis à *Roderico reſol.* 58. *Hasben. n.* 185. *Mirand. Manual. Prælat. q.* 10. *t.* 2. *art.* 22. *concl.* 2. *Pignatel. conſ.* 77. *n.* 9. *Cabazut. ibid. n.* 9. *Peyr. tom.* 3. *de Privil. additam. ad Conſt. Clementis VIII. cap.* 9. *n.* 19. refert Sacræ Congregationis Concilii reſponſum ad Dubium: -- An ſtante libertate electionis liceat Prælato Regulari proponere duos, vel tres, ex quibus neceſſariò eligatur unus? *S. C.* cenſuit non licere. -- *lib.* 12. *Decr. fol.* 136.

25 Et quamquam per *DD.*, *& Roder. ibid. cit.* non dicatur reſtricta, ſi limitetur ad aliquod genus perſonarum, ut ad Magiſtros, Lectores &c., vel ad certam Nationem; & valeat ex *Donat. q.* 10. ſicut illa Pontificis, qui de Collegio Cardinalium aſſumitur; intelligendum tamen per *Sanctor. ſtat.* 14. dum arctatio particulares perſonas non reſpicit; nam ſi ex Natione, unus dumtaxat eſſet dignus eligi, electio non eſſet aſſumptio unius ex pluribus, nec Electores dicerentur liberè eligere;

26 cum libertas ſine indifferentia non ſit; & hæc duo ad minus requirat,

requirat, ut ad unum magis, quàm ad alterum determinetur per *Pignatel. tom. & conſul. cit. Donat. tom. 2. part. prima tract. primo q. 9.*

Ex quo ibidem notat *Sanctor.* Mortaliter Præſidem peccare, ſi electiones arctet; cui credendum non eſt, ſi aliquem,
27 juris ordine non ſervato, excludat, aſſerendo eſſe indignum Prælatura, prout tradit *Ameno pract. crim. tit. 12. q. 5. n. 29.* ejuſdemque electio ex eodem *ibid.*, & alterius à Præſide non nominati, ſi contingat, valet, ex *Roderic.* Non ſuſtinetur tamen illius à Præſide nominati, ſi nominatio fuerit cauſa, cur ipſe ſit electus, ut *ſtat. 36. Sanct.* notavit.

28 Læditur electionis libertas, cum aliqui per ſubornationem, toto conatu, & viribus, Suffragatores moraliter cogunt ad ferenda Suffragia pro uno determinato, aliis relictis, ut optimè notavit, aliis cumulatis, *Pignatel. n. 7.* Sive id minis, & contumeliis obtineant, ſive promiſſis, & donis extorqueant, ſive importunis, & aſſiduis precibus, cæteriſque aptis ad quorumlibet conſtantes movendos animos, lucrentur; aut metu, etiam reverentiali, aliove modo interdicto aſſequantur; etenim non eſt dubium id per ſubornationem obtineri, conſequenter libertati adverſari, ut cum aliis docet *Lezzan. citat. num. 21.*

29 Item, cum quidam ante electionem mutuo paciſcuntur: *Elige me in Generalem, & ego eligam te in Provincialem*, quia in caſu ſuffragia, non liberè, ſed ex obligatione pacti, per *Pignatel. cit. tom. conſ. 44. n. 30.* darentur.

Contra Subornatores, *Conſtit. Nullus omnino Bull. Cher.*
30 *tom. 3. pag. 79.* pœnas Clemens VIII. appoſuit, ut infra: Ut omnis officiorum ambitus occaſio præcludatur, caveant omnes à directa, vel indirecta vocum, ſeu ſuffragiorum procuratione, tam pro ſe ipſis, quàm pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris, præſertim generalibus Capitulis, aut Congregationibus, ſeu alibi. Quicumque ſecus fecerint, præter alias pœnas, & cenſuras, hactenus contra hujuſmodi ambientes inflictas, quas in ſuo robore permanere volumus, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipſo incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, ſuper quo cum eis diſpenſari à nemine poſſit, niſi à Nobis, vel Succeſſoribus Noſtris, & pro qualitate culparum, gravius,

etiam plectantur. Porrò ſupradictas omnes pœnas ad Complices, ac ſimpliciter ſcientes,& non revelantes extendimus. --

Et Pius V. Subornatoribus, in Ordine Min. de Obſ. alias addit, ut in *Conſtit. Paſtoralis*. *Bull. Cherub. tom.2. pag.*338.,
31 ubi §. 4. diſponitur: -- Qui verò in electionibus omnibus, vel ante eas per ſex menſes, pro ſe, vel pro alio, ſubornaverit, excommunicationis ſententiam ipſofacto incurrat, à qua, niſi à Romano Pontifice, pro tempore exiſtente, præter quam in mortis articulo abſolvi non poſſit, ac voce activa, & paſſiva perpetuò careat; Subornatus, vel alius, etiam pro quo ſubornatio fiet, qui Subornantem non detulerit, eamdem pœnam incurrere cenſeatur.

Cui acceſſit Conſtitutio declaratoria Gregorii XIII. *Con-*
32 *ſuevit Romanus Pontifex, ibid. pag.* 373. tribuentis §. 6. Miniſtro, & Commiſſario Generalibus facultatem abſolvendi ab ea excommunicatione, quando de ipſis non agitur; Et revocantis diſpoſitionem Pii, eam pœnam extendentis ad Subornatum, & alios, qui Subornantem non revelaverint.

33 Cæterum electionibus præire, & præmitti debent tractatus Conſultorii, in quibus diſcutiantur merita, partes, & qualitates Eligendorum, & ita neceſſariò, ut electio aliter facta, non valeat ex diſpoſitione *Cap. Cum in veteri de electione lib.*1. *tit.* 6. & ibi *Gloſſa verbo in tractatu*, ait: tractatus debere haberi ante electionem; &, ſi non præmittantur, electio caſſatur; & textus non dicit electionem eſſe ipſofacto nullam: *Sed electionis vitio duximus irritandam*. Et Trid. *ſeſſ.*24. *cap. primo de Reform.*, habentes jus in electionibus ſuffragandi, ſic hortatur: -- ut in primis meminerint nihil ſe ad Dei gloriam, & Populorum ſalutem, utilius poſſe facere, quam ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promoveri ſtudeant; eoſque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint: non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.

Ad quod reſpiciens Clemens VIII. *loc. cit.* §. 23., habet:
34 -- Jurentque Electores, ſecundum veritatem cujuſque conſcientiæ probiores, & magis idoneos, ſe electuros. --

Quod expreſsè injunctum reperitur Minoribus de Obſ.

per

per *Statuta Cap. gen.* 1676., ſpecificè confirmata à S.M. Innocentio XI. *Conſt. Militantis. Orb. Seraph. tom.* 4. *pag.* 217. -- ut ſub pœna non ſuffragandi, antequam ad electionem Miniſtri, Cuſtodis, Diffinitorum, & Guardianorum, procedant, ſigillatìm juramentum præſtent coram Ven. Crucifixi Imagine, præſente Præſide, ſe eum electuros, in quolibet prædictorum Officiorum reſpectivè, quem in conſcientia, & omnibus æqua lance libratis, digniorem judicabunt. --

Abſque autem examine, & prævio Eligendorum ſcrutinio qualitatum, impoſſibile eſt, quempiam ſecundum propriam conſcientiam certò affirmare, unum alio Prælatura digniorem. Et ſi id juramento firmet, à gravi non liberatur peccato, propter gravem irreverentiam Deo irrogatam; qui non eſt temerè in teſtimonium adducendus, ſed cum juſtitia, veritate, & judicio per *DD. apud Summ. Leand. verb. Juramen-*
35 *tum num.* 4. Sic, ſcilicet, ut cauſa jurandi neceſſaria ſit, ſive utilis, ſive pia; & jurans advertat, ſeù bona fide putet, verum eſſe, quod jurejurando firmat, ut advertit *Tambur. explic. Deal. lib.* 2. *cap. primo de Juramento* §. 4. *pag.* 78. Nullus enim hucuſque dixerit de incognito juramentum licere; unde tractatu præciſo, electio non eſſet rationabilis, ſed caſualis, & Electores mortaliter peccarent. *Sanctor. de pœnis part.* 2. *cap.* 15. *pag. mihi* 156.

36 Dignior in ordine ad electionem, ex notatis ab *Hasbenſe n.* 162. ille cenſetur, qui, cæteris conſideratis, & perpenſis, aptior ad regendum judicatur; Et quamquam alius eo doctior, & ſanctior reperiatur, tamen, quia in cæteris miniſterio erit ineptior, ideo relinquendus iſte, aſſumendus ille; cum in hoc non ſit abſolutè attendendum ad majores qualitates morum, & Doctrinæ, ſed ad illas, quæ præfato muneri magis proficuæ, & utiliores judicantur; Dummodo eligendus ſit aliàs idoneus, vita, moribus, & doctrina, juxta ſenſum Tridentini.

Nec ſubſiſtere cenſeo, aſſertum *Haſbenſis n.* 161. poſſe aliquem pro bono pacis ſuffragari minus digno, ſi cæteri omnes illum eligere vellent, captivando intellectum proprium in obſequium ſingulorum, quod dignior ſit: ſi aliàs, ita non eſſe noverit; & id ex circumſtantia juramenti, de eo eligendo, qui ſit dignior, non aliorum judicio, ſed proprio. Ideo ſi Ele-
37 ctores ſine culpa eſſe velint, non poſitivum, ſed comparati-

vum eligant : non dignum , ſed digniorem.

In Ordine Minorum de Corpore Obſervantiæ ad Prælaturas Religionis ſunt ineligibiles , quotquot comprehendun-
38 tur ſub diſpoſitione Innoc. XI. *Conſt. Sollicitudo . Orb. Seraph. tom.* 4. *pag.* 223. , in qua in terminis electionis habet : -- Statuimus pariter neminem eligi poſſe in Prælatum , ſive Superiorem in Ordine prædicto, qui vitam communem obſervantiæ non ſequatur, hoc eſt, qui frequenter equitet, ſeu infirmitatem, qua ab obligatione pedibus incedendi excuſetur, habeat : qui induſiis, ſeu camiſiis, aut lineis utatur apud ſe , vel in lecto : qui calceatus incedat : qui jejunia Eccleſiæ , & Regulæ non obſervet : qui aliquando viſus ſit contrectare pecunias, niſi jam, per triennium ſaltem, emendatus ſit : qui notabiliter defectuoſus ſit in aſſiſtendo communitatibus Chori,Refectorii , & aliis , prout ſibi in Conſtitutionibus præſcribitur . Porrò electio illius , qui in omnibus præmiſſis vitam communem non ſequatur , irritanda ſit à Prælato , ſive Superiore Generali, capta informatione extra judiciali , pro ſua conſcientia, ſine ſtrepitu judicii, cum conſilio tamen, & aſſenſu trium Fratrum , qui Miniſtri Provinciales , vel ſaltèm Diffinitores Provinciales ſint , vel fuerint ; ipſorum autem conſcientias , nè, aut ille expellatur, qui vitam communem ſequatur, aut ille confirmetur, qui eam non obſervet, oneramus . --

39 Quibus acceſſit Conſtitutio declaratoria Innocentii XII. incipit *Alias à fel. rec. Collectio Bull. Inn. XII. pag. mihi* 188. declarantis -- Religioſos omnes præfati Ordinis , qui vitam communem obſervantiæ in præinſertis Innocentii,Prędeceſſoris literis præſcriptam , verè, & cum effectu ſequi non ſolent , etiam ſi, id ex infirmitate,ſeu alia quavis neceſſitate, & abſque ipſorum cauſa accidat , in Prælatos , ſeu Superiores ejuſdem Ordinis eligi non poſſe , eorumque electionem, ſi quando fiat, tametſi aliàs canonica foret, à Prælato, ſive Superiore Generali dicti Ordinis , ſervata quo ad hoc earumdem literarum forma, irritandam eſſe : illos verò , qui in prædictis obſervantiæ communis exercitiis, ſeu in eorum aliquo culpabiliter deficere conſueverunt , non modo , ut ſupra ineligibiles eſſe , ſed inſuper pœnis Conſtitutionum ipſius Ordinis ſubjacere authoritate Apoſtolica , tenore præſentium declaramus , ac etiam & ordinamus . --

40 Re-

40 Regulares Prælaturæ, etſi ſtricta, & propria ſignificatione beneficia Eccleſiaſtica nuncupari non poſſint, ex non adjuncta utilitate redditũum Eccleſiaſticorum, tamen, non improprię per *Cabaſut. Thor. Jur. Can. lib. primo cap.* 8. inter ea Beneficia computantur; vel, ut obſervat *Lezzan. num.* 32. & *Hasbenſ. num.* 85. ſunt quaſi beneficia, & res ſpirituales, propter ſpiritualem juriſdictionem in ſubditos, & plures curam Animarum habent annexam per *Donat. loc. cit. q.* 27. *num.* 2. Ideo ſimili modo diſcurrendum de illis, ac de Beneficiis, & conſiderandum poſſe in earum collatione itidem committi ſimoniam.

41 Idcirco Electores, gratis debent ſuffragari, adeo ut ſi illicio muneris, vel à manu, ut *pecuniæ*, aut rei pecunia vendibilis: vel ab oſſequio ut *ſervitii*, famulatus, cujuſcumque ſit generis: vel à lingua, ut *laudis*, *precum*, *vel vituperii*, moveantur (quodlibet enim ex illis ſimoniam inducit ex Gloſſa in *cap. Ordinat.cauſ.*1.*quæſt.*1.*pag.mihi* 183.) electio ſit ſimoniaca, conſequenter nulla; & qui Prælaturas per ſimoniam ſit adeptus, ſub Animæ ſuæ periculo, adſtrictus ſit, ad eas dimittendas, ut uno ore tradunt Doctores; & diſponitur *cap. Cum deteſtabile lib.*3. *Extravagant. com.* ubi: -- per electiones verò poſtulationes, confirmationes, proviſiones, ſeu quaſvis alias diſpoſitiones, quas ſimoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omnino carent in Eccleſiis, Monaſteriis, Dignitatibus, Perſonatibus, Officiis Eccleſiaſticis, & quibuſvis Beneficiis, aut aliquo eorum, cuiquam nullatenus acquiratur: nec inde faciat aliquis fructus ſuos: ſed ad illorum omnium, quæ percepit reſtitutionem, ſub Animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus. -- Et ulterius ſtatuitur pœna excommunicationis Sedi Apoſtolicæ reſervata in omnes, -- qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerit, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, ſeu procuraverint.

Et ibi diſpoſita locum etiam habent, ſi ſimonia fuerit oc-
43 culta, ut expreſsè textus: -- Et eorum quemlibet, tam manifeſtum, vel occultum, quas ipſo facto eas incurrere volumus. --

Verba *Extravag. officiis Eccleſiaſticis* extendunt diſpoſitionem Conſtitutionis; unde tradit *Lezz. num.*28. Simoniam
44 committi poſſe, nedùm in electione Abbatum, Generalium, Provincialium, Procuratorum Ordinis, Diffinitorum, Guar-

diano-

dianorum &c. ſed etiam in concedendis facultatibus audiendi confeſſiones, prædicandi, recipiendi Ordines &c.

45 Si ab eligendo detur, vel promittatur pecunia, ſimoniacè eligitur, ex Can. *Præsbyter cauſ.* 1. *quæſt.* 1. *pag. mihi* 163. *à terg.* & Can. *Si quis præbendam, vel Prioratum eadem cauſa quæſt.* 4. *pag.* 90. Et colligitur ex Lateranenſi 3. *cap.* 7. *de ſimonia vitanda*, apud *Bail. ſumm. Conc. tom.* 1. *pag.* 406. *lit. C.*

Etiam ſi abſque illa eſſent Electores parati illum eligere; ſive eiſdem conferatur, ſive eorum amicis, & conſanguineis, ut docet *Peyr. tom.* 3. *additamentum ad Conſt. Clem. VIII. cap.* 9. *num.* 8.

Si verò pecuniam non ipſe, ſed alter, uni electorum amico conferat, diſtinguendum eſt: ſi erant Electores aliàs eum determinatè electuri, electio ſubſiſtit, quia inter eos, & electum, nullum præceſſit pactum, & conventio; quæ, ut ſimoniam inducant, antecedere debent, ex *Pignatel. conſ.* 44. *num.* 4. Nec ipſa pecunia eſt in re medium, & pretium ad electionem. Licet propter ſcandalum, & malam conſequentiam; & ne eo prætextu palliatis ſimoniis aditus pateat, nec id Electores, & eligendus, permittere debent.

Si autem illum electuri non erant, eſt certum, non valere, ut ibid. advertit Peyr.

Sicut, nec ea ſuſtinetur, in qua unus ex Electoribus dumtaxat, alias ad unum determinatè aſſumendum promptus, labe non timeat fœdari ſimoniæ, ut in terminis tradit *Donat. tom.* 2. *tract.* 1. *quæſt.* 22. *num.* 9.

Neque illius, cujus amici, ipſo etiam ignorante, pecuniam Electoribus pollicentur; niſi concludenter probetur, & conſtet eam in fraudem electi promitti: vel eo cõtra proteſtante, ex *Engel. cit. lib.* 5. *tit.* 3. §. 1. *n.* 9. Et *Natali Alexandro tom.* 6. *Theol. Dogm. & moral. lib.* 2. *de ſimon. Regul.* 24.

Corruit tamquam ſimoniaca electio, ſi invicem Electores conveniant, & paciſcantur: -- Elige tu illum, & ego eligam, quem tu mihi propoſueris: vel, concedas mihi tuum ſuffragium in hoc Capitulo, & ego tibi dabo meum in futuro; -- quia quódlibet pactum, quod eſt medium ad aſſequendam dignitatem, ſimoniam inducere notavit *Piaſec. prax. Epiſ. part.* 2. *cap.* 5. *art.* 3. *num.* 57.

46 Etiam ſi id fuerit de re ſpirituali pro ſpirituali; quando-

qui-

quidem ſimonia, ex eodem *Piaſec. ibid.* concluditur, etiam ob rem ſpiritualem, ſi hæc reducatur in pactum, & gratis non detur, contra textum Evangelii Matthæi x. *Gratis accepiſtis, gratis date*; ob id in ſpiritualibus pactiones ſunt interdictæ, & fugiendæ, ex *Cabaſ. lib.*5. *cap.*4. *num.*16. Circa quæ teſtatur *Pignatel.num.*30. quodcumque, ut illicitum damnari pactum; & ex eo præcipuam eis irrogari injuriam, & irreligioſè tractari, dum ita vilia putentur, vel, ut poſſint venire in computationem rerum temporalium, vel, ut cenſeantur poſſe ſubeſſe humanis contractibus.

Et id *Donat.num.*10.extendit etiam ſi Electores affirment, ſe non de ſubſtantia electionis paciſci, ſed commodo, quod
47 certò conſequi ſperant, ſi Petrum, v.g; eligant; Quia, cum commodum ſit ex neceſſario connexis cùm electione; & ita, ut, ea præciſa, obtineri ſit impoſſibile, expreſsè paciſcentes de commodo, implicitè in pactum electionem deducunt; quæ, & ea parte, qua ex pacto præcedenti fieret, & qua pro commodo temporali venderetur, jure ſimoniaca reputatur, ut poſt ipſum firmavit *Pignatel.num.*32.

Item ſimoniacum eſt, ſi quis Electorum dicat: -- Numquam fiet iſte Provincialis, niſi is, pro quo rogavi, fiat Diffinitor, -- quod trad. *Donat.num.*5.*&* *Cabaſ.eodem cap.&* *num.*quia ſemper electio venit in contractum.

Idem crimen incurrit ad Prælaturam eligens, aut eam recipiens cum conditione, vel obſequii præſtandi, etiam ſi videretur pium, ad quod tamen de jure, & electione præciſa, electus non teneretur; vel aſſumendi in Miniſtros hos, & non alios, ut in terminis de conferente, & recipiente beneficium cum reſtrictivis adductis reſolvit *Piaſ. num.*58. Cætera videas, apud Auctores de ſimonia tractantes, & apud eruditiſſimum *Natalem Alexandro loc.cit.*

Ubi de jure, vel conſuetudine electio (ex aliis titulis valida) cenſetur Canonica, ſi major pars Capituli conſenſerit,
48 requiruntur majora vota reſpectu totius Capituli, & non ſufficiunt majora reſpectivè ad minora; adeo ut, ſi eligentes ſint viginti, undecim conſentire, ad minus debeant, in electum; alias à majori parte Capituli non eligeretur. Ex quo ſequitur, ut ſi tres eſſent electi, & vota diviſa, ſic, ut unus haberet *octo*, alius *ſeptem*, alter *quinque*, nullius electio ſubſiſteret, ut notavit

vit *Engel.lib.*1. *tit.*6. Electus, licet ſit vocalis, ſe ipſum eligere non poteſt.

Et in terminis electionis Provincialis in Ordine Minorum, diſponitur in Clementina *exivi* §.*Nos volentes*, ubi: -- Et
49 ſiquidẽ ad electionem hujuſmodi per formam ſcrutinii procedatur; votis in diverſa diviſis, electiones plures in diſcordia celebrare contingat: illa, quæ à majori parte Capituli numero (nulla zeli, vel meriti collatione, aut cõſideratione habita) fuerit celebrata: exceptione, ſeu contradictione quacumque alterius partis non obſtante, per dictum Generalem Miniſtrum confirmetur. Quod etiam in cæteris per Statuta eſt apud Obſervantes in praxi.

Ubi verò, vel praxis exigit, vel lex præſcribit, ut copulativè requiratur major, & ſanior pars Capituli, valet electio facta à parte, quæ ſit duplo major: & ſic excedit eam, quæ opponit ad electionem, non zelo charitatis, ſed affectione carnali proceſſiſ-
50 ſe Electores, ut expreſsè habet textus *cap. ſi quando de electione in* 6.*lib.*1.*tit.*6. & Gloſſa ibid. *referens majoritatem, numerum: & ſanitatem zelum eligentium, & merita Electorum reſpicere.* Si verò unus ſaniora, & alter majora, ſed non modo præmiſſo excedentia, habeat, neutrius electio tenet, per *Engel.num.*40.

Canonicè electus confirmari debet ex *cap. Avaritiæ de electione in* 6. & ſic neceſſario, ut nec directè, neve indirectè, ſivè
51 titulo Economi, ſive Procuratoris, ſimilive prætextu, debeat ſe adminiſtrationi immiſcere; & ſi id, confirmatione non recepta, egerit, ſtatim ibidem Prælatura privatur. Electio enim eſt libertatis, & confirmatio neceſſitatis per *Pignatel. conſ.*38, *num.*13. per quam juriſdictio confertur, ex *Peliz.de Monialibus cap.*10.*ſect.*2.*ſub.*6.*num.*110.

Limitatur in electione Guardianorum, apud Minores,
52 quia eodem actu eliguntur, & confirmantur, ut etiam notavit *Hasbenſ. num.*193. Inter quos Provinciales, ex allegata Clementina *exivi*, à Generalibus confirmantur; & hi ſtatim electi ex privil. Clem.IV. *Conſt. virtute conſpicuos* §.1. *Bull. Cherub. tom.*1.*pag.*162. à Sede Apoſtolica confirmationem recipiunt, ut tradunt *Mirand. tom.*2.*quæſt.*23.*art.*32.*Sanctor.cap.*8.*ſtat.*13. & *Hasbenſ. ibid.* ad omnes Ordinum Generales ex diverſis Pontificum Privilegiis extendit.

Si ex ſuffragatoribus ſinguli, uno excepto, ſint ad eligendum

dum habiles,electio ſubſiſtit; nec illius inhabilitas efficit,juxta Regulam juris:*utile per inutile non vitiatur*. Limita niſi ab Ele-
53 ctoribus fuerit voluntariè ad eligendũ admiſſus.Quo caſu privantur jure eligendi, quotquot ſunt in culpa interdictæ admiſſionis; Gloſſa *ad textum cap. ſi quando ſuper cit.* in terminis de voluntaria admiſſione excommunicati majori excommunicatione, *Pignatell.conſ.*38.*num.*11.*Hasbenſ. num.*157.

Nullus activo, vel paſſivo ſuffragio poteſt per Præſidem privari, vel privatum declarari, niſi ſervata forma Decreti
54 Urb.VIII.apud *Pignatel.conſ.*18. *num.*10. tenoris, qui ſequitur: -- Privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac inhabilitatis, decreta, ſententiæve ab eiſdem Superioribus Ordinis latæ, ne deinceps in ipſo electionis actu pronuncientur, promulgenturve, atque eæ promulgatæ, Vocales minime afficiant, niſi per menſem ante fuerint intimatæ parti, Sanctitas ſua omnino vetuit. --

55 Electionis tempus ad unicum diem reſtringitur, in Clementina *exivi ſuperius allegata*. Dies illud ſpatium lucis ſignificat, quod interponitur inter Ortum, & Occaſum Solis, & quodvis aliud ſub noctis appellatione venit. Ideo ad illud ſpatium, per *Sanctor.ſtat.*9. Statuta Minorum, diem artificialem reſtringunt.

Et dicendum cum ipſo ſine urgenti neceſſitate non eſſe electioni per ſchedulas dandum initium, ut nequeat prius, ſed in nocte perfici debeat; & quatenus, deberet, id cum ſufficienti candelarum numero deberet effici, ut ſine ulla fraude contingeret.

56 Apud Minores de Obſervantia electiones Pro-Miniſtrorum ad Capitula generalia mittendorum, Cuſtodum extra Capitula, & Guardianorum (iſtorum etiam in Capitulis) eligendorum, ex diſpoſitione Urbani VIII. *Conſt. Religioſos viros. Bull. Cherub. tom.*5. *pag.*145. ſunt per Ballottationem faciendæ, prout ſequitur: -- Ut de cætero omnes, & ſingulæ electiones, tam Pro-Miniſtrorum, & Cuſtodum, quam Guardianorum dicti Ordinis per ſuffragia ſecreta, & ballottationes fiant; & in paritate ſuffragiorum, Præſidens electionibus hujuſmodi, votum, ſive ſuffragium deciſivum habeat &c. Decernentes &c. irritum, & inanè, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter, attentari contige-

rit &c. non obſtantibus &c. -- Ubi *pag.*384.*Conſt.Creditæ Nobis* Alex. VII. ſub iiſdem terminis ad familiam Ultramontanam extendit. Et ibidem habetur Decretum quo ad eos hujus tenoris: -- Sac.Cong. Epiſc. & Reg. cenſuit injungendum, & præcipiendum, prout harum vigore injungit, & præcipit, ut deinceps in ſingulis præfatis electionibus in familia Ultramontana Ordinis hujuſmodi ſervetur omninò, modus, & forma præſcripta in Conſtit. Generalibus Familiæ Ciſmontanæ. Contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Romæ 15. Martii 1663. --

57 Deficiente Præſide in paritate votorum, votum deciſivum conceditur ab eadem S.Cong.Miniſtro Provinciali, ut ſequitur: -- S.Cong.&c. ad evitandam paritatem ſuffragiorum, quę ex numero pari ſex Vocalium,quibus Diffinitoria Provincialia conſtant, tam in electionibus faciendis quam in negotiis decidendis, oriri poteſt; Miniſtris Provincialibus, deficiente Præſide, in hujuſmodi caſibus votum deciſivum conceſſit. Romæ 13.Martii 1653. -- *apud Lantuſ.verb.electio ſub num.6.*

Et quamquam ea forma per ballottationem ab eiſdem Pontificibus ad taxatas electiones limitetur; & aliam per ſchedulas Sixtus V.Conſt. *Et communis cura apud Roderic. Coll. Privil.Apoſtol.Bulla.7. pag. mihi* 494. Et in Regeſto 2.*Ciſmont. pag.*12. ad omnes Superiorum, & Officialium electiones ampliet, & ſemper inviolabiliter, appoſita clauſula Decreti irritantis, obſervari præcipiat; tamen electiones Procuratoris, & Commiſſarii Generalium Curiæ, de ſexennio in ſexennium in Generalibus Capitulis eligendorum, ad tenorem Conſtitutionis Innocent.XII. (Collectio Bullarum ejuſdem Pontificis *pag.*176. incipit *Sacroſancti*, & infra -- Motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod de cætero perpetuis futuris temporibus Procurator generalis, ac Commiſſarius Generalis Curiæ præfatæ eorumdem Fratrum de Obſervantia, qui hactenus de triennio in triennium à memorato Miniſtro Generali, ſicut præmittitur, inſtitui, ſeù deputari conſueverunt, in Capitulo generali ejuſdem Ordinis de ſexennio in ſexennium
58 eligantur, in eorumque reſpectivè electione, votum, ſive ſuffragium Fratres Vocales illius Familiæ tantùm, Ciſmontanæ ſcilicet, ſeu Ultramontanæ, ex qua cæteroqui, juxta Regula-

ria

ria Ordinis prædicti inſtituta per Sedem Apoſtolicam approbata, Procurator Generalis, ſeu Commiſſarius Generalis Curiæ hujuſmodi reſpectivè aſſumendi erunt, una cum eodem Miniſtro Generali ibidem ſimul congregati, habeant, & ferant, ac habere, & ferre libere, & licitè poſſint, & valeant, tenore præſentium, ſtatuimus, & ordinamus. --

59 Quod ſi Procuratoris generalis, ac Commiſſarii generalis ſic electorum officia, ſive eorum alterum per ceſſum, vel deceſſum, illa, ſeu illud pro tempore obtinentium, vel obtinentis, ſeu aliàs quomodolibet vacare contigerit, ad Nos, ſeu pro tempore exiſtentem Romanum Pontificem, pro opportuna deſuper proviſione obtinenda, recurratur &c. Non obſtantibus &c. -- *die* 10. *Aprilis* 1694.) Non per ſchedulas, ſed per ballotationem ſunt faciendæ.

60 Ad formam proviſionis primò factæ in Cap. Gen. Victorien. de anno 1694. cujus arbitrio præfatus Innocentius, de, & ſuper qualitate formæ in eis ſervandæ, requiſitus, negocium remiſit, prout ſequitur: -- Sanctiſſimus Dominus Noſter præmiſſa omnia arbitrio Capituli Generalis, benignè commiſit, ut id ſuper cunctis decernat, quod ſibi magis expediens viſum fuerit, ſervata tamen Concilii Tridentini forma quo ad ſuffragia ſecreta pro electionibus adhibenda; & obſervatis, quo ad vota abſentium (ſuper quo fuit Pontifex pariter interpellatus) ſi Capitulo Generali ita videbitur, Conſtitutionibus ejuſdem Ordinis à S. Sede approbatis, quæ modum, & ordinem ea ſupplendi Miniſtro Generali præſcripſerint: quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus. Romæ 24. Aprilis 1694. -- Gaſpar Cardinalis Carpineus -- Antonius Altovitus Sec. Reg. 29. Ciſm. ab anno 1693. ad 1695. pag. 50. à tergo.

61 Electio item Procuratoris Generalis Reformatorum de ſexennio in ſexennium ea forma celebratur, ex Conſtit. ejuſdem *Cum Nos* in eadem collectione pag. 174.

62 Miniſtri Generales præfati Ordinis ex conceſſione Clementis X. fruuntur prærogativis per ſtatuta taxatis eis, qui ſexennio Generalatus miniſterium exercuerunt; tametſi tempus præfixum non attigerint, prout ſequitur: -- Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii Procurator Generalis, & Commiſſarius Generalis Curiæ Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſer. nuncupat., quod cum Conſtitutiones generales dicti

Ordinis circa prærogativas Fratribus, qui munera exercuerunt, debitas, expreſsè diſponant, eoſdem Fratres prærogativis hujuſmodi frui non poſſe, niſi biennium in munerum ſuorum exercitio compleverint; ubi verò de illis, qui Miniſtri Generales ejuſdem Ordinis munere functi ſunt, loquuntur, nullum certum tempus præſcribant, ſed ſimpliciter diſponant, quod Miniſter Generalis ſuo functus officio ſit Pater, Definitor, & Diſcretus perpetuus totius Ordinis, & pro tali ab omnibus habeatur: ipſi exponentes ad tollendas dubietatum, quæ ſuboriri poſſent, occaſiones, de opportuna in præmiſſis declaratione à Nobis provideri plurimum deſiderant. --

-- Nos igitur &c. audita ſuper præmiſſis nonnullorum Romanæ Curię Prælatorum, qui juſſu noſtro, rem accuratè diſcuſſerunt, relatione, Miniſtrum Generalem Ordinis prædicti, functum officio, eſſe Patrem, Definitorem, & Diſcretum perpetuum totius Ordinis hujuſmodi, & pro tali ab omnibus habendum, cæteriſque prærogativis conceſſis per Conſtitutiones ejuſdem Ordinis Miniſtris Generalibus, ſuo officio functis, gaudere debere, licet ſexennium, biennium, vel aliud quodcumque limitatum ſui officii tempus, non expleverit, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus; decernentes &c. Non obſtantibus &c. Romę die 23. Septembris 1675. Regeſt.24.Ciſmontanum pag.211.

63 De elect.Abbatiſ.diximus cap.1. & pro recipiendis ſuffragiis Moniali[ũ] ęgrotantium eſſe ſervandam conſuetudinem Monaſteriorum, tradit *Peliz. de Monial. cap.*10.*ſect.*2.*ſubſect.*1.*num.*104.

64 Et notandum eam valere, & validam eſſe, tametſi cum Ordinario, (qui ſi velit, poteſt cum Superiore Regulari, per ſe, vel per alium intereſſe, juxta diſpoſitionem Gregorii XV. *Conſt.Inſcrutabili*) vel Vicario, non aſſiſtat Notarius Epiſcopalis, prout in terminis firmavit Sac.Congr. Conc.*ſub* 4.*Maji* 1675.*lib.*19. *decret.pag.*65. *à tergo*, in una Neapolitana; quę ab Archiepiſcopo Neapolitano occaſione ſimilis controverſię interrogata.

-- I. An in Electionibus Abbatiſſarum una cum Vicario Generali intereſſe poſſit, etiam Notarius Archiepiſcopalis? --

II. -- An dicta electio facta abſque intereſſentia Vicarii, & No-

Notarii, ſit contra Conſt. præfatam, an propterea nulla? ad utrumque reſpondit *negativè*. -- Secundum dubium propoſuit, ad videndum, an ſubſiſteret electio Abbatiſſę facta à Superiore Regulari, qui noluit Notarium admittere, & ad electionem proceſſit, non obſtante, quod Vicarius Generalis proteſtationem prẹmiſerit de nullitate.

Et hinc inferas, quod ſicut non conceditur; quod cum Vicario electioni interſit Notarius, ſic videtur, quod nec jus aſſiſtat, neque ſit in poteſtate Ordinariorũ aſſumere alios, qui cum ipſo interſint electionibus Abbatiſſarum Monaſteriorum Regularibus ſubjectorum. Et videtur eſſe ad tenorem allegatę Conſt. quę pluralitatem excludit, & in numero ſingulari diſpoſitionem concepit, *per ſe, vel per alium*. Verum ſi conſuetudine alicubi aliud fuiſſet inductum, religiosè obſervetur.

CAPUT XVI.

Officialis quoad exemptionem ab Ordinarii Juriſdictione.

SUMMARIUM.

1 *Deſcriptio exemptionis.*
2 *Formula, qua conceditur.*
3 *Quælibet Eccleſia naſcitur ſubjecta Eccleſiæ Romanæ.*
4 *An Regularis poſſit renunciare privilegio exemptionis?*
5 *Et an Clericus privilegio fori?*
6 *Centenaria quando requiratur?*
7 *Epiſcopis in exemptos ſæpe juriſdictione delegata, aliquando ordinaria conceditur.*
8 *Actus eſerciti à Delegato non probant juriſdictionem.*
9 *Appellatio quo ad devolativum, non ſuſpenditur.*
10 *Aliqua exempla juriſdictionis datæ Epiſcopis in exemptos.*
11 *Eis Regulares ſubduntur quo ad venerationem decedentium cum fama ſanctitatis.*
12 *Et ſi aſſerant B.Virginem Conceptam cum Originali.*
13 *Etiam ſollicitantes ad turpia.*
14 *Et celebrantes, quamquam non promoti.*

15 *Pu-*

15 *Punire poſſunt Regularem accedentem ad Monialium Monaſteria.*
16 *Et quando Superiorem in caſu electionis Abbatiſſæ.*
17 *Et delinquentes circa perſonas exiſtentes intra Clauſuram.*
18 *Et turbantes eorum juriſdictionem.*
19 *Quando teneantur Regulares conſignare Epiſcopo confugientes ad ſuas Eccleſias.*
20 *Quæ, Clementina* Archiepiſcopus *concedat Ordinariis in Eccleſiis Regularium.*
21 *Etiam ſine Regularium licentia.*
22 *Juriſdictionem exercere non poſſunt.*
23 *Nec committere aliis, ut coram ſe cum Pontificalibus celebrent.*
24 *Regulares Epiſcopo erigere debent in ſuis Eccleſiis Baldachinum.*
25 *Tempus determinatur.*
26 *In eis Ordinarii nequeunt Proceſſiones convocare.*
27 *Licentia Ordinarii neceſſaria ad expoſitionem Sacramenti.*
28 *Quando Epiſcopi cenſurare poſſint Regulares.*
29 *Privilegium conceſſum Ordinibus Prædicatorum, & Minorum.*
30 *Quid diſponatur cap.* Volentes *in ſexto, & Tridentino.*
31 *Mens Tridentini.*
32 *Aliis pœnis poſſunt Regulares ab Ordinariis mulctari.*
33 *A quo debeant Regulares declarari excomunicati?*
34 *Epiſcopus poteſt eos denunciare ſuis ſubditis.*
35 *Quid diſponat. Clem.* Religioſi?
36 *Quando Regulares ligentur excomunicatione lata ab Epiſcopo &c.*
37 *Impediri nequeunt Regulares, ne mendicent.*
38 *Quando teneantur licentiam Ordinario oſtendere.*
39 *Poſſunt vinum, & alia quærere prius, quàm Parochus colligat primitias.*
40 *Poteſt Epiſcopus Regularibus interdicere immoderatas quæſtuationes.*
41 *Viſitare nequit Eccleſias Regularium.*
42 *Nec præcipere poteſt, ne propriis ritibus utantur.*
43 *Quando Regulares citati teneantur comparere.*
44 *Ex decentia ſemper.*
45 *In dubio ad Sedem Apoſtolicam recurritur.*
46 *Regulares ſub mortali debent Epiſcopos venerari.*

47 *Et Epiſcopi Jura Fratrum defendere.*
48 *Adhortatiò Concilii Viennenſis exemptis, & non exemptis.*
49 *Quilibet ſuis juribus ſit contentus.*

1 EXemptionem deſcribunt DD. eſſe privilegium, – quo perſona, aut locus (& en diſtinctio exemptionis localis, & perſonalis) ab juriſdictione Epiſcopi, vel Ordinarii, liberatur, & ſubtrahitur, ac Summo Pontifici immediate ſubjicitur: quod ex *cap. ſi Papa de Privilegiis in* 6. *lib.*5.*tit.*7., & notavit *Engel. Colleg.uni. jur.Canon. lib.*5.*tit.*33.§. *num.*28. probatur, ſi in literis
2 conceſſionis Papa aſſerat: – hæc Eccleſia eſt exempta: vel, ad jus Beati Petri, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ, vel Romanum Pontificem ſpecialiter pertinet: vel, Epiſcopus non audeat in ea Cathedram collocare, vel aliquod imperium, & poteſtatem exercere; aut alio ſimili modo; – videndo apud *Aſcan.Tambur.tom.*1.*de jure Abbat.diſp.*15. *quæſt.*5. etenim ea eſt natura privilegii, ut ejus verba non ſint otioſa, & aliquid ſemper operentur; unde cum omnes mundi Eccleſiæ, ad jus Beati Petri, & Eccleſiæ Romanæ, omnium aliarum capitis, & magiſtræ, ſubjectæ naſcantur, ut appoſita in literis exemptivis aliquid pro ea Eccleſia ſpecifice operentur, & plus à privilegio recipiat, quam acceperit à natura; infertur, Pontificem eidem voluiſſe concedere, ut, modo quodam diſtincto, Romanæ Eccleſiæ ſubjiceretur; eam nimirum ab Ordinariorum poteſtate, quibus prius ſuberat, eximendo; quæ cæteris locis piis applicantur.

4 Privilegio exemptionis Regularibus à Sancta Sede conceſſo nequeunt iidem renunciare, ut tradit *Sperell. deciſ.*104. *n.*87. *& Pignatell.tom.*10.*conſ.*107.*n.*2. quia in eo,nedum favor exempti conſideratur, ſed etiam ipſius Papæ eximentis; qui eos, ab Ordinariis eximendo, ſuæ ſubjecit juriſdictioni: qua à nullo invitè privari, nec poteſt, nec debet; à pari de Clerico,
5 qui privilegio fori renunciare non poteſt, cum, non in ipſius dumtaxat, ſed in totius ordinis, favorem, tributum fuerit. *Engel. tit.*3. *num.*17. & puniendus graviter eſſet, ſi ſe laicali ſubjiceret juriſdictioni, *Piaſec. praxis Epiſc. par.*2. *cap.*4. *art.*3. *num.*6. *v.offic. quoad privilegia num.*23.

Notans ibidem *cap.*3. *art. num.*73. *ex cap. cum perſonæ de Pri-*

Privileg. in 6. valere præſcriptionem contra exemptiuum privilegium Regularium, quadraginta annorum decurſu
6 probatam; vel annorum centum, ſi ſit præſcriptio in præjudicium, vel contra Romana Eccleſiam eximentem; præſertim ſi Ordinarius præſcribat, cui jus commune aſſiſtit, ei ſuper omnes de ſua Diœceſi juriſdictionem concedens; cui adhuc ſubderentur, niſi aliqui, ſpeciali Romanæ Sedis indulgentia, plenarie, uti Regulares, apud *Tamb. cit. quæſt. 2. ſub num. 5. & qu. 5.* ab ejus juriſdictione fuiſſent exempti, ſuper quo videantur DD. & interim ad nos.

7 Notandum plenariam Regularium exemptionem, eſſe correptam, & Dominos Epiſcopos in certis caſibus juriſdictionem in exemptos habere: aliquando delegatam, aliquando ordinariam per notata: ab *Engel. loc. cit. nu.* 31. Delegatam tunc habent, cum Canones, & jura diſponunt, ut contra exemptos, authoritate Apoſtolica, vel tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, procedant: Ordinariam vero, quando ei ſimpliciter conceditur juriſdictio, vel potius removentur ordinariæ juriſdictionis obſtacula, per appoſitionem clauſulæ, *non obſtantibus privilegiis, & exemptionibus quibuſcumque*.

8 Ex actibus, quos, ut delegati Sedis Apoſtolicæ, in exemptos exercent, non probari eorum in eos juriſdictionem, notavit *Tamb. cit. qu.* 9. *num.* 3. ſicut cum, ut delegati, procedunt, ab eis ad Summum Pontificem, tamquam delegantem; & cum, ut Ordinarii, ad Metropolitanum, poſſe appellari tradit *Engel. num.* 34. *& notavit Pignat. tom.* 10. *conſ.* 149. *num.* 15., quod ubi Concilium expreſsè ſuſtulit appella-
9 tionem, non intelligitur ſublata, quoad effectum devolutivum, ſed ſuſpenſivum tantum; præſertim ſi diſpoſitio reſpiciat materiam correctionis morum.

10 Utriuſque juriſdictionis exempla in Tridentino ſunt obvia; in quo ſæpe Regularium privilegia expreſsè, vel tacite revocantur, & hic aliqua notantur, &c.

I. Subduntur Regulares Epiſcopis, quo ad editionem librorum *ſeſſ. 4. in decreto de editione, & uſu ſacrorum librorum*.

II. Quoad lectionem Sacræ Scripturæ *ſeſſ. 5. cap.* 1. de *Reform.*

III. Quoad Prædicationem Verbi Dei, ibidem *cap. 2. &*

ſeſſ.

ſeſſ. 24. cap. 14. de ref. & Conſt. Superna Clementis X. relata *cap. Offic. quoad Privil. vide cap. Offic. quoad Conciones.*

IV. Quoad cauſas fidei eodem *cap. ſeſſ. 5. & conſt. Pauli V. Romanus Pontifex. Bullar. Cherub. tom. 3. pag. 209.*, ipſis, & Inquiſitoribus, & *Grægorii XV. conſt. Univerſi Dominici* §. 4. *ibidem pag.* 432.

V. Quoad delicta commiſſa extra Monaſteria ibidem *ſeſſ. 6. cap. 3. de ref. & ſeſſ. 25. cap. 14. de Regularibus vide caput offic. quoad delicta.*

VI. Quoad viſitationem Monaſteriorum commendatorum *ſeſſ. 21. cap. 8. de ref.*

VII. Quoad publicationem Indulgentiarum ibidem *cap.* 9. ubi cum univerſaliter loquatur, etiam Regulares comprehendit. Sac. Cong. Concil. in una *Januen. lib.* 10. *Decret.*

VIII. Quoad obſervanda, & vitanda in celebratione Miſſę, *ſeſſ. 22. in decreto ejuſdem tituli; vide caput offic. quoad celebrationem Miſſarum.*

IX. Quoad Ordinum ſuſceptionem *ſeſſ. 23. cap. 8. 11. 12. & 14. de ref. & conſt. Leonis X. Dumintra, vide cap. offic. quoad privilegia: & cap. offic. quoad Ordines.*

X. Quoad confeſſiones ſecularium audiendas, ibidem *cap. 15., & conſt. Superna cit. vide caput offic. quoad approbationem &c. & quoad abſolutionem à reſervatis.*

XI. Quoad Parochos Regulares in ordine ad Synodum *ſeſſ. 24. cap. 2. de ref. vide cap. offic. quoad legem Diœceſanam.*

XII. Quoad venerationem imaginum, & reliquiarum *ſeſſ. 25. in decreto ſimilis tituli.*

XIII. Quoad Monaſteria erigenda *ſeſſ. 25. cap. 3. de Regularibus; vide cap. offic. quoad Conventus.*

XIV. Quoad Fratres, ſine Superiorum licentia itinerantes, ibidem *cap.* 4.

XV. Quoad Fratres miſſos ad ſtudia, ibidem.

XVI. Quoad Monialium clauſuram, ibidem *cap.* 5., & *conſt. Fel. Alex. VII. vide caput offic. quoad clauſuram Monialium.*

XVII. Quoad concernentia curam animarum ibidem *cap. 11. & conſt. Inſcrutabili Greg. XV. vide cap. offic. quoad privilegia.*

XVIII. Quoad dies feſtos, cenſuras, & interdicta, ibid.

 cap.

cap. 12. *vide cap. offic. quoad legem Diœceſanam*.

XIX. Quoad controverſias ſuper præcedentia in proceſſionibus, ibidem *cap.* 13.

XX. Quoad acceſſum ad publicas proceſſiones, ibidem, *vide cap. offic. quoad proceſſiones*.

XXI. Quoad renunciationes faciendas à Novitiis, ibid. *cap.* 16.

XXII. Quoad probandam nullitatem profeſſionis, ibid. *cap.* 19.

Quæ hic ſummatim ponuntur, ſicut & alia, in quibus Ordinariis in Regulares, per Patres, in eo poteſtas conceditur, in ejuſdem textu poſſunt videri.

11 Poteſtatem habent Ordinarii erga exemptos in ſpectantibus ad venerationem eorum, qui cum Sanctitatis opinione, vel fama Martyrii ex hac vita migrarunt per diſpoſita ab Urbano VIII. *Conſt. Cæleſtis Hieruſalem Bullar. Cherub. tom.* 4. *pag.* 196.

12 Et facultate eis à Gregorio XV. *Conſt. Sanctiſſimus Dominus Noſter Bullar. Cherub. tom.* 3. *pag.* 425. facta, procedere poſſunt, contra aſſerentes Beatam Virginem conceptam eſſe cum peccato originali; & contra Confeſſarios ſollicitantes

13 pœnitentes ad turpia, vel docentes eos non teneri ad denunciandos Confeſſores ſollicitantes, ex ejuſdem *Conſt. Univerſi Dominici*, ibid. *pag.* 432.

14 Et contra eos, qui, tametſi ad ſacrum Presbiteratus ordinem non promoti, Miſſas celebrant, & Sacrament. Pœnitentię miniſtrant, ex diſpo. Clemen. VIII. *Conſt. E ſi aliàs Bullar. Cherub. tom.* 3. *pag.* 125., *& Urbani VIII. Conſt. Apoſtolatus*, *tom.* 4. *pag.* 137.

15 Animadvertere item poſſunt in Regularem ad Monialium Monaſteria accedentem, prout Sac. Cong. Concil. interrogata, — an Regularis abſque legitima licentia accedens ad Monaſterium Monialium Regularibus ſubiectarum, ibique in loco colloquiis diſtinato cum moniali colloquens, à Diœceſano Epiſcopo, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegato, coerceri, & puniri poſſit? Cenſuit *poſſe*; quam Congregationis ſententiam Sanctiſs. Dominus noſter Urbanus VIII. ad ſe relatam approbavit. — Ad calcem *Conſt. Inſcrutabili Gregorii Bullar. Cherub. tom.* 3. *pag.* 404.

16 Item

16 Item, ſi ad electionem Abbatiſſæ procedant, vel electionis die Epiſcopo non prænunciata, vel eo non expectato, poſtq; declaraverit ſe velle eidem intereſſe, prout Eadem ibidem firmavit.

17 Item, ſi delinquant circa perſonas degentes intra ſepta Monaſteriorum Monialium, aut circa clauſuram, ibidem eadem Sac. Cong. ad 13.

18 Item poſſunt punire exemptos, turbantes ſuam juriſdictionem, ſuperquo *Pignatell.tom.*10. *Conſt.* 20. *num.* 14. refert reſponſum S. Cong. Concil. in una Panormitana ad dubium: -- an milites Hieroſolymitani offendentes perſonam Officialium Curię Archiepiſcopalis Panormitanæ in actu exercendi ſuum officium, aut aliàs Archiepiſcopi juriſdictionem impedientes, ab eodem coerceri, & puniri poſſint? quæ partibus auditis, dubioque accuratè diſcuſſo; cenſuit, *poſſe*; & obſervavit etiam. --- *Donat. prax. Regul. tom.* 1. *tract.* 13. *part.* 2. *quæſt.* 28. *num.*2.

19 Epiſcopo Regulares, quantumvis exempti, in eo ſunt ſubiecti, ut delinquentes, confugientes ad ipſorum Eccleſias, in caſibus, in quibus eis immunitas Eccleſiaſtica per diſpoſita à Gregor. XIV. *Conſt. cum alias Bullar.Cherub. tom.*2. *pag.*707, non ſuffragatur, teneantur Epiſcopo extradere; cujus eſt cognoſcere, & examinare, an delicta commiſſa ſint talis conditionis, propterquæ ſint Curię ſeculari conſignandi, ut expreſsè ibidem Gregorius: & notavit *Piaſec.Prax.Epiſc. par.*2. *cap.* 3. *ſub num.*70.

20 Ordinariis conceditur ex *Clement. Archiepiſcopo lib.* 5. *tit.* 7. poſſe ad Eccleſias Regularium cum Cruce accedere; in eis, uti Pontificalibus ornamentis: cum eis Miſſam celebrare: populo ſolemniter benedicere per illa verba ex ibidem adnotatis à Gloſſa verbo *colligo*: *ſit nomen Domini benedictum*: officia divina privatim, vel publice audire; & ea exercere, quæ ſunt honoris, & præeminentiæ Epiſcopalis ex *Pignattell. conſ.* 106. *num.*3. adeoque *per Donat. tom.* 111. *tract.* 6. *qu.* 36. *num.* 2. prædicare, quia actus honoris eſt.

21 Etiam ſine ipſorum Regularium licentia, propter diſpoſitioni, ibidem, adjunctam clauſulam, *quovis privilegio contrario non obſtante*; cui, cum ſit Concilii Generalis, ei nunquam derogatur, niſi expreſsè mentio Concilii fiat, apponendo in-

privilegio exemptiuo : *non obſtante quavis conſtitutione , ſeu lege in Concilio Generali editis*, ut notavit *Tamburin. cit. qu.* 15. *num.* 3., & niſi ſpecialiter derogetur , exemptio non ſuffragatur ; ex quo diſpoſitio , ut potè Concilii Generalis , contineat per tradita à *Pignatell. conſ.* 28., clauſulam derogatoriam ad futuras diſpoſitiones .

22 Quibus uti debent , ſine jurisdictionis exercitio , ut clarè ibidem *textus* . -- Sic tamen quod prætextu conceſſionis hujuſmodi , in locis ipſis exemptis , vel circa hoc privilegiatis nullam aliam juriſdictionem , idem Archiepiſcopus , vel Epiſcopus exerceat: nec perſonis exemptis , vel privilegiatis moleſtiam inferant , vel grauamen , nullumque exemptioni, vel privilegiis eorumdem aliud præjudicium generetur : nec ipſis Archiepiſcopo , vel Epiſcopo jus aliud quomodolibet acquiratur . --

Ex quibus D. D. notant , eos in illis ſine exemptorum aſſenſu ea exercere non poſſe , quæ ad juriſdictionem , Epiſcopalem , & officium , & ordinem ſpectant , ut ſunt ordinare , degradare , Chriſmare , conſecrare virgines , ut ibidem *verb. Gloſſa ſequens* , Gloſſa ipſa notavit , & cum ea *Lezana qq. Regul. verb. baldachinum nu.* 4. cæteraque mixturam habentia
23 juriſdictionis , ſive , contentioſæ , ſive voluntariæ ; ideo quia facere ſibi ab aliis cum Pontificalibus celebrare , eſt auctoritative juriſdictionem exercere, ex *Gloſ. verb. celebrari* , & *Pignatell. conſ.* 106. *num.* 5. id eis ibidem prohibetur , & ſolum ſine illis conceditur .

24 Tenentur Regulares in propriis Eccleſiis , volenti Epiſcopo , Pontificales functiones exercere , baldachinum erigere , ex diſpoſitione Sac. Cong. Epiſc. *ſub die* 10. *Junii* 1603. ex expreſſo mandato Clementis VIII. apud *Piaſec. cit. ſub nu.* 69. *Pignat. cit. num.* 30. *Tambur. cit. diſp.* , & *quæſt.* 15. *num.* 17. *Donat. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 13. *quæſt.* 74. & pęnis , & cenſuris ad id , vel ſaltem ne impediant , quin Epiſcopus ipſe illud attollere faciat , compelli poſſunt .

25 Eo tamen --- dumtaxat tempore (ſunt verba decreti) quo Pontificales hujuſmodi functiones exercebunt , vel dum actus ipſe , cui in Pontificalibus aderunt , peragetur ; --- perquæ ſignificatur Epiſcopos, nedum non poſſe ordinare exemptis , ut erectum baldachinum conſervent ad effectum , ut

ſub

ſub eo impoſterum ſedeant ; verum etiam , nec ipſos poſſe ſub eo ſedere pro tribunali , cathedram judicialem erigere , & aliquem juriſdictionis actum exercere , etenim non alio fine id Clemens VIII. per Congregationem præcepit, niſi ut honor , & debita reverentia Epiſcopis exhibeatur, quod ex narrativis Decreti liquet , ut ſequitur , -- decet Epiſcopis pro eo , quo in Eccleſia Dei excellunt dignitatis gradu , in quocumque ſuarum Diœceſum loco , quoties eos , ibi Pontificalia exercere , aut in Pontificalibus adeſſe , & aſſiſtere contingit , eam , quam par eſt , reverentiam , & honorem decoro cultu , & ornatu exiberi . -- Quod illa priori erectione obtinent .

26 Ideo notat *Lezana Summa qq. Regul. tom.* 111. *verb. Baldachinum. num.* 4., *& ex eo Pignatell. num.* 9. ex eo dici non poſſe , eſſe facultatem Epiſcopis factam , inſtituendi in dictis Eccleſiis proceſſiones , & Indulgentias concedendi , ut pote ad actum juriſdictionis , & non reverentiam Epiſcopalem , pertinentia ; & privilegiatus in aliquo non poteſt extendere ſuum privilegium ad aliud ; nec exemptis , & privilegiatis præjudicatur in ſuo privilegio , niſi quatenus in illo exprimitur .

27 Sine Ordinarii licentia nequeunt Sacramentum exponere, Sac. Cong. Rituum 26. *Februarii* 1628., pro perſonis particularibus exponitur in Oſtiolo Tabernaculi, aut in pixide velata Sac. Cong. Epiſc. 7. *Septembris* 1598.

28 Nequeunt Epiſcopi cenſuras in Regulares ferre , ut notavit *Pignatell. conſ.* 106. *num.* 12. niſi in caſibus expreſſis à Conſtitutionibus Apoſtolicis , & niſi eis per Sacros Canones ſpecificè concedatur , præſertim in eos , habentes à Sede Apoſtolica privilegia , quod excommunicari non poſſint ex *Pia ſec. cit. ſub num.* 77. , quæ pluribus Sedes Apoſtolica dedit , ut refert *Lezana , tom.* 1. *cap.* 11. *num.* 14. & Minoribus impertiri ſunt *Clemens IV. conſ. Virtute conſpicuos , Bullar. Che-*
29 *rub. tom.* 1. *pag.* 162. , *& Sixtus item IV. conſt. Regimini , ubi* §. 9. *& ne prætextu*; & infra : -- diſtrictius inhibemus, nequiſpiam abſque dictæ Sedis ſpeciali commiſſione , & auctoritate in perſonas , domos , & loca dicti Ordinis Fratrum Minorum, utpote , prorſus exempta , aliquam excommunicationis , ſuſpenſionis , & interdicti ſententiam ſpecialiter , vel generaliter,

liter, quomodolibet promulgare, -- cum ampliſſimis derogatoriis additis §. 19. *ibidem pag.* 408. quod & Sacro Prædicatorum Ordini *conſ. Regimini loco allegato, pag.* 411. Idem Sixtus ſub iiſdem terminis conceſſit.

30 Quod patet ex *cap. Volentes de privilegiis in 6. lib.* 5. *tit.* 7. ubi conceſſa in exemptos in certis caſibus Epiſcopo juriſdictione, textus ſubdit; -- in eos autem, quibus nec interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, à quoquam valeant, à Sede Apoſtolica eſt indultum (ſicut ſunt Religioſi, quamplures) in quorum privilegiis continetur; ne quiſquam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus Monaſteriorum ſuorum Monachos pro ulla cauſa, ullove loco interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare præſumat, iidem Ordinarii juriſdictionem ſuam, quantum ad iſta, ubicumque illi fuerint, penitus exercere non poſſunt; -- quæ eſt diſpoſitio Concilii Generalis Lugdunenſis ſub Innocen. IV.

31 Et facit, quod Trident. taxat caſus, in quibus Regulares poteſtati Ordinariorum ſubmittit, & cum vult dare auctoritatem Epiſcopis, ut cenſuris adverſus eos procedant, id exprimit, ut *ſeſſ.* 22. *in fine Decreti de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ, & ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de Regularibus* dum providere intendit Monialium Clauſuræ, & *cap.* 16. *ejuſdem ſeſſionis* diſponens, ne aliquid ex bonis Novitii ante profeſſionem tribuatur Monaſterio, ne hac occaſione diſcedere nequeat.

32 Ideo cum id in aliis capitibus non exprimat, ſed dicat, vel *accedere compellantur*, ut *cap.* 13., vel *puniri poſſit*, ut *cap.* 14. *allegat. ſeſſionis*, ſequitur eam illis concedere noluiſſe; & contuliſſe dumtaxat poſſe eos aliis canonicis pœnis plectere, ut depoſitione, collocatione in arctius Monaſterium, privatione officiorum, vocis activę, & paſſivę, ſimilibuſve, ex obſervatis ab *Antonel. de Reg. Eccleſ. lib.* 7. *cap. ult. ſub n. primo*, cum quo videatur *Donat. cit. q.* 23. 25. 78. 79. *Lezzana cit. tomo primo cap.* 11. *n.* 14. *& tomo* 3. *verb. exemptio. n.* 10. *Piaſec. loco item allegat. n.* 77. 78.

33 An autem in caſibus, in quibus nulla eſt Epiſcopo in Regulares conceſſa juriſdictio, poſſit eos excommunicatos declarare, ſi aliquod delictum committant, propter quod ipſo facto excommunicationem incurrant? Negativè cum *Antonel. loc. cit.* reſpondetur; etiam ſi excommunicatio eſſet publica, &

notoria,

notoria, etenim hujuſmodi declaratio adjunctum habet actum juriſdictionis, cum debeat fieri cauſa judicialiter cognita, & citata parte, quæ, utpotè exempta, citari non poteſt; & citata de jure ad hunc effectum comparere non debet; ideo tunc à proprio Judice competenti debent declarari.

34 Poteſt tamen Epiſcopus Regularem excommunicatum, vel ob publicam percuſſionem Clerici, vel propter apoſtaſiam à ſuo Prælato, uti talem declaratum, ſuis ſubditis denunciare, ut eum vitent; quia id non eſt juriſdictionem in eum exercere, ſed monere ſuos ſubditos de obligatione, quam habent, non communicandi cum excommunicato.

35 Verum id limitatur in *Clement. Religioſi de privil. lib.* 5. *tit.*7. ut ſequitur; -- Religioſi, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare; matrimoniave ſolemnizare; non habita ſuper his Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali; aut qui excommunicatos à Canone; præterquam in caſibus à jure expreſſis, vel per privilegia Sedis Apoſtolicæ conceſſis eiſdem: vel ſententiis per ſtatuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis (ſeu ut verbis eorum utamur) à pœna, & culpa abſolvere quemquam præſumpſerit, excommunicationis incurrant ſententiam, ipſofacto, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendam; quos etiam locorum Ordinarii (poſtquam de hoc eis conſtiterit) excommunicatos faciant publice enunciari. --

36 Ligantur Regulares excommunicatione lata ab Epiſcopis contra accedentes ad Monialium Monaſteria, eaſdemque alloquentes, ſi de illis fiat mentio, ut in terminis reſpondit *S. C. C. die* 26. *Junii* 1627. *in una Viterbien. apud Lant. verbo Epiſcopus .v. c. Offic. quoad Clauſuram Mon. n.* 7.

Non poſſunt ab Epiſcopis Regulares impediri, ne oſtiatim mendicent, & eleemoſynas de licentia ſuorum Superiorum quærant per loca Diœceſis, in qua Conventus exiſtunt, per diſpoſita *S. C. C. ſub anno* 1621. *apud Sperellum deciſ.* 38.

37 *n.* 27., ut ſequitur. -- S. C. &c. cenſuit, Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam poſſe ab Epiſcopo prohiberi, quo minus per ſe ipſos in Diœceſibus, ubi habent Conventus, eleemoſynas quærant; ſed tantum, ſi extra loca, ubi Monaſteria

38 exiſtunt, quæritare voluerint, teneri ſuorum Superiorum licentiam Ordinario oſtendere. -- Similis tenoris Decretum refert

fert *Piaſec. loc. cit. n.* 50. *& Lant. verb. Eleemoſy.* & apud *Peyrin. de Privileg. ad conſt.* 7. *Pii V. ſub* §. 10., habetur, *ſub die* 2. *Julii* 1620. S.C. item Concilii interrogatam: *Se poſſano i Re-*
38 *golari raccore Vua, Grano, e Legna, e ſimili altre coſe, prima, che il Curato habbia raccolte le ſue primitie?* reſpondiſſe, *non eſſe id prohibitum Regularibus*; pęnas adverſus impediētes latas, videas, in *Conſt. Sixti IV. S. Præd. & Min. Bulla aurea nuncupata* §. 8. *Bullar. Cherub. tom.* 1. *pag.* 432. *& in Mari Magno Prædicatorum, & Minorũ reſpectivè pag.* 408., alias, contra moleſtantes Fratres, ne propriis liberè utantur privilegiis.

40 Limita, niſi eleemoſynarum collectio ſit immoderata; & in caſu quo Religioſi non indigentes, aliis egenis eleemoſynas ſubtrahunt, quia tunc poſſe Epiſcopum Regulares prohibere, tradit *Lezzana tom.* 4. *verb. Quæſtuarii n.* 4. *v. cap. Offic. quoad Conventus n.* 27.

41 Neque eis facultas datur à Tridentino viſitandi Regularium Eccleſias, & Conventus, ut *ſub die* 16. *Junii* 1605. ejuſdem S. Congregatio diſpoſuit, prout infra. -- Cenſuit Epiſcopos, & aliorum locorum Ordinarios vigore cujuſvis Decreti Concilii nullam habere facultatem, quovis tempore, in Monaſteriis, Domibus, & Eccleſiis Regularium, viſitandi Sacriſtias, Paramenta, Vaſa Sacra, Altaria, & alia, aut etiam Tabernaculum, ſeu Pixidem, in qua ſervatur Sacramentum. -- *lib.* 10. *decretorum fol.* 115.

Neve eam *ſub anno* 1622. obtinuerunt vigore *Conſt. Gregorii XV. Inſcrutabili*, ut ibidem eadem S. C. C. firmavit; quę ad dubium eidem, occaſione emanatæ Conſtitutionis, propoſitum. -- An liceat Epiſcopis viſitare Altaria Regularium Eccleſiarum, quibus cura Animarum perſonarum ſecularium non incumbit, aut loca, ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi audiuntur confeſſiones perſonarum ſecularium? reſpondit: Epiſcopis non licere in vim ejuſdem Conſtitutionis viſitare Altaria Eccleſiarum Regularium, quibus non incumbit Animarum cura perſonarum ſecularium, nec loca, ubi in iiſdem Eccleſiis aſſervatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vel ubi confeſſiones perſonarum ſecularium audiuntur. -- *Bullar. Cherub. tomo* 3. *pag.* 403. *ad conſt. allegat. Gregorii XV.*

42 Neque item præcipere valent Regularibus, ut ſicut debent

bent dies Feſtos Diœceſis, ſic ejuſdem ritus, propriis relictis, teneantur ſervare, ad tenorem *S.C.C. libro proxime cit.* decretorum prout ſequitur. -- S.C.cenſuit decretum, *cap.* 12. *verſu dies Feſti ſeſs.* 25., de Regularibus ita eſſe intelligendum, ut Regularium ritus, illis diebus Feſtis ſemper permaneat, quo ad Miſſas celebrandas, & cætera Divina Officia, tam publicè, quam privatim, ab ipſis Regularibus in eorum Eccleſiis perſolvenda: nec circa hæc ab Epiſcopis quoquomodo in contrarium quidquam eiſdem Regularibus præcipi poſſe; quod ſi de facto præceperint, Regulares neutiquam ipſis Epiſcopis obedire teneri. Verum, quo ad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debere ſe conformare Evangeliis, & Epiſtolis, quibus Clerus ſecularis utitur illis diebus Feſtis. -- *Peyr. ad Conſt.* 27. *Leonis X.*

43 Tametſi Regulares eximantur à lege juriſdictionis Epiſcopalis, & ſic non teneantur de jure comparere, dum ab Illuſtriſſimis Ordinariis citantur, utpote Judicibus non competentibus; cum tamèn in citatione exprimitur cauſa, quæ fundet ſuper ipſos Ordinarii juriſdictionem, ut V. G. ſi citent ad comparendum, ex quo ad proceſſiones non acceſſerint, quamquam ad eas vocatio præceſſerit, ab onere comparendi ex *Peyrin. de Privileg. ad conſt.* 2. *Sixti IV.* §. 10. *n.* 15. non liberantur, cum Epiſcopis aſſiſtat diſpoſitio Conciliaris, eiſdem tribuens jus compellendi ad proceſſiones Exemptos.

44 Verum ſemper ex decentia, & reverentia Epiſcopis debita, comparere tenentur, vel ad allegandum privilegium, & exemptionis poſſeſſionem, adverſus incompetentiam Fori, vel etiam ad illud exhibendum, ſi exemptio non ſit notoria, ut notavit *Piaſe. cit. n.*72. *Donat. alleg. q.* 17., & habetur expreſsè *Cap. Cum perſonæ de Privil. in* 6. *lib.* 5. *t.* 7. ubi *Gloſ. verb. in Diœceſi*, tradit, -- quod pendente lite ſuper exhibitione privilegiorum ſuorum, non poteſt Epiſcopus eos turbare in ſua poſſeſſione exemptionis, neque in eos poterit ſuam exercere juriſdictionem. -- Et in dubio, an juriſdictio pertineat ad Epiſcopum, non poteſt Epiſcopus de cauſa cognoſcere per *Peyr.*

45 *cit.* ne ſit Judex in cauſa propria; ſed litis examen, & deciſio ad Sedem Apoſtolicam ex *Conſt. Superna Clementis X.* ſpectat.

46 Tandem in favorem Religioſæ humilitatis, dicendum, quod

quod quamquam Regulares ſint exempti ab jure juriſdictionis Epiſcopalis, ab jure tamen reverentiali non eximuntur, ſed ſub mortali ad reverentiam Epiſcopis exhibendam teneri, tradit *Peyr.§.24.ad Conſt.26.Leonis X.incipit,Dum intra*,in qua §. 24. Pontifex ipſe ſic Regulares alloquitur, -- eoſdem inſuper Fratres in virtute Sanctæ Obedientiæ monemus (hoc eſt præcipimus) ut eoſdem Epiſcopos loco Sanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita, & noſtra, ac Apoſtolicæ Sedis reverentia congruo honore, & convenienti obſervantia venerentur. --

47 Et Epiſcopos monet; -- ipſos quoque Epiſcopos hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Dei Noſtri requirimus, ut Fratres ipſos affectu benevolo proſequentes, charitativè tractent, ac benignè foveant, ſeque illis minimè difficiles, aut duros, vel moroſos, ſed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales, exhibeant, ac in omnibus prædictis, tamquam in agro Dominico cooperatores,eorumque laborum participes,prompta benignitate recipiant, eorumq; jura omni cum charitate cuſtodiant, atque defendant. --

Et Clement. *Frequens de exceſſibus Prælatorum*, enunciatis triginta gravaminibus illatis per Prælatos Religioſis, §. *verum*, Epiſcopos non hortatur,, -- ſed eis præcipit, ut Religioſos charitativè tractent, & foveant, & ſua jura, & privilegia, inviolabiliter ſervent. --

48 Quibus,ſive Epiſcopis, ſive exemptis, in mutuæ dilectionis ſubſidium, ſenſum Concilii Generalis Viennen. per infraſcripta exhibeo.

-- Verum quia una eſt (*ſunt verba textus*) Regularium, & Secularium,Prælatorum, & ſubditorum, exemptorum, & non exemptorum univerſalis Eccleſia,extra quam nullus omnino ſalvatur, quorum omnium unus eſt Dominus, una Fides, & unum Baptiſma; decet, ut omnes, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam ſint voluntatis: & ſicut Fratres ad invicem vinculo charitatis ſint adſtricti: Decet igitur, ut & Prælati, & alii, tam exempti, quam non exempti, ſuis juribus
49 ſint contenti: & alter in alterius injuriam non proſiliat, ſeu jacturam. -- *Clement. allegata.*

CAPUT

CAPUT XVII.

Officialis quoad Exequias.

SVMMARIVM.

1 *Videantur Lantuſca, Peyrin, & Lezzana.*
2 *Parochus unius Diœceſis non poteſt exigere partem ceræ ab alio alterius Diœceſis, tranſeunte per ejus Parochiam, occaſione aſſociandi cadavera.*
3 *Et poteſt tranſire cum Stola, & Cruce.*
4 *Cum Parocho non ſunt vocandi cæteri de Capitulo.*
5 *Non poteſt Parochus ingredi Eccleſias Regularium cum Stola, & Cruce, neque in eis officia peragere.*
6 *Nec ei licet exigere majorem eleemoſynam ab Exteris, quam à Civibus, nec ab eis, qui ſepeliuntur in Eccleſiis Regularium &c.*
7 *Regulares nequeunt proceſſionaliter per Civitatem deferre cadavera Religioſorum decedentium intra Clauſtra.*
8 *Parochis non licet majus emolumentum exigere à repentina morte decedentibus.*
9 *Eſt contra pietatem relinquere cadavera inhumata.*

1 QUia plura ad notitiam præſentis Capitis neceſſaria lato calamo refert *Lantuſca verb. cadaver, verb. exequiæ*, & in ſupplemento *verb. aſſociatio cadarum Peyrin. de Privileg. in fine verb. decreta S. Cong. decreto 9. & 10. & Lezzana Summa qq. Regul. tomo 3. verb. defunctus*; ideo ad eos remiſſo Lectore, hic pauca, at ſatis utilia, adnotantur.

Et primò. Parocho unius Diœceſis non licere, nec poſſe aliquam partem ceræ, & pecuniarum ab hæredibus defuncti prætendere, dum occaſione deferendi cadavera ad Eccleſias Regularium alterius Diœceſis, neceſſariò ſit per ejus Parochiam tranſeundum, pro ut in terminis *S. C. Epiſ. & Regul.* decrevit, ut infra.

Sacra Cong. &c. -- cenſuit dandas eſſe declarationes, aliàs

 factas

factas, nempe Curatum unius Diœceſis (quæcumque ſit) in tranſitu Cadaveris, quod proceſſionaliter defertur ad Eccleſiam Regularium ab alia Diœceſi, tranſeundo per propriam Paro-
2 chiam, & juriſdictionem, non poſſe aliquam partem ceræ, & pecuniarum ab hæredibus Defuncti prætendere; Itidem proprium Parochum Defuncti tranſeundo per Parochiam unius Parochi, alterius cujuſcumque Diœceſis, ad effectum deferendi proceſſionaliter Cadaver ad Eccleſiam Regularium poſſe libe-
3 rè, & licitè per eandem, cum Stola, & Cruce elevata, tranſire, etiam irrequiſito Parocho; quas quidem declarationes in caſu, de quo agitur, fideliter obſervari mandat, & præcipit eadem Sac.Congr.Romæ die 15.Novembris 1675.

Secundo, in aſſociatione cadaverum ad Eccleſias Regularium vocari non debere cum Parocho cæteros de Capitulo, ex recenti reſponſo S.Congr. Rituum in una Vaden. ad dubia eidem propoſita, ut ſequitur. -- Prætendentibus Parochis, ſeu Manſionariis Eccleſiæ Cathedralis Civit. Vaden. in aſſociatione Defunctorum, qui ſepulturam ſibi eligunt, ſive alio quovis modo in Eccleſia Regularium ſunt tumulandi, ab eorumdem hæredibus, unà cum proprio Parocho defuncti, omnes eſſe invitandos; Eccleſias Regularium ingredi cum Stola, & Cruce; ibique functiones, & officium circa cadaver peragere; ac inſuper pinguiorem eleemoſynam pro aſſociandis, ſeù tumulandis Forenſium, ſeù Exterorum Cadaveribus, in Eccleſiis prædictis Regularium, quam à Civibus poſſe exigere, ſi in ipſis Parochialibus ſepelirentur. Deducta coram Reverendiſſimo Epiſcopo Vaden. controverſia, & ab eo, poſt quamplurimas comparitiones, pro declaratione, ad Sacr. Rituum Congregationem remiſſa; Exinde Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Cardinali de Noris commiſſa, & ab eodem propoſitis infraſcriptis dubiis, videlicet.

Primo. -- An in aſſociatione Cadaverum ad Eccleſias Regulares ſint vocādi omnes Manſionarii præter Parochum? --

Secundo. -- An Parochus ingredi poſſit Eccleſias Regularium cum Stola, & Cruce, ibique officium, & functiones peragere?

Tertio. -- An liceat Parocho exigere majorem eleemoſynam ab exteris tumulandis in Eccleſiis Regularium, quam à Civibus? --

-- Sac.

4 -- Sac.eadem Rituum Congregatio utraque parte, tam
5 in voce, quam in ſcriptis prius audita. Negativè in omnibus
6 reſpondit. Et ita declaravit, & ſervari mandavit. Die 2.Auguſti 1698.

Et Parochis in aſſociatione, ſive occaſione aſſociationis Cadaverum non licere ingredi Eccleſias Regularium, ſed teneri dimittere eadem Cadavera, ad januam Eccleſiarum, ibique ſolū poſſe benedicere,& dicere ultimum vale,& officia, & alia munia à Regularibus, & non à Parochis, peragi debere, firmavit S.Cong.Epiſc. & Regul.die 27. Novemb.1671. cujus diſpoſitio ſub die 18.Januar.1672. confirmatur à Clemente X. *Conſt.Nuper pro parte*, & ſub eadem die, & anno *Conſt.Et alias* approbat ejuſdem Congregationis decretum, quo injungitur Parochis, aliiſque de Clero,ne majorem eleemoſynam exigant ab hæredibus Defunctorum, qui in Eccleſiis Regularium ſepeliuntur, quam exigere poſſent, ſi in Parochiali, vel alia Cleri Eccleſia ſepelirentur. *Bull.Cherub.tom.5.pag.566.*

Non conceditur Regularibus Cadavera Religioſorum intra Clauſtra decedentium proceſſionaliter deferre per vicos, & plateas, quin prius obtinuerint à Parocho licentiam; cum,
7 ex dicendis *cap. Officialis quoad proceſſiones*, (niſi eis aliàs privilegium aſſiſtat,) ut notavit *Donat. prax. regul. tom.1. par.2. quæſt.81.* nequeant proceſſiones extra Clauſtra Conventus facere, Epiſcopo irrequiſito, vel Parocho, ex ratione, quod extra Clauſtra Crucem erigere, & ſub ea proceſſiones facere, in pompa Eccleſiæ, actum contineat juriſdictionis, ita proprio adhærentem territorio, ut in alieno exerceri non poſſit, niſi conſentiat loci Patronus, ad quod facit *cap. ut animarum de Conſt.in 6.lib.1.tit.2.*

Et ſub expreſſis terminis firmavit S.Cong. Conc. *ſub die 2.Julii 1620.apud Peyrin..cit.ad Conſt.7. Pii V.ſub* §.10. dum interrogata; *quando muore alcun loro Superiore,ò Maeſtro,ò Teologo collegiale in Convento, ſe poſſono farlo portare per la Città per diverſe Parochie, e per le piazze con muſiche, e riti ſtraordinarii, e metterli ancora il Peviale, ſenza intervento del Curato?* ad undecimum, reſpondit, non poſſe.

8 Quæ *ſub die 24.Auguſti* 1669. cenſuit -- non licere Parochis pro aſſociandis Cadaveribus eorum, qui repentina, vel violenta morte decedunt, exigere majus emolumentum eo,

quod

quod exigi, ſeù præſtari ſolet ab eo, qui teſtamentum condidit, -- *lib.26.Dec.Fol.283.*

9 Omnes tandem ſciant, ex *cap. Abolendæ de ſepulturis lib.3.tit.28.* nullo modo eſſe licitum, ſed contra Chriſtianæ pietatis officium; & per Ordinarios caſtigandum, quod propter exactionem pecuniarum, ſeù mortuaria non ſoluta, defunctorum cadavera inhumata relinquantur.

CAPUT XVIII.

Officialis quoad Feſtos dies.

SUMMARIUM.

1 *Dies feſti ab Epiſcopis indicti, à Regularibus ſervantur.*
2 *Poſſunt Regulares dies feſtos in ſuis Eccleſiis annunciare.*
3 *Et ad id poſſunt ab Ordinariis compelli.*
4 *Quid dies feſti ſignificent?*
5 *Quæ per Regulares in eis poſſint exerceri?*
6 *Decretum S.C.Rituum ſuper Celebratione Miſſæ, & Officii de Sanctis deſcriptis in Martyrologio.*
7 *Decretum ejuſdem ſuper translatione feſti Sanctiſſimæ Annunciationis.*
8 *Alterum Decretum ſuper feſto S.Joſeph occurrente feria v. majoris hebdomadæ.*

1 DIes feſtos, quos Epiſcopi in ſua Diœceſi ſervandos præceperint, deberi, etiam à Regularibus, obſervari, ſtatuit Trident. *ſeſſ.25. cap.12. de Regularibus*, ubi: -- dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos, idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, ſerventur, vide *cap. officialis quo ad exemptionem ab juris: Ordin.nu.42.decretum S.C.C.*

2 Poſſunt Regulares dies feſtos, & jejunia in ſuis Eccleſiis annunciare, prout in terminis firmavit S.C.C. *ſub die 2.Julii* 1620. *apud Lezanam ſum.quæſt.Regul.tom.*1.*cap.*12.*num.*41.quæ interrogata; -- an Regulares, poſſent annunciare dies feſtos, & jejunia in ſuis Eccleſiis ad Altare in celebratione Miſſæ? Reſpon-

ſpondit: Regulares non prohiberi dies feſtos, & jejunia in ſuis Eccleſiis annunciare. --

3 Imo poſſe ad id ab Ordinariis obligari, ne feſtorum, & jejuniorum ignorantia fideles tranſgrediantur præcepta Eccleſiæ, tradit *Roderic.quæſt.Regul.tom.*1.*quæſt.*43.*art.*7. *in fine.*

4 Cum dies feſti, ſeù feſtivitates, aliud non dicant, quam cultum divinum inſtitutum in memoriam alicujus myſterii Eccleſiaſtici, vel martyrii, ſeu obitus &c. alicujus Sancti, cum ceſſatione ab operibus ſervilibus; hinc in illis, nec Regularibus, licet in ſuis Monaſteriis, nec per ſe, nec per alios operarios ſeculares, operibus ſervilibus incumbere, ex *Peyr.de Priv.regul.to*.3. *ad ditam.ad conſt.Leonis X.cap*.4. *n*.54. Quibus itidem prohibetur proceſſus formare, cauſas cognoſcere, & ſententias proferre,

5 ut notat *Lezana tom*.3. *verb. feſti dies ſub num*.13. exercere tamen poterunt actus extra judiciales, & qui fiunt ſine ſtrepitu judicii, & ſic Eccleſias, & Monaſteria, ipſoſque Religioſos, more religioſo, viſitare, & ſine ſtrepitu judiciali præcepta ſubditis imponere, etiam cum excommunicatione, eoſque à cenſuris abſolvere.

Miſſæ celebrantur, & officia recitantur de Sanctis in Martyrologio deſcriptis ad forman ſequentis Decreti.

6 Decretum Generale. -- Cum Sac. Rituum Congregationi innotuerit quamplures abuſus irrepſiſſe circa recitationem officii, ſub prætextu decreti ab eadem Congregatione evulgati de anno 1630. & in Breviario Romano impreſſi, in quo permittitur poſſe in Eccleſia recitari officia, & Miſſas celebrari de illis Sanctis, quorũ Corpora, aut Reliquiæ inſignes in ea aſſervantur: Eminentiſſimi Patres eidem Sac. Congreg Præpoſiti iiſdem abuſibus evellendis præcipuè intenti, inhærendo decretis, alias in ſimilibus editis, declararunt prædicta officia, Sanctorum, ratione Corporis, ſeù inſignis Reliquiæ, recitanda, intelligi debere de Sanctis, dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate corporis, ſeù Reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus: de cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus à Sancta Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum, officia recitari, & Miſſas celebrari, vetuerunt, non obſtante, quod ipſorum Corpora, vel inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur. Quibus tamen,

ab

ab Ordinariis locorum approbatis, debitam fidelium venerationem (prout hactenus ſervatum eſt) exhibendam eſſe cenſuerunt, ſed abſque officio, & miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi officium, aliiſque in Conſt. Pii V. contentis. Die 11.Auguſti 1691. --

-- Et facta de prædictis Sanctiſſimo per me Secret.relatione, Sanctitas Sua hujuſmodi decretum approbavit, ac, ut debitæ exequutioni demandetur locorum Ordinariis injungendum eſſe præcepit. Die 19. Octobris ejuſdem anni 1691.

Super tranſlatione Feſti Annunciationis poſt octavam Paſchæ, eadem Sac.Cong.diſpoſuit, ut infra.

7 -- Etſi ſecundum regulas Breviarii Romani, cum plura feſta æqualia in ritu transferenda ſunt, unum ante aliud transferri debeat eo ordine, quo erant celebranda propriis diebus: attamen quia anno 1690. ab hac Sacrorum Rituum Congr., approbante, & mandante fel. rec. Alexandro Papa VIII.,ſpecialis prærogativa conceſſa fuit tranſlationi feſti Annunciationis B.Mariæ Virginis Matris Dei, incidentis in feriam ſextam Paraſceve, vel Sabatum Sanctum: idcirco eadem Sac.Rituum Congregatio iſtiuſmodi novis decretis inhærens, ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis ſpeciali hoc privilegio decorandum, cenſuit idem feſtum Annunciationis: nimirum, ut quotieſcumque poſt hac contigerit feſtum prædictum, etiam quoad ſolum officium, poſt octavas Paſchæ, transferri,in eodem cæteris ſemper feſtis æqualis ritus præponatur, licet temporis ordine illis ſit in Kalendario poſterius: & ita ſervari mandavit die 14.Junii 1692. --

Occurrente feſto S.Joſephi feria v. majoris hebdomadæ plures Miſſæ currentis officii ipſa die celebrantur, & ſolum quoad Chorum, ſeu officium, transfertur feſtum Sancti, non quoad forum, ut itidem eadem firmavit.

8 -- Cum anno proximè venturo occurrat feſtum S.Joſephi in feria v.majoris hebdomadæ, exortum fuit dubium, attenta univerſali conſuetudine Eccleſiæ celebrandi eo die unam tantum Miſſam, an una cum officio ipſius S.Joſephi tranferri debeat anno prædicto, etiam obligatio audiendi Miſſam, ac vacandi ab operibus ſervilibus? dubioque hujuſmodi in Sacrorum Rituum Congregatione propoſito, eadem Congregatio ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. D.Card.Albani, re

ma-

maturè diſcuſſa, cenſuit officium transferendum eſſe ad aliam diem, juxta rubricas Breviarii Romani, & decreta, ipſius Congregationis; cæterum præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus prædictis non eſſe transferendum, ſed ſervandum eſſe prædicta feria v. majoris hebdomadæ: adeoque per Ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint, ſed tamen propterea antiquus mos Cõmunionis Cleri in Miſſæ ſolemni ejus diei, quo Eccleſia SS.Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus detentus, nullatenus omittatur, & ita declaravit, ac decretum hujuſmodi publicari, & imprimi mandavit. Die 13. Septembris 1692.--

C A P U T XIX.

Officialis quoad Indulgentias.

S V M M A R I V M.

1 *Deſcribitur Indulgentia.*
2 *Eſt in Eccleſia poteſtas concedendi Indulgentias.*
3 *Indulgentiæ revocari poſſunt.*
4 *Conſtitutio Pauli V.revocatoria Indulgentiarum.*
5 *Aliæ conceduntur.*
6 *Damnatur Propoſitio ſuper revalidatione Indulgentiarum.*
7 *Diſtinctio, quod redierint per communicationem, non ſubſiſtit.*
8 *Decretum emanatum ſub* Innoc.*XI.*
9 *Indulgentiæ, quando revalidentur!*
10 *Reſcriptorum intellectus, à quo deſumatur!*
11 *Non ſunt revocatæ, conceſſæ viſitantibus Eccleſias Regularium.*
12 *Declaratio S.C.Indulgentiarum.*
13 *Non revocantur Indulgentiæ conceſſæ, cum clauſula* Univerſis Chriſti fidelibus &c.
14 *Regulares ſunt fideles, non deterioris conditionis.*
15 *S.Franciſcus obtinet à Chriſto Indulgentiam Portiunculæ.*

X 16 *In-*

16 *Indulgentia Portiunculæ applicabilis per modum ſuffragii.*
17 *Indulgentia Portiunculæ conceditur quotidiana.*
18 *Indulgentia recitantibus Officium Conceptionis in ejus feſto, & recitationi intereſſentibus.*
19 *Indulgentia recitantibus Officium Sanctiſſimi Nominis Jeſu; & quomodo intereſſentibus.*
20 *Indulgentia perpetua in Feſtis SS. Joannis à Capiſtrano, & Paſchalis Baylon.*
21 *Indulgentia quotidiana viſitantibus Eccleſiam S.P. Franciſci Civitatis Aſſiſii.*
22 *Indulgentiæ ſtationum Urbis, quomodo intelligantur Regularibus conceſſæ?*
23 *Indulgentia Plenaria ſemel tantùm in die acquiritur.*
24 *Indulgentia affixa diei non transfertur cum translatione Officii.*
25 *Si Feſtum transferatur quoad Chorum, & forum, eſt probabile transferri indulgentiam.*
26 *Attendenda eſt diſpoſitio literarum.*
27 *Si quo ad forum, feſtum non transfertur, probabilius eſt, Indulgentiam non transferri.*
28 *Clauſula dummodo celebrentur quotidie ſeptem Miſſæ, quæ ponitur in conceſſione Altaris Privilegiati.*
29 *Clauſula ad ſeptennium exponitur.*

1 EST Indulgentia, relaxatio, remiſſio, ſeù condonatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus, jam dimiſſis, à Prelato Eccleſiæ, exiſtentibus in gratia, extra Sacramentum conceſſa per diſpenſationem, ſeù applicationem theſauri Eccleſiaſtici.

— Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maxime ſacrorum Conciliorum authoritate probatum retinendum eſſe, Tridentinum docet, & præcipit, eoſque anathemate damnat,
2 qui, aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant, *Seſſ.25.in decreto de Indulgentiis.*

3 Indulgentiæ per Doctores revocari poſſunt; & patet ex praxi Pauli V. qui eas, per ſuos prædeceſſores Regularibus conceſſas, revocavit, aliaſque ipſarum loco eiſdem eſt elargitus, ut ſequitur. *Bull.Cherub.tom.3.pag.*201.

4 — Romanus Pontifex in Beati Petri ſede conſtitutus, cui in-

inter alia cœleſtis Indulgentiarum theſauri diſpenſandi cura incumbit, ſolicitè proſpicere debet, ac ſolerter, ut hujuſmodi Indulgentiarum diſpenſatio, & uſus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem præcipuè dirigatur, & ne illarum multiplicitate confuſio, aut inanis interpretatio exoriatur.

§. 1. Proinde cum fel.rec.Clemens Papa VIII. prædeceſſor noſter magna cum diligentia, & ſollicitudine procuraverit, abuſus, & corruptelas, tum in communicando Indulgentiarum theſauros, tum in modo illos recipiendi, irreptos tollere, & propterea ſua quadam conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi, & rectè adminiſtrandi Societates, & Confraternitates præſcripſerit, licet morte præventus hanc piam ejus voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam ut cogitaverat, circa Indulgentias à pleriſque Romanis Pontificibus prædeceſſoribus, Religionibus, & Ordinibus Monaſticis, & Mendicantibus diverſis temporibus conceſſas, aliquid deliberare potuerit.

§. 2. Nos, qui nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei benignitate ad ſummi Apoſtolatus officium vocati ſumus, ſuſceptum à tanto Pontifice pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, ubi primum Catholicæ Eccleſiæ regimen ſuſcepimus, venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente prædeceſſore deputatis, de quorum numero tempore ipſius Clementis prædeceſſoris eramus, injunximus, ut in illo opere ad ulteriora progrederentur, & Indulgentias Regularibus conceſſas recognoſcerent, iiſque recognitis rem nobiſcum communicarent.

§. 3. Cum itaque præfati Cardinales privilegia, conceſſiones, & gratias prædictis Religionibus, & Ordinibus conceſſas diligenter inſpexerint, & examinaverint, ac eorundem Ordinum Superiores, & Officiales pluries audiverint, ac circa eaſdem Indulgentias varia dubia, & incertitudines, & confuſiones adeſſe compererint, & ex judicio eorumdem, etiam Regularium, vel aliquorum ex illis nobis propoſuerint valde expedire, pro eorum majori ſecuritate, & beneficio, ut Indulgentias ipſis Regularibus, & Ordinibus ad inſtar, vel per communicationem, aut alio modo hactenus conceſſas, annullaremus, & revocaremus, ac alias particulares illis concederemus.

5 §. 4. Nos matura ſuper hoc conſultatione præhabita, cu-

pientes perſonis Regularibus quibuſcumque quorumvis Ordinum, tam Monaſteriorum, quàm Mendicantium, ſpirituale ſolatium, & juvamen afferre, infraſcriptas Indulgentias, & gratias, quas perſonis Regularibus, intra clauſtra, aut extra, cum licētia tamen ſuorum Superiorum, legitima de cauſa, illis conceſſa, degentibus, tantummodo ſuffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§. 5 Omnibus igitur Chriſti fidelibus, qui canonice, & juxta ordines cujuslibet Religionis, & Conſtitutiones Apoſtolicas habitum Regularem à legitimis Superioribus cauſa profitendi in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes, & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, Plenariam.

§. 6 Ac cuilibet Novitio, qui pænitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, poſt completum probationis annum, profeſſionem emiſerit, etiam plenariam.

§. 7 Nec non cuilibet Religioſo inter Clauſtra ſui Monaſterii viventi, qui in feſto principali ſui Ordinis confeſſus, & ſacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum Principum concordiâ, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam Plenariam.

§. 8 In cujuslibet verò mortis articulo, ſi pariter vere penitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequierit, ſaltem contritus, nomen Jesù ore, ſi potuerit, ſin autem corde, devote invocaverit, etiam Plenariam.

§. 9 Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & confeſſus, primam Miſſam celebrabit, nec non etiam iis Religioſis, qui pariter confeſſi, ac ſacra Communione refecti eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam Plenariam.

§. 10 Iis verò, qui, de ſuorum Superiorum licentia, à negotiis per decem dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati, in piorum librorum, & aliarum rerum, ſpiritualium animos ad devotionem, & ſpiritum inducentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſępe conſiderationes, & meditationes myſteriorum fidei Catholicæ. divinorum beneficiorum, quatuor Noviſſimorum, Paſ-

ſionis

ſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti , & aliorum exercitiorum , orationum jaculatoriarum , aut vocalium , ſaltem per duas horas in diem , & noctem orationibus mentalibus , ſe ſe exercendo , faciendo eodem tempore confeſſionem generalem, aut annualem , vel ordinariam , Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint , aut Miſſam celebraverint , quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum , Plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam , & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus .

§. 11 Præterea iidem Religioſi intra Clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devote viſitaverint,& ut præfertur oraverint, conſequantur eaſdem Indulgentias , quas viſitantes Eccleſias Urbis , & extra eam diebus Stationum conſequuntur, in omnibus diebus perinde , ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent .

§. 12 Omnibus item Religioſis intra clauſtra , ut ſupra, viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante Altare eorum Eccleſiæ in quolibet die, quinque annos , & totidem quadragenas .

§. 13 Iis verò, qui de ſuorum ſuperiorum licentia in itinere exiſtentes , aut extra clauſtra degentes , tamquam Prædicatores , & Lectores , quinquies eandem Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare ſimiliter dixerint , etiam quinque annos , & totidem quadragenas .

§. 14 Nec non etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus, ſpatio medię horę orationem mentalē fecerint , ac confeſſi, & ſacra Communione, ultima Dominica menſis hujuſmodi,refecti fuerint, ſexaginta annos, & totidem quadragenas .

§. 15 Qui verò contrito corde, & pænitentes eorum culpas, & peccata , ac imperfectiones in Capitulis culparum accuſabunt , & ſpiritualiter communicabunt , & exercitium virtutum facient , tres annos , & totidem quad ragenas .

§. 16 Quotieſcumque autem de licentia Summi Pontificis, aut ſuorum Superiorum in ditiones , & terras infidelium, aut Hęreticorum ad concionandum , aut Catholicos docendum , vel infideles , & Hæreticos ipſos ad fidem Catholicam convertendum , & Eccleſiæ gremio reducendum, miſſi fuerint, ſi pę-

niten-

nitentes, & confeſſi, ac Sanctiſſima Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebraverint, ut melius ad hujuſmodi opus ſeſe parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet, quando itineri ſe accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

§. 17 Et inſuper cum Superiori in viſitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, iis Religioſis, qui dictis orationibus, ſaltem ſpatio duarum horarum in diverſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, nec non diſciplinæ, & obſervantiæ Regularis augmento, pias ad Deum preces, ut ſupra dictum eſt, effuderint, ſi confeſſi, & ſacra Communione refecti fuerint, aut Miſſam celebraverint, Plenariam ſimiliter omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem, ut præfertur, concedimus.

§. 18. Volumus autem, ut omnes ſupradictæ Indulgentiæ, & gratiæ religioſis Regularibus cujuſvis Ordinis, tam Monaſtici, quàm Mendicantis dumtaxat, ut præfertur, conceſſæ, etiam omnibus Monialibus, cujuſvis Regulæ approbatæ, & intra clauſtra, cum tribus votis ſolemnibus viventibus, & perpetuam clauſuram ſervantibus, tam Ordinariis locorum, quam etiam Regularibus, cujuſcumque Ordinis, Regulæ, & Inſtituti, ſubiectis ſuffragentur. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. 18 Cæterum omnes, & ſingulas Indulgentias quibuſcumque Ordinibus, & Inſtitutis Regularibus hujuſmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet perſonis Regularibus, tam vigore privilegiorum, & litterarum Apoſtolicarum, quam vivæ vocis oraculo, aut alias quovis modo, per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & Apoſtolicam Sedem, hactenus conceſſas, confirmatas, approbatas, & innovatas, auctoritate, & tenore prædictis perpetuo revocamus, caſſamus, annullamus, & abrogamus, & ad præſentium noſtrarum literarum præſcriptum reducimus, & moderamur.

§. 20 Non

§. 20 Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac eorum Ordinum, & Inſtitutorum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quamvis firmitate, alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mare magnum, & Bulla aurea nuncupata, eiſdem Ordinibus, & Inſtitutis, eorumque Monaſteriis, Conventibus, Collegiis, Domibus, Superioribus & perſonis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeù quævis alia expreſſio, habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis, habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

§. 21 Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides habeatur ubique, quæ præſentibus ipſis originalibus literis haberetur.

Dat. Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 23. Maii 1606. Pontificatus noſtri Anno 2.

Et cum plures aſſererent per confirmationes privilegiorum, ea revocatione poſteriores, eas fuiſſe priſtino valori reſtitutas. Alex. VII. *die* 18. *Martii* 1666. illis ſuper hoc ſilentium indixit, hujuſmodi propoſitionem damnans.

6 *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V., hodie ſunt revalidatæ.*

Nec datur locus diſtinctioni ſcribentium ab Alex. damnari hanc dumtaxat propoſitionem. -- Indulgentiæ revocatæ à Paulo V., directè, & expreſſe ſunt revalidatæ; minime autem affirmantium eſſe revalidatas cum modificatione; quatenus propter privilegiorum communicationem, redierint ad ſuos priſtinos poſſeſſores, ſi Religio aliqua poſt revocationem Pauli, obtinuerit, ab eo revocatas, per poſteriores Pontifices innovari, & iterum concedi; -- id etenim cùm decreto

7

Alex.

Alex. non cohæret, cum ipſe abſolutè velit non eſſe revalidatas; & adverſatur alteri à Sac. Cong. Indulgentiarum, & ab
8 Innocentio XI. approbato, edito 7. *Martii* 1676. videndo apud *Lant. ſupplement. verb. Indulgentiæ num.* 8. *&* *Gobat.tom.* 2. *oper. mor. tract.* 4. *part.* 3. *cap.* 37. *ſub num.* 709. ubi, pluribus Indulgentiis, vel, ut apocriphis, aut fictis, ſeù inventis, reprobatis, §. *ac demum*, quo ad eas perſonis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, ante Breve Pauli V. ſuperius enunciatum, conceſſas, diſponit, ut ſequitur: -- niſi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius eſſe roboris & momenti pariter declarat. --

9 Ideo numquã revalidari dicendum, niſi per Sedem Apoſtolicam ſucceſſivè innoventur, vel confirmentur; & cum intellectus reſcripti, quo ad clauſulas involventes gratiam, ex notatis à *Gobat. loco cit. cap.* 27. *ſub num.* 549. petendus ſit ex
10 mente, & proęmio Principis reſcribentis, videndum eſt, ſi in literis confirmationis, Indulgentiæ cum aliis ab eodem nominentur, & exprimantur.

Cum Paulus §. 19. dicat à ſe revocari Indulgentias quibuſcumque – Ordinibus, & Inſtitutis Regularibus, etiam Mendicantibus, & quibuslibet perſonis Regularibus; & decretum citet, & declaret nullius eſſe roboris, conceſſas perſo-
11 nis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, -- ſequitur eas dumtaxat revocatas, & abrogatas eſſe, quæ directè, & principaliter conceſſæ erant ipſis Regularibus, non verò eas Eccleſiis Regularium viſitantibus conceſſas, ut notavit *Lezana tom.* 3. *pag.* 264. *verb. Indul. num.* 8. & declaravit Sac. Cong. Indulgentiarum ab eodem Paulo deputata, ipſeque approbavit apud *Lant.verb.Confrat.ſub num.* 11., & in ea decreta tranſmiſſa fuerunt Archiepiſcopo Bononienſi, ut ſequitur; *E perche molti dubitano, ſe per la Coſtitutione di Sua Beatitudine ſopra l'Indulgenze conceſſe ultimamente alle perſone Religioſe, con revocatione delle antiche,*
12 *venghino revocate anco l'Indulgenze conceſſe alle Chieſe Regolari, & à quei, che le viſitano, ancorche la Coſtitutione comprendi chiaramente ſolo le perſone Regolari, ſenza eſtenderſi alle Chieſe loro, tuttavia la Sac. Congregatione per levar ogni dubio, dichiara, che l'Indulgenze conceſſe a quelli, che viſitano le Chieſe de*

Rego-

Regolari, ſtanno nella loro forza, è vigore, ſinche la Santità Sua farà altra deliberatione, e però ſi poſſono laſciar publicare, quando non oſti altra coſa; Alia vide. *Nicol. Floſ. v. Indulg. num. 6.* Nec revocantur conceſſæ perſonis de Tertio Ordine; nam propoſito dubio Sac. Congreg. Indulgentiarum, & in ea examinato; *An in generali revocatione Indulgentiarum, quæ in Brevi Romanus Pontifex Pauli V. habetur, comprehendantur Perſonæ, quæ ſubſtantialia Religionis vota non emittunt intra, vel extra Clauſtra degentes?* Ipſa reſpondit, *eas minime comprehendi*. Et reſponſum confirmatur ab Innocentio XI. Conſtit. Alias 10. *Octob.* 1686. *direct. Trium Ordin. art.* 5. *conſtit.* 1.

Nec revocari dicendum, ut notat *Gobat. cit. part.* 1. *cap.* 27. *ſub num.* 546. *& Hasbenſis Summa Select. qq. v. Indulgentia ſub num.* 222. Indulgentias promiſcue datas, Regularibus, & Secularibus, ut cum in literis conceſſionis à Pontifice apponitur Clauſula illimitata, -- Univerſis Chriſti-
13 fidelibus, vel omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui devote viſitaverint Eccleſiam, v. g. S. Mariæ de Aracœli in Feſto S. Franciſci, indulgentiam concedimus; -- quia hujuſmodi generis Indulgentiæ non ſunt datæ primo, & directè perſonis Regularibus, ſed omnibus Chriſti Fidelibus; ideo, & Regulares in ejuſdem S. Franciſci Feſto, devote, & ut oportet, præfatam viſitantes Eccleſiam, eam
14 poſſunt lucrari, cum & ipſi, ſicut cœteri, ſint fideles, & non deterioris conditionis.

15 Plenariam à Chriſto Domino ad preces Deiparæ pro omnibus fidelibus, qui Eccleſiam, S. Mariæ Angelorum, ſeù Portiunculæ nuncupatam, in agro ſitam Aſſiſien. pie, & devote viſitarent, obtinuit S. Franciſcus, quam ad unicam diem reſtrinxit Honorius III., ad ſecundam ſcilicet Auguſti, in qua ejuſdem Eccleſiæ anniverſaria dedicationis memoria recurrit.

Et ſub revocatoria Indulgentiarum diſpoſitione, quæ Anno Sancto durante ſuſpenduntur, eam non comprehendi declararunt Innoc. X. 5. *Julii* 1650. Clemens X. 12. *Novembris* 1674. & occaſione præſentis, expreſſit Innocentius XII. prout ſequitur.

-- Cum ob Sacri Jubilei celebrationem, à Vigilia Nativi-

 tatis

tatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti proximè venturi anni inchoandam, & uſque ad finem ejuſdem anni duraturam, omnes, & ſingulas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones quibuſvis Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, & aliis locis piis ſecularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, Regularibus, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis, quomodolibet conceſſas, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſuſpenderimus, ac ſuſpenſas eſſe declaraverimus, eaſque eodem anno durante, nulli prodeſſe, aut ſuffragari debere decreverimus, prout in noſtris ſub Plumbo deſuper expeditis literis, quarum tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur: Nos cupientes, ut Eccleſia Sanctæ Mariæ Angelorum Domus Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia propè, & extra muros Civitatis Aſſiſien., congruis frequentetur honoribus, ad eamque Chriſti Fidelibus lubentiùs accedant, quo exinde ſpiritualibus gratiis ſe uberius refectos conſpexerint, tenore præſentium declaramus, mentis, & intentionis Noſtræ minime fuiſſe, nec eſſe ſub præfata Indulgentiarum ſuſpenſione, Indulgentiam utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, prædictam Eccleſiam die ſecunda Menſis Auguſti, à primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi viſitantibus, & requiſita, pro eadem Indulgentia conſequenda, peragentibus, conceſſam, comprehendere, prout minime comprehendimus, nec comprehenſam eſſe in verbo Romani Pontificis atteſtamur: In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die xxi. Auguſti M.DC.XCIX. Pontificatus Noſtri Anno Nono. --

Indulgentiam Portiunculæ applicari poſſe per modum Suffragii Animabus Defunctorum, indulxit Innocentius XI. ut infra.

16 -- Aliàs fel.rec.Greg.Papa XV. Prædeceſſor Noſter omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sac. Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, etiam Reformatorum, nuncupatorum, ubicumque exiſtentium, die ſecunda Menſis Auguſti à primis veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, annis ſingulis, de-

votè

votè viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudiſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, miſericorditer in Domino conceſſit, & aliàs, prout in ipſius Gregorii prædeceſſoris literis, deſuper in ſimili forma Brevis die iv. Julii 1622. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur. Cum autem dilectus Filius modernus Procurator Generalis dicti Ordinis, Nobis nuper exponi fecit, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remiſſionem, per dictum Gregorium prædeceſſorem, ut præfertur, conceſſam, etiam Animabus Chriſti Fidelium Defunctorum, per modum Suffragii applicari poſſe, ſummopere deſideret: Nos piis ejuſdem Procuratoris Generalis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere volentes, auctoritate Nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, Indulgentiam plenariam, & peccatorum remiſſionem Chriſti Fidelibus præfatis, ſupradictas Eccleſias Fratrum Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, & Reformatorum, dicta die ſecunda Menſis Auguſti, ut ſupra, viſitantibus, & præmiſſa peragentibus conceſſam, etiam Chriſti Fidelium Animabus, quæ, Deo in charitate conjunctæ, ab hac luce migraverint, per modum Suffragii applicari poſſe, etiam, perpetuò concedimus, & indulgemus; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Volumus &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 22. Januarii 1687. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo. --

17 Et idem Innocentius XII. Indulgentiam perpetuam, in quocumque die, præfatam Eccleſiam viſitantibus concedit. *Collet. Bulla. Innocentii XII. pag.* 197.

-- Redemptoris, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti vices, licet immeriti, gerentes in terris, Cœleſtium munerum theſauros, quorum diſpenſationem humilitati noſtræ commiſit Deus, fideli, prudentique liberalitate libenter erogamus, ſicut pia ſublimium Principum, præclaris in Eccleſiam Dei meritis fulgentium, ac Religioſorum virorum, propriæ, alienæque ſaluti laudabilitèr incumbentium, vota poſtulant, & Nos, ad augendam, fovendamque Fidelium pietatem profuturum in

Domino arbitramur. Itaque ſpirituali Chriſti Fidelium ad Eccleſiam, S.Mariæ Angelorum nuncupat., Domus Fratrum Ordinis Minorum S. Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum, prope, & extra muros Civitatis Aſſiſien., aſſiduè (ut accepimus) ex univerſis Chriſtiani Orbis partibus, devotionis cauſa, confluentium, conſolationi, atque Animarum ſaluti, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere, nec non dilecti Filii Bonaventuræ Poerii Miniſtri Generalis dicti Ordinis ſupplicationibus, etiam totius Ordinis prædicti nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, quibus pie, atque enixe plurium Orthodoxorum Principum preces, in idipſum tendentes acceſſere, favorabilem aſſenſum præbere cupientes, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi,omnibus utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus ad Eccleſiam ſupradictam, ſicut præmittitur, confluentibus, qui illam verè pœnitentes, & confeſſi, ac Sac. Communione refecti, in quocumque Anni die devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia,Hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditèr in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die xviii. Auguſti. M. DC. XCV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto. –

Sixti IV. diſpoſitione, apud *Confect. Collet. Privil. Mend. parte prima pag. mihi* 92., recitantes in Feſto Conceptionis ejuſdem Officium, diſpoſitum per Leonardum de Nogarolis, vel intereſſentes recitationi, eaſdem Indulgentias, quas Chriſti Fideles in Solemnitate Corporis Chriſti, lucrantur.

18 – Sixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Cum præcelſa meritorum inſignia, quibus Regina Cœlorum Virgo Dei Genitrix Glorioſa, ſedibus prælata ſydereis, quaſi Stella matutina perrutilans, devotè conſiderationis indagine perſcrutamur, & infra pectoris arcana revolvimus, quod ipſa, utpotè via miſericordiæ, Mater gratiæ, & pietatis, unica humani generis conſolatrix, pro ſalute Fidelium, qui delictorum onere prægravantur, ſedula oratrix, & pervigil ad Regem, quem genuit, intercedit dignum, quin

potius

potius debitum, reputamus univerſos Chriſti Fideles, ut Omnipotenti Deo, cujus providentia ejuſdem Virginis humilitatem ab æterno reſpiciens, pro reconcilianda Auctori humana natura, lapſu primi hominis æternæ morti obnoxia, eam ſui unigeniti habitaculum, Sancti Spiritus præparatione conſtituit, ex qua carnem noſtræ mortalitatis pro redemptione populi ſui aſſumeret, & Immaculata Virgo, poſt partum, nihilominus remaneret, de ipſius Immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant, & inſtituta propterea in Dei Eccleſia Miſſas, & alia Divina Officia, dixerint, & illis interfuerint, Indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus invitare; ut exinde fiant ejuſdem Virginis meritis, & interceſſione, Divinæ gratiæ aptiores. Hac igitur conſideratione inducti, ejuſdem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, hac in perpetuum valitura Conſtitutione, ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli Chriſti Fideles, utriuſque ſexus, qui Miſſam, & Officium Conceptionis ejuſdem Virginis Glorioſæ, juxta piam, devotam, & laudabilem ordinationem dilecti Filii Magiſtri Leonardi de Nogarolis Clerici Veronenſis Notarii Noſtri, & quod deſuper à Nobis emanavit, Miſſæ, & Officium, hujuſmodi inſtitutionem in die Feſtivitatis Conceptionis ejuſdem Virginis Mariæ, & per Octavas ejus devotè celebraverint, & dixerint, aut illis Horis canonicis intererint, quoties id fecerint, eandem prorſus Indulgentiam, & peccatorum remiſſionem, exinde conſequantur, quam juxta fœlicis recordationis Urbani Quarti, in Concilio Viennenſi approbatæ, ac Martini Quinti, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum Noſtrorum Conſtitutiones, conſequuntur, illi, qui Miſſam, Officium, & Horas canonicas in Feſto Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri Jeſu Chriſti à primis veſperis, & per illius Octavas, juxta Romanæ Eccleſiæ inſtitutionem, celebrant, dicunt, aut Miſſę, Officio, & Horis hujuſmodi interſunt, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituram. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, tertio Kal. Martii Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Similes Indulgentias conceſſit Clemens VIII. apud *Roderic. Collet. Privileg. Bulla tertia pag.* 524., in Feſto SS. Nominis Jeſu *die* 14. *Januarii*.

19 -- Sacratiſſimi Nominis Jeſu, *& infra*. Nos igitur ipſius Sanctiſſimi Nominis Jeſu venerationem (ut par eſt) augere ſinceris deſideriis affectantes, hujuſmodi ſupplicationibus incliti, quod de cætero in toto Ordine Fratrum Minorum, & Sororum Sanctæ Claræ, ſingulis annis, die 14. menſis Januarii Feſtum, & Officium prædictum duplex majus, & ſolemne de ipſo Sanctiſſimo Nomine Jeſu celebrari debeat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, ſtatuimus, & ordinamus, & ut Chriſti Fideles, libentius ad dicti Officii celebrationem accedant, quo ex hoc ſe majora dona ſpiritualia adipiſci poſſe cognoverint, de ipſius D. N. Jeſu Chriſti miſericordia, ac B.B. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, tam Officium ipſum celebrantibus, quam qui illius recitationi, & decantationi interfuerint, ac quinquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam, pro fœlicitate Romani Pontificis, & S. Romanæ Eccleſiæ, adverſus Maumethicam, & Lutheranam perfidiam, ac univerſalem Principum, & aliorum Fidelium pacem, devotè viſitaverint, ſimiles Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, quæ prædictis Chriſti Fidelibus in Officio Feſti Corporis Chriſti, & per illius Octavas, in Eccleſiis, in quibus celebratur intereſſentibus conceſſæ ſunt; concedimus, & elargimur &c. die 2. Aprilis 1598. --

Indulgentia plenaria perpetua viſitantibus Eccleſias Fratrum Minorum de Obſervantia, & Reformatorum, ac Monialium, in Feſtis S.S. Joannis de Capiſtrano, & Paſchalis Baylon ab Alex. VIII.

20 -- Redemptoris, & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui glorioſos ſaluberrimorum, quos nobis reliquit, exemplorum ſectatores altis decoravit honoribus, & cœleſtis beatitudinis conſortes effecit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ſpiritualium munerum theſauros, quorum nobis credita eſt diſpenſatio, libenter erogamus, ſicut ad excitandam, & fovendam erga eoſdem Beatos in Cœli incolas Fidelium devotionem ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cum itaque Nos nuper, ad honorem Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis, ad exaltationem Catholicæ Fidei, & Chriſtianæ Religionis incrementum, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, in Alma Urbe Noſtra, tunc exiſtentium, conſilio, B. Joannem

Joannem à Capiſtrano Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum, & B. Paſchalem Baylon, Diſcalceatorum nuncupatorum, dicti Ordinis profeſſores, auctoritate Nobis à Domino tradita, Sanctos eſſe decreverimus, & definiverimus, illoſque Sanctorum Catalogo ſolemni ritu adſcripſerimus. Hinc eſt, quod Nos ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum ſalutem Cœleſtibus Eccleſiæ theſauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & B.B. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Fratrum Minorum de Obſervantia, ac Reformatorum nuncupatorum; nec non Monialium dicti Ordinis, tam hactenus erectis, quam in poſterum, quandocumque erigendis, & ubicumque locorum exiſtentibus, diebus Feſtis eorundem Sanctorum Joannis à Capiſtrano, & Paſchalis Baylon, nempe, Sancti Joannis quidem die xxiii. Octobris, Sancti Paſchalis verò, die xvii. Maii, à primis veſperi uſq; ad occaſum ſolis, Feſtorum hujuſmodi annis ſingulis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die præfatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die vii. Decembris M.DC.XC. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

Indulgentia plenaria perpetua viſitantibus in quocumque anni die Eccleſiam Sancti Franciſci Domus Fratrum Ordinis Minorum ejuſdem S. Franciſci, Conventualium nuncupatorum, Civitatis Aſſiſien. ab eodem Innocentio XII.

21 — Comiſſę Nobis à Domino Noſtro Jeſu Chriſto diſpenſationis ratio exigit, ut Cœleſtium munerum theſauros, ad augendam in terris Sanctorum, in Cœlis regnantium, venerationem, fovendamque, & incitandam erga illos Fidelium devotionem, fideli prudentia, quantum Nobis ex alto conceditur, erogare ſtudeamus. Itaque eximia, omniſque humanæ laudis præconium longè ſupergreſſa, Sancti Franciſci Confeſ-

ſoris,

ſoris, qui terrenis omnibus deſpectis, Cœleſtis gratiæ benedictione repletus, innumeris mirabilium virtutum exemplis Sanctam Dei Eccleſiam illuſtravit, & hominum corda eo, quo ipſe ardentiſſime flagrabat, charitatis igne ſuccendit, merita, pio, devotoque animi affectu recolentes, nec non ſpirituali Chriſti Fidelium ad Eccleſiam ipſius Sancti Franciſci, Domus Fratrum Ordinis Minorum ejuſdem Sancti Franciſci, Conventualium nuncupat., Civitatis Aſſiſien., in qua Sacrum ejus corpus requieſcit, aſſiduè (ut accepimus) ex univerſis Chriſtiani Orbis partibus, devotionis cauſa, confluentium conſolationi, atque animarum ſaluti, quantum cum Domino poſſumus, benignè conſulere cupientes, ac de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti Fidelibus ad Eccleſiam ſupradictam, ſicut præmittitur, confluentibus, qui illam verè pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, in quocumque anni die devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, Hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditèr in Domino concedimus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die xviii. Auguſti M.DC.XCV. Pontificatus Noſtri Anno Quinto. –

Cum aliquibus locis, Ordinibus, & perſonis communicantur Indulgentiæ Stationum Urbis, literæ communicationis intelligi debent ad formam Decreti enunciati *n.* 8. ubi in fine expreſsè diſponitur.

22 – Indulgentias verò Stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus ſingulari quodam beneficio, vel communicatæ ſunt, vel communicabuntur interdum, aliquibus locis, Ordinibus, aut perſonis, diebus tantum Stationum in Miſſali Romano deſcriptis, ſuffragari poſſe declarat: ſemel autem dum-

23 taxat

23 taxat in die plenariam Indulgentiam,in certos dies,Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri. --

24 Indulgentia, quæ conceditur in feſto alicujus Sancti, obtinenda tamen, V. G. die ſecunda Auguſti, ſi contingat Feſtum, quo ad Chorum, transferri, cum Feſti translatione, non transfertur Indulgentia; quia juxta commune dictum: *Indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant*: ſonat autem illa, & exprimitur conceſſa pro tali die, ergo non valet pro alia, quam illa die; quæ cum ſit certo determinata, immobilis eſt; conſequenter immota manet Indulgentia, ut notat *Hasbenſis Sum. q.q. verb. Indulgentia*: *Lezzana Summ. q.q. tom.* 3. *verb. dies feſti num.* 13. *Gobat. tom.* 2. *operum moralium tract.* 4. *p.* 2. *cap.* 7. *num.* 323.

25 Si verò Feſtum transferatur, conformiter ritui ab Eccleſia præſcripto, nedum quoad Chorum, ſed etiam quoad Forum,& cultum Divinum publicum, cui tam Clerus, quam Populus adſtringatur, & ceſſare ab operibus ſervilibus debeat, & Indulgentia diei determinatè affixa non ſit, probabile eſt apud *Gobat. n.* 324. & Indulgentiam transferri.

26 Verũ ex *cap.ad Aures de reſcr.lib.*1.*tit.*3.in omnibus diſpoſitionibus maxime ſpectanda eſt intentio, & finis legislatoris.

27 Si quoad forum non transfertur, probabilius eſt, nec Indulgentiam transferri; etenim, ut advertit *Hasbenſis loc. cit.* ſi Feſtum S. Joannis Baptiſtæ contingat in die Feſtivo Corporis Chriſti, cum Officio ejuſdem Sancti non transferuntur Indulgentiæ pro die Sancti Joannis datæ, ſed eo die Corporis Chriſti, & non alio, eas Fideles lucrari debent; ſic ſentiendum de Indulgentiis pro feſto S. Antonii de Padua, quando in die Pentecoſtes incidit; licet enim tunc Fideles duplici titulo non teneantur ad audiendam Miſſam, ſicut per D.D. obligantur, cum feſtum Sancti Joannis Baptiſtæ contingit in die Corporis Chriſti (etenim S. Antonius ſolo cultu Chori, & non fori, colitur) tamen cum ejuſdem Officio non transferuntur Indulgentiæ; utpotè datæ etiam in uſum Populi, qui nihil de tali translatione ſcit, & ſolum memoriæ retinet diem tertium decimum menſis Junii.

28 Cum obtinetur Breve, quo Summus Pontifex concedit in una Eccleſia aliquod Altare Privilegiatũ cumclauſula illa:

Dummodo in ea ſeptem Miſſæ quotidie celebrentur; eſt ſenſus per *Gobat. exper.Theol. tract.3.Alphabetic. ſacrifican. caſu* 19. *n*.641. quod ſoleant celebrari; adeo ut conditio non deficiat, ſi aliquando caſu, & fortuito contingat non tot celebrari; præſertim, quia, ut etiam *Hasbenſ. n.* 229. notat: Dictio *quotidie*, *ſemper &c.* non ſumitur in ſenſu grammaticali, ſed moraliter, & civiliter; ita ut quotidie fieri dicatur, quod frequenter fit. Ideo Barboſa apud allegatum Hasbenſem dicit: *Civem, qui continuò tenetur habitare, implere ſi habitet, etiam per tres menſes in Rure ſingulis annis*. Propterea ſi quandoque aliqua juſta cauſa, vel neceſſitate, aut infirmitate, vel ob Hoſtium incurſum, uno die, vel etiam menſe per *Gobat.*, non celebrentur ſeptem Miſſæ, Indulgentia non corruit; dummodo tamen alias regulariter ſoleant celebrari.

29 Alia clauſula *ad ſeptennium tantùm*, innuit ordinarium terminum conceſſionis; verùm ſeptennium non incipit à die, quo Romæ à Summo Pontifice gratia conceditur, ſed à die publicationis factæ per loci Ordinarium. Et anni debent eſſe continui, non interpollati: Eccleſiaſtici, non Solares, à die, ſcilicet publicationis ad diem correſpondentem in ſeptimo anno.

CAPUT XX.

Officialis quoad Interdictum.

SUMMARIUM.

1 *Interdicti deſcriptio.*
2 *Ejus diviſio.*
3 *Quæ, interdicta Eccleſia, interdicto ſubjaceant!*
4 *Perſonaliter interdicti nullibi poſſunt admitti ad Divina.*
5 *Quid de Peregrinis.*
6 *Etiam Innocentes generali interdicto ligantur.*
7 *Interdicto Populo, non intelligitur interdictus Clerus.*
8 *Quæ, & quibus, Sacramenta tempore interdicti conferantur!*
9 *Quando relaxato interdicto, ſepulti extra Eccleſiam, ad Eccleſiam transferantur!*

10 *In qui-*

10 *In quibus Feſtivitatibus ſuſpendatur Interdictum!*
11 *An tempore interdicti ſit abſolutè probibitus ſonitus Campanarum?*
12 *Regulares debent ſervare interdictum.*
13 *Decretum Tridentini.*
14 *An revocentur Privilegia Regularium.*
15 *Fratres Minores gaudent Privilegio ſuſpendendi Interdictum in aliquibus Feſtivitatibus Ordinis.*
16 *Feſtivitates includunt etiam Completorium.*
17 *Quid de Communione præſtanda in illis!*
18 *Privilegium Minorum non eſt commune aliis Regularibus.*
19 *Concilii Lateranenſis diſpoſitio ſuper admiſſione Tertiariorum ad Divina, tempore interdicti.*
20 *Fratres Ord. Min. poſſunt Tertiarios eo tempore in ſuis Eccleſiis admittere, ſed cum modificatione.*

1 INterdictum Eccleſiaſticum ab interdicendo, ſeu prohibendo dictum: -- Eſt Cenſura Eccleſiaſtica in locum, vel perſonas lata, prohibens quorumdam Sacramentorum uſum, Divina Officia, & Sepulturam interdictis miniſtrari. --

2 Ejus diviſio eſt in locale, perſonale, & mixtum: Locali interdicitur locus, ne in eo prædicta exerceantur. Perſonali, Perſona, ne in eis ad præfata admittatur. Mixto, Perſonas, ſimul, & locus interdicuntur.

Locale aliquando eſt generale, totam Provinciam, vel Civitatem afficiens; aliquando particulare, quo interdicitur una, vel altera Eccleſia, ſed non omnes. Et ſciendum ex *Cap. Si Civitas de ſent. Excom. in 6. lib.* 5. *tit.* 11. §. *Ratione*, quod,
3 interdicta Eccleſia, cenſentur etiam interdicto ſubmiſſa, Cœmeterium, & Capella, præſertim eidem contigua.

Perſonale item, aliquando eſt generale, quod directè fer-
4 tur in omnes Caſtri, vel Civitatis perſonas. Et ſic ſuppoſiti interdicto, nec in loco proprio, nec in diſtincto Territorio audire, & admitti poſſunt ad Divina, ſecus ſi, ut notat *Engel. Coll. Univer. Jur. Can. lib.* 5. *tit.* 39. *n.* 83., per mutationem Domicilii deſierint eſſe membra illius Communitatis.

5 Cùm interdictum eſt dumtaxat perſonale, poſſunt in Eccleſiis Populi interdicti ad Divina admitti Peregrini, & cæ-

teri, qui non ſunt membra interdicti Collegii; quemadmodum, cum eſt ſolùm locale, poſſe perſonas illius loci, niſi cauſam dederint interdicto, in alio Territorio, interdicto non ſuppoſito, participare divina, notavit *Piaſec. prax. Epiſ. part.2. cap.4.art.11.*

6 Etiam Innocentes generali interdicto ligantur; utpote partes, & membra populi generaliter interdicti, quod refert *ſum. Leand. ver. interdictum perſonale num.*19. non tamen directè, ſed per accidens ex *Engel.nu.*86.notante ſæpius Innocentes poſſe damnum ſentire ſine culpa, non tamen ſine cauſa; quod exemplo belli juſti fit evidens.

7 Interdicto populo, non intelligitur interdictus Clerus, ex *cap. ſi ſententia tit cit.* ubi expreſsè: -- Si ſententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur (niſi aliud ſit expreſſum in ea) interdictus populus: nec etiam è converſo. -- Adeoque nec Regulares; quia populus abſolute prolatus pro laicis ſupponit. Ipſo autem Clero abſolutè, & ſimpliciter interdicto, & Regulares exempti interdicuntur, ut advertit *Miranda Man. Præl.tom.2.quæſt.37.art.3.& Lezz.ſum.quæſt.Regul.tom.3. verb. interdictum num.*5. qui non comprehendi, teſtatur, ſi in literis exprimatur, non Clerum, ſed Clericos, interdici.

8 Tempore interdicti *cap. quoniam eodem. tit.* conceditur poſſe pueris, & adultis miniſtrari Sacramentum Confirmationis, & Baptiſmatis; *Nicol.lucubrat.lib.5.tit.39.num.229.*

Item pœnitentiæ, tam ſanis, quam infirmis, niſi ſint excommunicati, vel cauſam interdicto dederint; & quatenus: vel prius ſatisfecerint, vel ſatisfacere ſint parati, aut de ſatisfaciendo cautionem præſtiterint, ut in terminis diſponitur *cap. Alma Mater, allegato tit.* Etiam in Eccleſia interdicta per *Piaſecum num.*3. ſi interdictum ſit generale; alioquin ſi una, vel altera Eccleſia tantum, interdicta ſit, & non omnes, in Eccleſia cenſuræ non ſuppoſita.

Item Euchariſtia per modum Viatici exiſtentibus in articulo, vel probabili mortis periculo *Antonell.de Regim.Eccl.lib. 2.cap.ultimo, num.6.* cum conſueto comitatu deferenda, *Thom. Tambur.lib.10.tract.3.de cenſuris cap.1.num.11.*

Morientibus in interdicto denegatur per *Piaſec. num.4.* Extrema Unctio, & ſepultura. Ubi excipit Clericos, qui, niſi cauſam dederint interdicto, poſſunt in loco ſacro ſepeliri; omiſ-

omiſſis tamen ſolemnitatibus adhiberi ſolitis, & Campanarum ſonitu.

Cæterum, relaxato interdicto, ſepulti extra Eccleſiam, ſi
9 cum ſignis pænitentiæ deceſſerint, ad Eccleſiam transferri, ſervatis ſolemnitatibus, poſſunt per *Gloſ. in Clem. Nos qui de ſepulturis lib.3. tit.7. verb. eis quibus*. Ubi textus excommunicationis ſententiam dicit in ſepelientes nominatim interdictos: -- A qua nullatenus abſolvantur, niſi prius ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi, eis, quibus per præmiſſa fuerit in jure irrogata, ſatisfactionem exhibuerint competentem. -- Sepeliens nō nominatim interdictum, licet peccet, eam non incurrit; ſi tamen eum ſepeliat cum officio Divino, & pompa exequiali, ſolita in Eccleſia, fit irregularis; quia cenſetur, tunc exercere actum ordini Sacerdotali deputatum *Piaſec.num.*11.

Suſpenduntur etiam tempore interdicti matrimonia, & ordinum promotiones. Vide *Antonell.cit.num.*9.

Jure antiquo, interdicti tempore, concedebatur ſemel in hebdomada Miſſam celebrare pro conficienda Euchariſtia, ubi aſſervari pro infirmis conſuevit. At jure novo Bonifacius VIII. *allegato capite Alma Mater* prædicta ampliavit, & diſpoſuit, ut infra: -- Adjicimus pætera, quod ſingulis diebus in Eccleſiis, &
10 Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur Divina officia, ſicut prius: ſubmiſſa tamen voce, & januis clauſis: Excommunicatis, ac interdictis excluſis: & Campanis etiam non pulſatis &c. & infra: in feſtivitatibus verò Natalis Domini, Paſchæ, ac Pentecoſtes: & Aſſumptionis Virginis Glorioſæ, campanæ pulſentur, & januis apertis, alta voce, Divina officia ſolemniter celebrentur: excommunicatis prorſus excluſis: ſed interdictis admiſſis: quibus ob reverentiam dictarum Solemnitatum, & ut ipſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur, præfatis diebus participationem permittimus divinorum; ſic tamen, quod illi propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquentur.

Quibus Martinus V. addidit Feſtum Corporis Chriſti cum octava, apud *Engel.num.*92.

11 Interdictis non prohibetur per *Piaſec. num.*8. ingreſſus in Eccleſiam cauſa orationis, & cum divina non celebrantur officia; ad audiendas etiam in ea conciones; & in ſignum

Sa-

Salutationis Angelicæ, horis ſtatutis recitandæ, Campanæ pulſari poſſunt: ſicut, ut ad conciones conveniant.

Regulares quicumque, tam exempti, quàm non exempti
12 obſervare tenentur interdictum generale locale (cum moderatione tamen decretalis Alma) dum obſervari viderint ab Eccleſia Cathedrali, Matrice, vel Parochiali, per diſpoſita in Clementinia ex *frequentibus de ſent. excom. lib.* 5. *tit.* 10. ubi, non obſervantes, pœna excommunicationis ligantur. Et id procedit, ut notat *Pignatel. tom.* 10. *conſ.* 1. *num.* 15. etiam ſi prætendatur illud eſſe nulliter latum.

13 Nec eximuntur ab obſervantia promulgati per Epiſcopum, ut firmat Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Regul.* ubi: -- Cenſuræ, & interdicta, nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur, & ſerventur. --

Quo decreto, revocari privilegia Regularibus data à quibus haberent poſſe in feſtis Sanctorum ſui Ordinis ſuſpendere
14 interdictum, quacumque authoritate latum, tenet *Donatus Prax. Reg. tom.* 3. *tract.* 12. *quæſt.* 86. Et ad antiqua jura reduci, tradit *Navarro apud Mirandam tom.* 2. *quæſt.* 37. *art.* 12. adeoque ad allegatam Clementinam, Regularibus præcipientem cujuslibet interdicti cuſtodiam.

Ideo Greg. XIII, *Conſt. In tanta Bull. Cherub. tom.* 2. *pag.* 370. ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini reduxit aliam Pii V. *Et ſi Mendicantium. ibid. pag.* 227. *ubi num.* 4. declarat privilegia Regularium non comprehendi ſub dicto *cap.* 12. *trid. de interdicto*; & ad tenorem ipſorum ea ſuſpendit in Feſtivitatibus, & Octavis Sanctorum Ordinum ipſorum.

Verùm, quatenus eo Concilii decreto non revocarentur ſpecifice ea ſolum privilegia, quorum vigore quidam Regulares, ſe prorſus exemptos ab obſervantia interdicti aſſererent, ut probabilius eſt revocari, apud *Mirand. loc. cit.* & tenet *Pignat. num.* 19. ſed quæcumque alia iiſdem elargita. Nec decretum,
15 neve Conſt. Gregorii vim obtinent apud eos, quibus ſpecifice id cum ſufficientibus derogariis eſt indultum. Prout Fratribus Ord. Min. conceſſit Clem. VIII. *apud Roderic. coll. Apoſtol. Privil. pag.* 525. *Bulla* 4. prout ſequitur: -- Sacræ Seraphici B. Franciſci Religionis in Sànctam Romanam Eccleſiam merita poſcunt, ut Privilegia, & indulta, illi per Sedem Apoſtplicam

con-

conceſſa, non modo conſerventur,ſed etiam amplientur. Cum itaque ſicut accepimus diverſorum Romanorum Pontificum conceſſionibus, Religioni præfatæ indultum ſit, ut temporibus interdicti, quacumque, etiam Apoſtolica, authoritate, appoſiti, Feſta Sanctorum ejuſdem Ordinis,Franciſci, nimirum, Bonaventuræ, Antonii de Padua, Ludovici, Bernardini, Claræ,Eliſabeth, ac Martyrum, ſolemni ritu celebrare, perinde,ac ſi interdictum hujuſmodi minimè appoſitum eſſet, liberè poſſint; Feſta verò Sanctorum Didaci, & Portiunculæ in prædicto indulto minimè comprehendantur. Nos Religionem prædictam amplioribus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ac indultorum hujuſmodi, & literarum Apoſtolicarum deſuper expeditarum tenores, præſentibus pro expreſſis habentes ſupplicationibus dictæ Religionis per Dilectum Filium Noſtrum Hieronymum Presbyterum Cardinalem Matthæjum, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, Religioni prædictæ univerſæ, ac cuicumque ipſius Ordinis, ſive Familiæ Conventus, ut in eorum Eccleſiis, feſta etiam prædicti S.Didaci, & Portiunculæ, temporibus interdicti ſolemniter, prout alia feſta prædicta, ac juxta indultorum illi conceſſorum ſeriē, & tenorem, celebrare, liberè,& licitè poſſint, authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus, ac indulta prædicta ad prædictas S.Didaci, & Portiunculæ feſtivitates extendimus, & ampliamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus, Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus, necnon omnibus illis, quæ in præfatis indultis, & literis Apoſtolicis conceſſum eſt non obſtare; cæteriſque contrariis quibuſcumque. Dat.Tuſculi ſub annulo Piſcatoris 17. Octobris 1595.Pontif.noſtri anno 4.

16 A primis Veſperis Feſtivitates incipere, & ad Completorium diei feſti finiri, notavit *Thom.Tambur. lib.*10. *de cenſur. tract.*3. *cap.*1. *de interdicto num.* 8. quia etiam Completorium ad eaſdem feſtivitates ſpectat.

17 In quibus eſt probabile eis qui interdicto locali cauſam non dederint, concedi poſſe Communionem, per ea *cit. cap. Alma ad participationem divinorum idem num.*11.

Præfatum Privilegium cæteris Regularibus propter communu-

18 municationem Privilegiorum, non ſuffragari tenet *Pignatell.*
*loc.cit.num.*32. cum per DD. ſub generali Privilegiorum com-
municatione non veniant ea,quæ rarò,& cum difficultate con-
ceduntur. Rarò autem, & difficulter Regularibus conceditur
poſſe interdicta, etiam ad tempus ſuſpendere, utpote juriſdi-
ctioni Prælatorum data, ut populos ſuæ obedientiæ conti-
neant. Et cum Regularibus *cap. Epiſcoporum de Privileg. in 6.*
lib..5.*tit.*7. eorumdem cuſtodia ſub pœnis, ibi videndis, pręci-
cipiatur; ideo ab illis ad cęteros diſcurri non poteſt, juxta re-
gulam juris, in ſexto, *Quod, quæ à jure exorbitant* (hoc eſt per
Gloſſam verb. *quæ* à jure, deviant, vel diſcordant) *nequaquam*
ad conſequentia ſunt trahenda; unde niſi in ſpecie aliis item con-
cedatur, vel communicetur, in praxi uti nequibunt.

Et quia Clementina *cum ex eo tit.*10.*de ſent.excom.* ſit ſpe-
cificè prohibitum Fratribus præfati Ord.Min. admittere ad di-
vina in ſuis Eccleſiis Fratres, & Sorores de Tertio Ordine,
dum per ipſos januis clauſis præfata officia peraguntur; dubi-
tatur: An modo eis liceat? & reſolvendum videtur affirmati-
vè propter abſolutè, & generaliter diſpoſita in Concilio gene-
rali Lateranenſi ſub Leone Decimo (cujus certè Patres il-
lam legem priorem in pectore habebant) *Conſt.dum intra*, Pri-
vilegiorum Regularium moderatoria *Bull. Cherub. tom.* 1.
*pag.*588. ubi -- Et ne cenſura vileſcat Eccleſiaſtica, & minoris
19 authoritatis interdicti ſententia reputetur, iidem dicti Tertii
Ordinis (ſuperius enumeravit) ad divina audienda in Eccleſiis
ſuorum Ordinum tempore interdicti, nullatenus admittan-
tur, ſi cauſam dederint interdicto, vel cauſam ipſam nutriant,
ſeu foveant, aut dantibus auxilium, conſilium, vel favorem
quoquomodo præſtiterint. -- Hinc à contrario ſenſu infertur:
ſi cauſam interdicto non dederint, vel alio quovis modo cul-
pandi quoad id non ſint, admitti non prohiberi.

20 Ad quod facit etiam indultum à Sixto IV. *Conſt. Regim.*
*Bullar.Cherub. tom.*1.*pag.*408. præfato Ordini factum, & am-
pliatum ad Fratrum, & Monialium Procuratores, ac utriuſque
ſexus negotia gerentes; & cum cæteris eorumdem Fratrum
Privilegiis, prægnantiſſimis derogatoriis appoſitis, etiam, quo
ad diſpoſitiones conciliares, à Paulo IV.*Conſt.Ex Clementis ſe-*
dis, ex certa ſcientia, confirmatum *ibid. pag.*806. Obſervan-

dum

dum tamen cum modificatione à Leone X. præfixa.

Et hæc de interdicto ſint ſatis, cujus rara eſt praxis, & de quo innumeri Auctores tractant.

CAPUT XXI.

Officialis quoad Legata.

SUMMARIUM.

1 *Dubia ſuper Legatis Bonorum Mobilium.*
2 *Super Legatis factis Fabricæ.*
3 *Super Legatis annuis cum onere.*
4 *Super annuis ſine onere.*
5 *Reſpondetur dubiis poſitis numero primo.*
6 *Et illis ſub numero ſecundo.*
7 *Et aliis ſub num.3.*
8 *Et cæteris notatis num.4.*
9 *Sac.Cong.Conc.declarationes.*
10 *Decretum Sacræ Cong. Epiſ.& Regul.*
11 *Valent Legata pro Oleo Lampadis &c.*
12 *Et pro neceſſitatibus Infirmorum.*
13 *Fratres Minores repetere in judicio Legata non poſſunt.*
14 *Legata non debent reduci.*
15 *Fratres per modum eleemoſynæ poſſunt recipere Legata.*
16 *Quo caſu præſtationes Legatorum Fabricæ Sancti Petri debeantur!*
17 *Nec per Syndicum poſſunt in judicio repeti.*
18 *Quis ſit vivere cum omnimoda ſpe in divina Providentia.*
19 *Hæredes non ſolventes peccant mortaliter.*
20 *Bona hæreditaria tranſeunt cum onere.*
21 *Quilibet de populo, & Syndicus poteſt inſtare pro adimplemento voluntatis teſtatoris.*

VT in dubiis, quæ impoſterum, quo ad Legata Fratribus Minorum de Obſervantia, & Reformatione relicta, potuiſſent oriri, prompta eſſent remedia, & Sanctæ Sedis declarationes non deeſſent, ipſa ſatis providit. Et Ego huc, ex *Fagn. cap. nimis prava de exceſs. Prælat. pag. mihi* 24. transfero, quas Sac. Congreg. à fel. rec. Urbano VIII. Fratrum Minorum de Obſervantia Conſultationibus prępoſita, edidit, &

1 *Diſtinctio prima de Legatis Bonorum mobilium.*

Articulus Primus. An Fratres Minores, tam de Familia, quam Reformati, ſint capaces Legatorum Bonorum Mobilium, quæ unica ſolutione, ſeu præſtatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quam in aliis ſpeciebus?

Art. 2. An poſſint eadem legata in judicio, aut extra exigere per ſe ipſos, vel Syndicum Apoſtolicum?

Art. 3. An Fabricæ S. Petri liceat in hujuſmodi Legatis ſe ingerere infra annum, ex quo dies legati ceſſit?

Art. 4. Et quid elapſo anno?

2 *Diſtinctio ſecunda de legatis factis Fabricæ.*

Articulus primus. An valeat Legatum annui redditus factum Fabricę, Sacriſtię, vel Eccleſię Fratrum Minorum, tam de Familia, quam ex Reformatione?

Art. 2. An liceat Fratribus hujuſmodi legata in judicio exigere per eorum Procuratores, vel Syndicos Apoſtolicos?

Art. 3. An liceat eiſdem erogare prædicta legata in uſus Fratrum? an verò illa omninò converti debeant in uſus à Teſtatoribus præſcriptos?

Art. 4. An Fabricæ Sancti Petri liceat infra annum ſe ingere in proprietate horum Legatorum pro Fabrica, vel Sacriſtia tranſigendo cum hæredibus, aut alias de eadem proprietate diſponendo?

Art. 5. Et quid tranſacto anno?

Art. 6. An liceat eidem Fabricę Sancti Petri ſe immiſcere pręſtationibus, ſeu fructibus eorundem Legatorum ab anno decurſis, & non ſolutis?

Art. 7.

Art.7. Et quid infra annum, ex quo ceſſit dies prçſtationis?

3 *Diſtinctio tertia de legatis annuis cum onere.*

Articulus primus. An Fratres Minores, tam de Familia, quam Reformati, ſint capaces Legatorum annuorum, quç fiũt adjecto onere celebrationis Miſſarum?

Art.2. An iidem poſſint pro his Legatis in judicio experiri agendo, aut Judicis officium implorando?

Art.3. An poſſint Fratres illa accipere à ſponte offerentibus celebrando Miſſas ad rationem rei acceptæ?

Art.4. An poſſint illa ſponte oblata accipere per ſe ipſos; An vero per Syndicum Apoſtolicum?

Art.5. An Fratres poſſint hujuſmodi legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere, & pretium erogare in uſum Fabricç, vel Sacriſtiç?

Art.6. An liceat Fabricç Sancti Petri proprietatem eorundem Legatorum cum onere Miſſarum ſibi vendicare, tam elapſo anno, quam antea?

Art.7. An eidem Fabricç liceat ſibi vendicare annuas prçſtationes decurſas, & non ſolutas, tam antea annum, quam poſt?

4 *Diſtinctio quarta de legatis annuis ſine onere.*

Articulus primus. An Fratres Minores, tam Obſervantes, quam Reformati, ſint capaces Legatorum annuorum ſine aliquo onere, aut modo adjecto, ſaltem ad effectum illa extinguendi, & pretium erogandi in uſus Fabricç, vel Sacriſtiç?

Art.2. An ad hunc effectum poſſint eandem proprietatem in judicio petere per Syndicum Apoſtolicum?

Art.3. An poſſint illam convertere in uſus Fratrum?

Art.4. Et quid, ſi cæperint illorum annuas præſtationes accipere?

Art.5. An poſſint Fratres exigere judicialiter annuas præſtationes eorumdem Legatorum in vim Martinianæ?

Art.6. Et quid poſt ultimum Dec. S.Congreg., hac de re editum?

Art.7. An Fratres teneantur proteſtari ſe eſſe incapaces eorundem Legatorum?

Art.8. An poſſint illas à ſponte dantibus accipere per ſe ipſos, vel per Syndicos Apoſtolicos?

Art.9. An hęredes teneantur illorum præſtationes Fratribus ſolvere in foro conſcientiæ?

Art. An Fabrica Sancti Petri jus habeat ſibi vendicandi horum Legatorum proprietatem, tam elapſo anno, quam antea?

Art.11. Et quid de annuis præſtationibus decurſis, & non ſolutis?

Art. ult. An hæc omnia procedant, etiam in Legatis annuis ad modicum tempus?

Die 9. Septembris 1628. Sacra Congregatio Negociis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia à Sanctiſs. Domino Noſtro præpoſita ad ſingulos articulos ſuperius propoſitos ad hunc modum reſpondit, videlicet.

Diſtinctione prima.

5 Ad primum Articulum. Fratres Minores, tam de Familia, quam Reformatos, eſſe capaces Legatorum bonorum mobilium, quæ unica ſolutione, ſeù præſtatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quam in aliis ſpeciebus, dummodo tamen hujuſmodi legata ſint in quantitate moderata, & non in fraudem paupertatis.

Ad ſecundum. Fratres quidem nec per ſe ipſos, nec per interpoſitam perſonam poſſe eadem legata in judicio exigere; ſed Syndicum Sedis Apoſtolicæ tantùm Judicis officium implorare, dummodo ſimilitèr illa in moderata ſint quantitate, & ſine ulla fraude paupertatis, & re ipſa erogentur in Fratrum neceſſitates. Extra judicium verò ità demùm legata hujuſmodi accipi poſſe à Fratribus per ſe ipſos, ſi in aliis ſpeciebus conſiſtant, & accipiantur in ea tantùm quantitate, quàm vera, & imminens eorum neceſſitas poſtulet; ſed ſuperfluam, aut pecunias à Syndico tantum poſſe accipi, dum tamen id omne in Fratrum neceſſitates convertatur.

Ad tertium. Non licere Fabricæ Sancti Petri in hujuſmodi legatis bonorum mobilium ſe ingerere infrà annum, ex quo dies legati ceſſit.

Ad

Ad quartum. Elapſo anno licere ad præſcriptum ſuarum facultatum.

Diſtinctione ſecunda.

6 Ad primum Articulum. Valere legatum annui redditus factum Sacriſtiæ, vel fabricæ Eccleſiæ, vel Conventus Fratrum Minorum, tam de Familia, quam de Reformatione, niſi adſit exceſſus in quantitate.

Ad ſecundum. Nec per ſe ipſos, nec per alios, licere Fratribus in judicio exigere hujuſmodi legata, ſed Syndico Apoſtolico dumtaxat.

Ad tertium. Non licere eiſdem annui redditus legata erogare in uſus Fratrum, ſed illa omnino converti debere in uſus à Teſtatoribus præſcriptos.

Ad quartum. Fabricæ Sancti Petri non licere infrà annum ſe ingerere in proprietate horum legatorum cum Hæredibus tranſigendo, aut aliàs diſponendo de eadem proprietate.

Ad quintum. Itidem non licere.

Ad ſextum, & ſeptimum, poſſe Fabricam Sancti Petri ſe immiſcere in præſtationibus, ſeu fructibus eorundem Legatorum ab anno decurſis, & non ſolutis; Non autem infrà annum, ex quo dies præſtationis ceſſit.

Diſtinctione Tertia.

7 Ad primum Art. Fratres Minores, tam de Familia, quam ex Reformatione, nullatenus eſſe capaces legatorum annuorum, quæ fiunt adiecto onere celebrationis Miſſarum.

Intellige de Legatis annuis cum tali onere, quorum jus maneret apud Fratres, & eſſent ipſis Fratribus directè relicta; Hæc enim nec momento retinere poſſunt. Veſpign. Compend. privileg. R. Fab. pag. mihi 71. in margine; ſecus eſt de legatis, quorum proprietas manet apud hæredes, & ſunt per iſtos adimplenda, & à Fratribus non per modum annui redditus, ſed titulo Eleemoſynæ recipienda, quod eorum paupertati non repugnat; ſicut non repugnat quotidiana receptio ſtipendiorum, quæ ipſis ſolvuntur dietim pro ſacrificiis, & officiis, quæ celebrant: ea ratione, quod ea, non re-

cipiant vigore civilis obligationis, Rota in Turritana Legatorum, & Roderico qq. regul. tom. 2. qu. 126. art. 4.

Ad ſecundum. Non poſſe pro his legatis in judicio experiri, aut Judicis officium implorare.

Ad tertium. Poſſe Fratres illa accipere per modum eleemoſynæ à ſpontè offerentibus, celebrando Miſſas ad Rationem rei acceptæ, citrà tamen ullam obligationem ad onus perpetuum, & dummodo priùs proteſtentur ſe illorum capaces non eſſe.

Ad quartum. Syndicum Apoſtolicum, & pro Fratrum neceſſitatibus, non autem Fratres ipſos, etiam per alios, poſſe hujuſmodi legata, utcumque ſponte oblata, accipere, ſi in pecunia conſiſtant.

Ad quintum. Non poſſe Fratres hujuſmodi legata extinguere, aut illorum proprietatem vendere, & pretium erogare in uſus fabricœ, vel Sacriſtiæ.

Ad ſextum. Licere Fabricæ Sancti Petri ad ſuarum facultatum preſcriptum ſibi vendicare eorumdem legatorum proprietatem cum onere Miſſarum celebrandarum, tam elapſo anno, quam antea.

Ad ſeptimum. Similiter licere.

Diſtinctione Quarta.

8 Ad primum Art. Fratres Minores, tam Obſervantes, quam Reformatos, non eſſe capaces legatorum annuorum, quæ fiunt ſine aliquo onere, aut modo adiecto, niſi ad effectum illa extinguendi, ſeù illorum proprietatem, & pretium convertendi in uſus Fabricæ, vel Sacriſtiæ.

Ad ſecundum. Non Fratres ipſos, ſed Syndicum Apoſtolicum tantùm, poſſe eandem proprietatem in judicio petere.

Ad ſecundum. Poſſe convertere.

Ad quartum. Si Fratres cœperint illorum annuas præſtationes accipere, ne hinc fiat fraus Paupertati, expediſe, ut de cętero decernatur, eo caſu non licere amplius Fratribus eandem proprietatem vendere, ac pretium in uſus Fabricę, vel Sacriſtiæ erogare: Ideoque agendum cum Sanctiſſimo D. Noſtro.

Ad

Ad quintum, & ſextum. Fratres nullo modo poſſe in judicio exigere annuas eorumdem legatorum præſtationes.

Ad ſeptimum. Teneri.

Ad octavum. Poſſe illa per modum eleemoſinę, & à ſpontè dantibus accipere, etiam perſe ipſos, ſi in aliis ſpeciebus conſiſtant: quod ſi in pecunia, non niſi per Syndicum Apoſtolicum.

Ad nonum. Non teneri.

Ad decimum. Fabricam Sancti Petri nullum Jus habere vendicandi horum legatorum proprietatem, niſi elapſo anno, juxtà ſuas facultates.

Ad undecimum. Similiter non habere jus vendicandi hujuſmodi annuas præſtationes, niſi ab anno decurſas.

Ad Ultimum. Hæc omnia locum non habere in legatis infrà decennium; ſed in his tantùm, quæ fiunt ad decem annos, & ultra.

9 Quibus acceſſere declarationes alię, Sacrę Congregationis Concilii apud *Fag. cap. Nulli, de rebus Eccleſ. non alien. pag. mihi* 278. *num.* 28. --- quæ cenſuit valere legatum immobilium Fratibus Minoribus ſub modo licito, nempè ut vendant, & pretium convertant in uſum fabricæ, vel Sacriſtiæ: & idem ſi factum fuit ſimpliciter, quia ſub modo licito factum intelligitur. -- Idem ſub die 11. *Auguſti* 1629. in una Romana *lib.* 12. *decret. fol.* 138. del legato facto in pecunia ad effectum convertendi in neceſſitates Eccleſiæ, & Conventus. Et in terminis donationis annuæ præſtationis, ſeù ſolutionis perpetuæ pro emendo pane albo in beneficium, & ſervitium infirmariæ Conventus de Aracęli per modum eleemoſinæ recipiendæ ſub die 2. *Junii* 1663. apud *Lant. Teat. Reg. verbo legat. num.* 5. & ex errore 1.

10 Et Sac. Cong. Epiſc. & Reg. quæ ad favorem Min. de Obſer. Civitatis Lucanæ ſub die 26. *Martii* 1677., ut in Regeſto ejuſdem, Decretum edidit hujus tenoris. Sacra Cong. &c. -- Sæpiùs declaravit Fratres Min. de Obſer. S. Franciſci, quamvis attenta diſpoſitione Exivi de Paradiſo, & Conſtitutione Nicolai III., & Clementis V. ſint incapaces obtinendi cenſus perpetuos, & bona ſtabilia, poſſe tamen per viam puræ, & ſimplicis eleemoſynæ recipere, quidquid ab Executoribus ultimarum voluntatum eis traditur pro celebratione Miſ-

ſarum,

ſarum, pro ornamento Eccleſiæ, aliiſque neceſſariis procurandis juxtà doctrinam Divi Bonaventuræ relatam in Conſti: S. Mem. Urbani VIII. incipiente Sacroſantum Apoſtolatus Miniſterium; atque in præfatis caſibus dictos Executores ultimarum voluntatum curare debere, ut hujuſmodi piæ diſpoſitiones adimpleantur, ne Teſtatorum Animæ debitis ſuffragiis defraudatæ remaneant; quam quidem declarationem, illiuſque tenorem in caſu, de quo agitur eadem Sac. Cong. ſervari præcipit, committendo Ordinario Lucenſi pro tempore exiſtenti, ut quatenus alius Executor non exiſtat prænarratam piis Teſtatoris diſpoſitionem executioni demandet.

Decretum aliud huic ſimile editum in cit. Turritana Legatorum die 3. *Auguſti* 1674. confirmavit Clemens X. ſub die 22. ejuſdem Menſis, & Anni, *Conſtitutione Nuper pro parte Dilecti filii Syndici*: Tipis data Matriti in fine Statutorum Victorien. 1694.

11 Suſtineri autem, & valere legata ſine onere pro vino, frumento, cera, & paramentis pro celebratione Miſſarum, & oleo lampadis, quæ in eorum Eccleſiis, die, ac nocte ardere debeat: Tenet *Roderico qq. Regul. tom.* 2. *par.* 126. *art.* 2. Cum nec Fratrum Mendicitati adverſentur, neve ex ipſis aliquod emolumentum, & commodum percipiant, per quod ponantur in ſtatu, ut liberentur ab onere recurrendi ad Menſam Domini, petendo eleemoſinam oſtiatim, ut iiſdem S. Franciſcus iniungit: aut ſint certi de quotidiano victu, & veſtitu; quia principalitèr, & directè non ſunt facta Fratribus, ſed relicta pro uſu certo cultus divini, præter quem in alios, à præſcriptis à Teſtatoribus, non poſſunt uſus converti; & tenuit *Rota coram Emerix in cit. Turritana Legatorum*.

12 Quæ ex eodem *art.* 4. §. *ult.* probant de legatis pro neceſſitatibus Infirmorum relictis; ad quæ tamen nullum jus habent, ad ea repetenda in judicio; ſed citrà violationem Seraphicæ Paupertatis poſſunt annuatim per modum eleemoſynæ recipere. *Eadem ibidem*.

13 Quod verò omni jure careant ad repetenda in judicio legata in eorumdem favorem facta cum onere Miſſarum, ſeù officiorum, ſivè gratis, ſive alio modo, ſub die 14. *Feb.* 1633. de expreſſo ordine, & mandato S. M. Urbani VIII. S. Cong. Fabricæ S. Petri decrevit *apud Fagnan. loco citato poſt num.* 61.

&

& Lant. in Theatr. Reg. verbo Bona Temp. num. 5. & ex iiſdem breviter hic reſtringo; per quæ certè revocatur Conſt. Clemen. VII. *Nuper pro parte Lantuſca verb. legata num.* 3.

14 -- Primo. Quod hujuſmodi legata per debitores, vel hęredes non extinguantur, vel reducantur per compoſitionem cum Miniſtris Fabricæ faciendam, vel alio quovis modo. --

Secundo. Quod capitale ſemper conſervetur.

15 --- Tertio. Quod hæredes, vel debitores poſſint liberè, ſi velint dictis Fratribus dare annua legata, per eoſdem Fratres recipienda in eleemoſynam, non autem per eos exigenda. --

-- Quarto. Quod quęvis extinctio, reductio, ſeu diminutio capitalis, ſeù proprietatis, aliter abſque ſpeciali Romani Pontificis permiſſione, facta, eo ipſo nulla ſit.

-- Quinto. Quod nolentibus dictis hęredibus, vel debitoribus dare ſupradictis Fratribus dictas eleemoſynas, ſeù
16 annuas præſtationes ſolvere, & illas non ſolventibus, elapſis duobus annis, à die maturatæ ſolutionis, eadem Fabrica, & illius Miniſtri id totum, quod ſolutum non fuerat pro præterito, poſſit, & valeat exigere ad ſui beneficium juxta ſua privilegia. Idem ſtatuit ſub 1646. apud *Veſpign. cit.*

17 -- Sexto. Prohibuit Faatribus ſupradictis ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ne audeant, ſeù pręſumant per ſe, nec per alios, Syndicos, Miniſtros, ſeù Procuratores, tam Seculares, quam Regulares dictas annuas pręſtationes, ſeù legata, nec judicialiter, tam coram quocunque Judice Eccleſiaſtico, quam Seculari, Ordinario, vel Delegato, nec alias, niſi juxta formam decreti Cong. Fratrum Minor. de Obſervantia S. Franciſci Ciſmont. fam. à Sanctiſſimo D. N. deputata, ab hæredibus, ſeù quibuſvis aliis eorum debitoribus petere; minusvè dictis hæredibus, ſeù debitoribus facere aliquas receputas pro dictis annuis præſtationibus, niſi pro rata, & pecunia, ſeù eleemoſynis verè, realiter, & cum effectu ipſis Fratribus data, vel ſolutis; nec ſub alia data, niſi ſub ea, qua verè fuerit iiſdem Patribus, aut aliis, pro eis facta realis ſatisfactio. --

18 Quo modo Fratres dicuntur vivere cum omnimoda ſpe in Divina Providentia: recipiendo namque, non ex aliquo

jure,ſed eleemoſynaliter, tamquam incerti de conſecutione, conſervant puritatem Regulæ, & ſignificant ſe nullum ſuper legatis habere directum, aut indirectum jus,dominium, poſſeſſionem, aut proprietatem; & ut notat *Marchant. in Reg. S. Franciſci Relec. Theolog. difficul.* 3. *qu.* 1. quælibet actio juris, & Juſtitiæ, quæ in his legatis intervenire poteſt, conſumitur inter Teſtatorem, hæredes, Executores, Judices, ementes, vendentes &c. ad quam Fratres nec directè, nevè indirectè concurrunt.

19 Et licet, per ipſum, ipſi hæredes, vel executores, ſi diſpoſitioni Teſtatoris non ſatisfacerent, grave contra Juſtitiam peccatum committerent, & ad reſtitutionem tenerentur, reſpectu Teſtatoris, Eccleſiæ, vel Dei; reſpectu Fratrum, in quorum utilitatem relicta ſunt, ſolum interveniret ratio meræ Charitatis, & eleemoſynæ,abſque obligatione civili ex parte Fratrem proveniente, aut ex jure, quod ipſimet Religioſi acquiſiviſſent ſive ad rem, ſive in re, quaſi ea poſſent actione civili repetere.

20 Et quamquam ipſi Fratres judicialiter agere non poſſint contra hæredes defuncti pro adimplemento legatorum, ab iſto præfati non liberantur, ſed ſemper in eis perſeverat obligatio conſcientiæ, & fidelitatis, ratione cujus exequi tenentur teſtamentarias diſpoſitiones; cum enim ad hæredes tranſeant bona hæreditaria cum onere præfixo, nequeunt commodum hæreditatis accipere, onere annexo relicto. Quæ obligatio operatur; ut Civitas, vel Epiſcopus, aliumve Judex imploratus, vel ex officio, poſſit hæredes cogere, ut conſcientiæ ſatisfaciant, & Teſtatorum mandata exequantur, ut piæ defunctorum diſpoſitiones ſuum effectuum obtineant.

21 Imo quilibet de populo, & potiori jure Syndicus Apoſtolicus, nomine Romanæ Eccleſiæ, pro eo inſtare poteſt, ut in eadem *Turritana tenuit Rota*.

CAPUT XXII.

Officialis quoad litteras Sac. Pœnitentiariæ.

SUMMARIUM.

1 *Formula, qua diriguntur litteræ Sac. Pœnit.*
2 *Confeſſarius debet aſſe approbatus ab Ordinario.*
3 *Pro viris tantum approbatus aperire non poteſt litteras conceſſas mulieribus.*
4 *Magiſter in Theologia, quis?*
5 *Eluduntur Licentiati, & alii.*
6 *Gradus Magiſterii non requiritur in Patribus Societatis.*
7 *Lectores Jubilati Ordinis Minorum poſſunt litteras exequi.*
8 *Conſtitutio Innoc. XI. id concedentis.*
9 *Quibus ex eis prohibeatur?*
10 *Poſſunt etiam ſimplices Sacerdotes approbati ab Ordinario.*

SOlet Tribunal Sac. Pœnitentiariæ Diplomata, ſeu litteras, in forma Brevis pœnitentibus abſentibus, juxta eorum indigentiam, & preces, concedere, præſertim cum ad Urbem perſonaliter nequeunt accedere.

1 Quas ſæpè ſequenti formula dirigit; --- diſcreto Confeſſario, Magiſtro in Theologia, vel decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario per Latorem præſentium ad infraſcripta ſpecialiter eligendo. --

Poſteriora verba, *per Latorem eligendo* ſignificant Majorem Pœnitentiarium relinquere in libertate Oratoris electionem Confeſſoris; dummodo ab eodem electus, quicumque ſit, habeat conditiones præſcriptas.

2 *Ex approbatis ab Ordinario* debet eſſe, & ad audiendas Secularium Confeſſiones admiſſus; At non à quocumque Ordinario; nec eſt neceſſe, quod ſit ab illo pœnitentis, ſed ab eo certè, in cujus territorio eſt executurus diploma ſibi præſentatum.

Admiſſus limitatè, aut ratione juvenilis ætatis, & non

propter defectum virtutis, ad audiendas dumtaxat virorum,
3 & non mulierum confeſſiones, non poteſt litteras in forma Brevis Sac. Pœnitentiariæ ad favorem mulierum expeditas, exequi; Ratio è, quia, quo ad mulieres, non eſt ab Ordinario approbatus, & Major Pœnitentiarius, ut notat *Donat. prax. Regul. tom. 3. tract. 4. quæſt. 42. num. 2.* non intendit per ipſas litteras habilitare magis, & approbare, quam habilitatus, & approbatus ſit ab Ordinario, & ſic prædictæ litteræ non cenſentur tali confeſſario directæ.

4 Cum autem litteræ dirigantur *Magiſtro in Theologia, vel decretorum Doctori*, eſt obſervandum Majorem Pœnitentiarium non nominare Theologum, ſed Magiſtrum in Theologia, non Canoniſtam, ſed Doctorem in jure Canonico; conſequenter ex tenore litterarum ſequitur, eos ſolum poſſe præfatas litteras exequi, qui ad Magiſterii, & Doctoratus dignitatem ſunt evecti.

5 Propterea excluduntur, qui ex communi errore reputantur Magiſtri in Theologia, vel decretorum Doctores, & in re non ſunt tales: Licentiati pariter, Præſentati, & Baccalaurei, quia ex *Lezana Sum. quæſt. Regul. tom. 4. verbo litt. Apoſtolicæ num. 14.* non ſunt veri Doctores, & Magiſtri; licet aliàs Viri doctiſſimi ſint; & Religioſi illi, apud Marcum Paulum Leonis *Prax. ad litt. Majoris Pœniten. par. 1. cap. 3. num. 50.* qui appellantur Magiſtri, & ſecundum ſuarum Religionum inſtituta, quibuſdam Magiſtrorum privilegiis fruuntur, niſi in aliqua Accademia ad Magiſterii gradum fuerint promoti: vel ejuſdem lauream in aliquo ſui Ordinis Collegio, vel ab alio, habente ad id à Sancta Sede facultatem, ſuſceperint, *Lez. loco citato*.

6 Limitatur in Patribus Soc. Jeſu, qui ex conceſſione Greg. XIII. Conſtitut. Exponi nobis *Bullar. Cherub. tom. 2. pag. 456.* poſſunt hujuſmodi litteras aperire, & exequi; licet ad nullum Magiſterii, vel Doctoratus gradum ſint promoti; dummodo ſint ab Ordinario loci approbati, & ad id à Præpoſito Generali, vel de ipſius licentia, per alium ejuſdem Societatis Superiorem, deſignati; Quod, loco adducto tenet Lezana, hujuſmodi privilegium ab aliis Regularibus non participari.

7 Ejuſdem Sacræ Pœnitentiariæ litteras aperiendi, & executio-

cutioni mandandi indultum à San. Mem. Innocentio XI., obtinuerunt Lectores Jubilati Ordinis Minorum de Obſerv., pro ut ſequitur.

8 -- Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Celſus Maria Bilò de Senis, Commiſſarius Generalis Curiæ Ordinis Fratrum Sancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum, quod dudum, ſtatim atque dictus Ordo ab ord. Fratrum Minorum ejuſdem Sancti Franciſci, Conventualium nuncupatorum, Auctoritate Apoſtolia ſeparatus fuit, Fratres Minorum de Obſervantia hujuſmodi, ut quidquid mundani faſtus, atque ambitionis incentivum inducere poſſet, a ſe procul amoverent, ad gradus Doctoratus Artium, & Magiſterii in Sacra Theologia promoveri, & Doctores, ac Magiſtri vocari deſierunt; Nihilò tamen minus ejuſdem ſcientiarum ſtudiis operam dederunt; ſed qui in illis tantùm progreſſi erant, ut alios docere poſſent, ſolo contenti fuerunt, & adhuc ſunt, nomine, & titulo Lectorum actualium, & habitualium, qui etiam, poſt peractam juxta Apoſtolicas, & Ordinis ſui Conſtitutiones, ſaltem triennio Philoſophię, & decennio Sacrę Theologię Lecturam, Lectores Jubilati fuerunt, & vocantur...

Cum autem ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, licet hujuſmodi Lectores Jubilati, quo ad rem ipſam, nempe litterarum ſcientiam à Magiſtris in Sacra Theologia, & Doctoribus Artium differre non videantur; quia tamen inter eos eſt nominum, titulorumque diverſitas, nonnulli prętendant, ac etiam per ſententias judicialiter definiant, illos, Doctoribus, & Magiſtris, hujuſmodi in ordine ad aperiendas, & executioni mandandas litteras, per officium Pœnitentiariæ Apoſtolicæ expeditas, quæ ejuſmodi Doctoribus, ſeù Magiſtris, ſuper abſolutione, diſpenſatione, votorumque, ſeu aliorum obligatione, commutatione dirigi ſolent, ac quo ad alias prærogativas, pares non eſſe.

Nobis propterea dictus Celſus Maria humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere, & ut infrà indulgere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, Ordinis primò dicti, decori, & honorificentiæ, quantùm cum Domino poſſumus, benignè conſulere, ipſumque Celſum Mariam ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpen-

ſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus, quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis memorati Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Lectoribus Jubilatis præſentibus, & futuris, ut quaſcumque literas per officium Pœnitentiariæ Apoſtolicæ hujuſmodi, pro tempore expeditas, quæ Doctoribus Artium, ſeù Magiſtris in Sacra Theologia directæ fuerint, recipere, aperire, & juxtà illarum formam, & tenorem executioni mandare, nec non quo ad alias functiones Eccleſiaſticas, & literarias quaslibet, omnibus, & ſingulis prærogativis, præeminentiis, privilegiis, gratiis, & Indultis, quibus Fratres expreſsè profeſſi aliorum Ordinum Doctores Artium, & in Sacra Theologia Magiſtri, tam de jure, uſu, & conſuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt in futurum, pari modo uti, frui, & gaudere liberè, licitè, & validè poſſint, & valeant Authoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & Indulgemus.

Cæterum non intendimus per præſentes literas, privilegia, exemptiones, prærogativas, gratias, & Indulta, quæ præfatis Lectoribus Jubilatis per Apoſtolicas, & Ordinis primo dicti Conſtitutiones, conceſſa ſunt, ullo modo augere, vel minuere, ſed illa in ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperiuntur; remanere volumus.

Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 27. Novembris 1679. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

I. G. Slutius.

Regeſt. 24. Curiæ Ciſmontanæ ab anno 1679. uſque ad 1682. pag. 137.

Ex tenore Conſtitutionis liquet eos ſolum Lectores Jubilatos aperiendi, & præfatas literas exequendi, privilegio

gau-

9 gaudere, qui decem annis Theologiam (vel pluribus juxta tempus interpollationis) & ſaltem tribus philoſophiam legerit, laureamque Jubilationis obtinuerit; Propterea cuilibet alteri eſt prohibitum; quamquam vel Lector Jub. nominetur, vel ab aliquo ejuſdem Ordinis Superiore lauream Jubilationis obtineat. Laureatus enim, & non juxta ſtatutorum Generalium præſcripta, & contra Urbani VIII. Conſtitut. *Cum ſicut accepimus* 2. *Martii* 1638. nulliter Jubilatus cenſetur *Sant. in ſtat. Sancti Franciſci cap.* 5. *ſtatut.* 12. *pag.* 450.

Cum verò ſub iſtis terminis expediuntur: *Diſcreto Viro Confeſſori ex approbatis ab Ordinario per Latorem eligendo*. Po-
10 teſt quiſque Sacerdos ab Ordinario approbatus eas, & aperire, & exequi. In quolibet tamen eſt neceſſaria diſcretio, hoc eſt, diſtincta eorum cognitio, quæ in literis continentur, ut optimi Confeſſarii partes adimpleat, & pœnitentis ſibi commiſſi ſpirituali ſaluti provideat; quod exequi certè nequit, niſi unius ab alio differentiam agnoſcat: quod verbum diſcerno, à quo illud addiectivum *diſcreto*, derivatur, in ſe includit, *Leonis loco cit. num.* 73.

C A P U T XXIII.

Officialis quoad Ordines Sacros.

S V M M A R I V M.

1 *Regulares examinantur ab Ordinariis.*
2 *Ætas præfixa pro Ordinibus Sacris.*
3 *Plures non examinantur, & quando?*
4 *Dimiſſorias propriis Subditis concedunt Regulares. Vide numer.* 27.
5 *Decretum ſuper obſervandis, à Superioribus in conceſſione Dimiſſoriarum.*
6 *Ordinari debent ab Epiſcopo Monaſterii, in quo ſunt de familia.*
7 *Pœnæ contra Tranſgreſſores.*
8 *Privilegia revocantur.*
9 *Revocatur diſpoſitio Pii Quinti.*

10 *Epi-*

10 *Epiſcopi non exercent Pontificalia in aliena Diœceſi*.
11 *Superiores, in quo reprehendendi?*
12 *Quare mortaliter peccent?*
13 *Epiſcopus diſpenſat ſuper interſtitia*.
14 *Eodem die duo Sacri Ordines non conferuntur*.
15 *Determinatur tempus recipiendi Sacros Ordines*.
16 *Quibus fuerit conceſſum poſſe extra tempora ad ordines promoveri*.
17 *Patribus Minorum de Obſervantia limitatè conceditur*.
18 *An aliis ea privilegia ſint communia?*
19 *Quæ raro conceduntur non veniunt ſub Generali communicatione*.
20 *Quid operetur Clauſula* ex certa ſcientia.
21 *Clauſulæ appoſitæ in confirmatione Privilegiorum Fratrum Minorum de Obſervantia*.
22 *Reſolutio negativa*.
23 *Ordinatus extra tempora recipit characterem*.
24 *Incurrit ſuſpenſionem ex Conſt. Pii II.*
25 *Si ſuſpenſione durante celebret fit irregularis*.
26 *Dimiſſoriæ morte concedentis non expirant*.
27 *Non ſemper Regulares poſſunt ordinari ad titulum paupertatis.*

1 COmpetit Epiſcopis jus examinandi, etiam Regulares, circa ſcientiam neceſſariam in promovendis ad Ordines, ad formam Conciliaris diſpoſitionis Tridentini, *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. *de ref.* ubi: -- nullus impoſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus, ante vige-
2 ſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum, promoveatur; & infra: Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur: privilegiis quibuſcumque, quoad hoc penitus excluſis. --

Plures tamen ex affectu in Religioſas familias id remit-
3 tunt conſcientiæ Superiorum atteſtantium in literis dimiſſorialibus de idoneitate, & Religioſorum ſufficientia, ut obſervat *Miranda Manul. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 39. *art.* 4. quorum teſtimonio abſque offenſæ timore ſe confirmare poſſe, tradit *Gobat. Experientiæ Theol. tract.* 8. *caſu* 11. *ſect.* 1. *n.*424.
pag.

pag. mihi 597. niſi manifeſtè appareat ordinandi ignorantia.,
apud Thomam *Tambur. lib. 7. de Ordine cap. 9. num. 2. pag.*
mihi 84. & experientia doceat ſibi ex uno, vel altero Monaſte-
rio, inhabiles præſentari.

4 Dimiſſorias propriis ſubditis concedunt Superiores Re-
gularium: ſuper quo tamen eorum limitatur poteſtas ad eas
concedendas: ſervatis nimirum modo, & forma à S. C. C.
præſcriptis, pro ut ſequitur..

5 -- De mandato Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Di-
vina providentia Papæ VIII., tenore præſentium, mandatur
omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium Superiori-
bus, ut de cætero obſervent, & obſervari faciant ea, quæ in
Decreto Sac. Cong. Conc. Trid. continentur, cujus tenor eſt
talis. --

-- Cong. Conc. cenſuit Superiores Regulares poſſe ſuo
ſubdito, itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis,
ordines ſuſcipere voluerit, literas dimiſſorias concedere, ad
6 Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempè illius Monaſterii, in
cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis poſitus
fuerit: & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordi-
nationes, ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab
eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur, quoad do-
ctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria
conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus
Diœceſanus, vel abſuturus, vel nullas habiturus eſſet ordina-
tiones, vel Sedes Epiſcopalis vacaret. Verum, cum à Supe-
rioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordi-
nationes non habente, literæ dimiſſoriæ dabuntur, in eis, uti-
que hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Or-
dinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe.
Quod ſi Regulares ordinandi morentur in Monaſterio nullius
Diœceſis, hujuſmodi dimiſſorias concedendas eſſe ad Epiſco-
pum viciniorem, in eoque procedere omnia, quæ de Epiſcopo
Diœceſano ſuperiùs præſcripta ſunt. Quod qui non fecerint,
officii, & dignitatis, ſeù adminiſtrationis, ac vocis activæ, &
7 paſſivæ privationis, ac alias arbitrio S. D. N. Papæ reſervatas,
pœnas incurrent.. In quorum &c. Dat. Romæ die 15. Martii
Anno 1596. --

Apud Piaſecum *prax. Epiſc. parte prima cap. primo art.* 2.
n. 24.

n. 24., & ſimilis tenoris Decretum edidit *S.C. Epiſ. & Regul. ſub die* 11. *Junii* 1638. *pag*. 206. *à tergo*, *Oſservanti*. *Floſc. Nicol. verb. Regulares num*. 35.

Quibus, & per expreſsè diſpoſita in *Conc. Trid. ſeſs. cit. cap*. 8., -- unuſquiſque autem à proprio Epiſcopo ordinetur,
8 quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus, permittatur; -- derogari privilegiis à *Clemente IV. Conſt.Virtute conſpicuos Bullar. Cherub: tom. primo pag*. 162. Ordini Minorum, vel aliis, à Sancta Sede conceſſis, ut poſſint Fratres à quolibet Catholico Antiſtite Ordines ſuſcipere, tradit *Lezzana Summ. qq. Regul. tomo primo cap*. 14. *n*. 12., & *Miranda q*. 38. *art*. 2.

Et non ſubſiſtere eſt certum, quæ habet *Pius V. Conſtit. Et ſi Mendicantium Bullar. Cherub. tomo* 2. *pag*. 227., ubi *n*.7.,
9 ſic loquitur; *ſeſſione verò* 23. *cap*.8. -- neminem niſi à proprio Epiſcopo ordinari poſſe ſtatuens, in Regularibus locum non habere, omnino declaramus, ita quod Fratres hujuſmodi præfatos, etiam Sacros Ordines à quolibet Antiſtite, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, Ordinarii loci minimè requiſita licentia, in locis, ſeù Domibus Fratrum hujuſmodi, aut alibi, recipere poſſint. -- Cum Gregor.XIII. *Conſt. In tanta ibidem pag*. 370. *Conſt. Pii* reduxerit ad terminos *Concilii Trid*. ſic, ut amplius, *per D.D.*, non ſubſiſtat in iis, ab eodem ſtatutis, vel declaratis, quæ Concilii adverſentur Decretis, quidquid ex *Roderico ſcribat Gobat. cit. n*. 407.

Præſertim etiam, quia *Trid. ſeſs. 6. cap*.5. expreſsè ſtatuit,
10 & pœnis corripit Epiſcopos, qui in aliena Diœceſi Pontificalia exercent, & Ordines conferunt, & Pius oppoſitum declaratione firmat.

Unde, etſi liberum ſit Regularium Prælatis ſuos ad alienum quemvis Epiſcopum mittere, cum Diœceſanus, vel non eſt Ordinationes habiturus, vel Sedes vacat, cum dimiſſoriis
11 exprimentibus cauſam, cur mittantur, pro ut in Decreto; eis tamen eſt interdictum, & inculpatè non agunt, ſi data opera, ad mortem, vel abſentiam proprii Diœceſani, ſuos differant eidem præſentare, ut ordinentur; & ideò reprehendendi Superiores illi, qui ex induſtria eos ad determinatum tempus transferunt de uno ad Monaſterium alterius Diœceſis, habentis

Epiſco-

Epiſcopum faciliorem, & benigniorem, & ſtatim ad priſtinum poſt Ordinationes reducunt; quia in fraudem legis illa tranſlatio facta cenſetur, & contra finem decreti, diſponentis Regulares ordinandos ab Epiſcopo Diœceſano, illius ſcilicet Monaſterii, *in cujus familia poſiti*; *vel de cujus familia ſunt*; & non incorporandos familiæ alterius Conventus, in eum finem, ut effugiant examen Diœceſani prioris Conventus, ubi probabiliter timetur de reprobatione.

12 Unde in caſu *Donat. prax. Regul. tomo* 3. *tract.* 3. *q.* 10. *n.* 2. eos putat mortaliter peccare, utpotè in re gravi indebitè violantes legem.

Ordines, etiam Regularibus, conferri debent cum certo temporis intervallo inter unum, & alium, ut diſponit *Trident.*
13 *ſeſs.* 23. *ubi cap.* 11., quo ad Minores, requirit ordinandos debere per temporum intervalla, ſeù interſtitia promoveri; & cum temporis ſpatium non taxet, & arbitrio Epiſcopi relinquat, hic poteſt ex cauſa in interſtitiis diſpenſare, ut uno, eodemq;die plures ordines idem recipiat;cui privativè quo adRegulares, ea facultas diſpenſandi tribuitur, ut notavit *Miranda q.* 38. *art.* 7. *conclu. prima*.

Quoad verò majores *cap.* 12. & 13., licet id Epiſcopo remittat, tamen libertatem non dat, & poteſtatem adimit con-
14 conferendi eodem die eidem duos Sacros Ordines, etiam Regulari, ut expreſsè habet *textus cap.* 13, *duo Sacri Ordines, non eodem die, etiam Regularibus, conferantur, non obſtantibus quibuſcumque &c.*, quibus expreſsè tradit *Miranda art.* 5. revocari privilegia.

Quo ad Interſtitia, annus computari debet Eccleſiaſticè, non Mathematicè, hoc eſt à Sabbato Quatuor temporum Quadrageſimæ, ad ſimile Sabbatum correſpondens in Quadrageſima futura, & à vigilia Pentecoſtes ad vigiliam ejuſdem Feſti anni ſequentis. Qui dies ob varietatem Feſtorum Mobilium ſæpe occurrunt priuſquam duodecimus menſis compleatur. *Floſc. Nicolio, verb. Ordo, n.*21. & *Lucubrat. Jur. Can. lib.primo, tit.* 11. *ſub n.* 3. *Engel. Colleg. Juris Can. lib. primo tit.* 11. §. 2. *ſub n.* 20.

Tempora ab jure ſtatuta,in quibus per diſpoſita à *Trid.loc. cit. c.*8., celebrari debent,Ordinationes Sacræ,comprehendunt ſex Sabbata,ex *cap.De eo,de temp.Ord.lib.*1.*tit.*11.& apud Tho-

mam *Tambur. lib. 7. de Ord. cap.* 10. *n.* 8., quatuor anni tem-
porum, alterum, Dominicam Paſſionis præcedens, & Sabba-
tum Sanctum : extra quæ ſine ſpeciali indulto Sedis Apoſtoli-
cæ nullus promoveri ad Sacros Ordines poteſt.

Quod ab Alex. VI. obtinuiſſe Ordinem S. Hieronymi, &
ab Eugenio IV. illum Sancti Benedicti refert *Miranda citat.
art.* 4., *& Roderico reſolut.* 106. *verb. de Ord. Sac. ſub n.* 7.,
citans Portellum teſtantem, ſe aliud vidiſſe datum à Clemen-
116 te VIII. *de an.* 1596. Ordini D.Joannis Evangeliſtæ in Portu-
gallia. Pius IV. *Bullar. Cherub. tomo 2. pag. 9. Conſt. Circum-
ſpecta ſub Kal. Julii* 1560. §. 62., conceſſit Fratribus, & Ca-
pellanis Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani. Gregorius
XIII. *ibidem pag.* 459. *die* 21. *Septembris* 1582. *Conſt. Pium. &
utile Patribus Jeſuitis*, cum clauſula : -- præſentis autem gra-
tiæ communicationem omnibus aliis, etiam, qui ſua privile-
gia cum ipſa Societate copioſè participant, participareque
poterunt, quomodolibet in futurum, fieri omninò prohibe-
mus. --

Tandem *ſub die* 30. *Junii* 1625. Urbanus VIII. *Conſtit.
Cum ſicut accepimus*, Fratribus Minor. de Obſervantia in par-
117 tibus Indiarum Occidentalium exiſtentibus id indulſit, pro
ut ſequitur. -- Nos ejuſdem &c. & infra : Nobis humiliter
porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis ejuſdem Ordinis San-
cti Franciſci in partibus Indiarum Occidentalium hujuſmodi,
tantùm exiſtentibus, expreſsè profeſſis, ut de Superiorum ſuo-
rum licentia, à quocumque,quem maluerint, Catholico Anti-
ſtite, gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente,
in propria Diœceſi reſidente, vel in aliena, de Diœceſani loci
conſenſu Pontificalia exercente, per eos eligendo, ad omnes,
etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, extra tempora, ad id
à jure ſtatuta, ac interſtitiis à S. Conc. Trid. deſignatis, mini-
mè ſervatis, annique curriculo non expectato ; etiam ſi in
unoquoque ex dictis Sac. Ordinibus ſuſceptis, antequam ad
alium promoveantur, ſe minimè exercuerint ; dummodò ta-
men ad id idonei reperiantur, & ſervatis, aliàs ſervandis., pro-
moveri, & promoti in illis, etiam in Altaris miniſterio, mini-
ſtrare, liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſt. auctoritate te-
nore præſentium concedimus, & indulgemus, ac facultatem
impartimur. Non obſtantibus &c. -- *Bullar. Cherub. tomo 4.
pag.* 91.

18 An

18 An autem hæc privilegia ſuffragentur aliis Regularibus propter communicationem privilegiorum. Reſolvendum negativè cum *Lezzana Sum. qq. Regul. tomo primo n.* 19. *Peyr. de Privileg. tom. primo ad Conſt.* 2. *Sixti IV.* §. 11. *n.* 39. *Miranda q. cit. art.* 4., & adhæret *Donat. cit. q.* 26. *n.* 3. & facit, ut notat *Miranda*, per ea: *Ordinationes Sacrorum Ordinum ſtatutis ab jure temporibus celebrentur*: revocari à Concilio privilegia, eo prius conceſſa, præſertim quia *ſeſſ.* 25. *cap.*22. de Regularibus, revocatis quorumcumque privilegiis, mandat obſervari omnia, & ſingula in ſuperioribus decretis contenta; & cum loquatur, expreſſè non eſt locus conjecturis, & diſtinctioni; conſequenter data ab Eugenio IV. Alex. VI., & Pio IV., qui id contulit *Ann.* 1560., adeoque prius celebratione *ſeſſ.*23., quæ celebratur 15. *Julii* 1563.

Pręſertim etiam, quia ex formula conceſſionis factę Jeſuitis à Greg. cum clauſula prohibitiva *communicationis*, & ab Urbano VIII. Minoribus, cum clauſula taxativa *loci*, & excluſiva cæterorum, etiam ipſorum Minorum, alibi exiſtentium, apparet S. Sedis mentem eſſe, quod præfatis, alii Regulares, com-
19 municantes cum eis in privilegiis, non fruantur; & ſignificare ea eſſe talis conditionis, quod rarò, & cum difficultate, conceduntur. Privilegia autem, quæ hujus ſunt generis, ut pluribus cumulatis, tradit *Pignatell. tomo* 10. *conſ. prima n.* 33. non veniunt ſub generali communicatione: & ut notavit *Peyrin.* ibidem, ſub clauſula generali, non venit id, quod Princeps non eſſet in ſpecie veriſimiliter conceſſurus, & firmat *Rota coram Rojas deciſ.* 618. *tom.* 2. *p.* 5. *deciſ. Recent. n.* 17. quod generalis communicatio privilegiorum non trahitur ad ea, in quibus ſpecialiter eſt proviſum.

20 Nec obſtat, quod privilegia Mendicantium ſæpe confirmentur cum clauſula *ex certa ſcientia*, quæ apud *Lezzana tomo* 3. *verb. clauſula n.* 29. æquivalet conceſſioni, & per *Donatum loco cit. ſub n.* 2. vim habet innovandi conceſſiones, & indulta à Sede Apoſtolica revocata; qua confirmata reperiuntur illa minorum à Clemente VIII. *Bullar. Cherub. tom.*3. *pag.*66. *conſt. Ratio Paſtoralis*. Etenim vis illius reſtringitur per appoſitionem alterius; *in his omnibus, in quibus decretis Concilii Trid. non adverſantur*; quam præfatus Clemens ibidem appoſuit, & ea uſus eſt Innocent. XI. *Conſt. Exponi Nobis nuper*;

Direct.

Direct. trium Ordin. conſt. 5. *pag.* 230. *n.* 95. *ſub anno* 1686., *die* 5. *Septembris*, confirmans præfatas literas Clementis, & ſimiles Pauli V. & Urbani VIII., -- dummodo tamen ſint in uſu, nec ſint revocatæ, aut ſub aliqua revocatione compre-
21 henſæ, ſacriſque Canonibus, & Concilii Trid. decretis, ac poſterioribus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis non adverſentur. --

22 Ideò concludendum cum *Miranda* negativam eſſe ſequendam, utpote *Trident. Decretis* : *& Conſt. Pii II. Cum ex Sacrorum* (*apud Confect. Collect. Privileg. Mend. pag.mihi* 236. *verb. Clem. VIII.*) magis conformem, adeoque in praxi magis tutam.

23 Et quamquam tempus Ordinationis, quod Jus præſcribit non ſit de ſubſtantia Ordinis, & ordinatus extrà tempora recipiat characterem, non recipit tamen executionem, & niſi aliquod Sedis Apoſtolicæ Privilegium ei ſuffragetur, ſuſpenſionem incurrit, ut in terminis præfatus Pius allegata Conſti-
24 tutione diſponit, ut infra: -- Nos &c. præſenti Conſtitutione perpetuò valitura ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora à jure ſtatuta, ſive ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſoriis literis, etiam Citramontani à Citramontanis, præter quam ſi in hoc ultimo caſu per Cameram Apoſtolicam, juxta ipſius ſtylum ordinati fuerint, ad aliquem ex Sacris Ordinibus ſe fecerint promoveri, à ſuorum
25 Ordinum executione ipſo jure ſuſpenſi ſint. Et ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante in eiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint, eo ipſo in irregularitatem incurrant. -- Et facit *Textus in cap. Conſult. de temporibus Ordinationum lib. primo tit.* 11. & ibi *Gloſſ. verb. Charact.*

26 Literę dimiſſorię ad Ordines conceſſę non expirant morte Concedentis, niſi expreſsè per Succeſſorem revocentur; quia ſunt gratia, & Privilegium. *Nicol. Floſc. verb. Dimiſſoriæ n.* 1. *vide Cap. Officialis quoad Privilegia ſub n.* 26.

27 Cum ſingula alicujus Religionis Monaſteria deſtruuntur, nequeunt illius Religioſi promoveri ad titulum Paupertatis ex *S. C. C.* 17. *Aug.* 1632. *apud Floſc. Nicol. verb. Ordo ſub num.* 28.

CAPUT

CAPUT XXIV.

Officialis quoad Pœnas Eccleſiaſticas.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit pœna.*
2 *Diviſio pœnæ.*
3 *Pœna alia latæ, alia ferendæ ſententiæ.*
4 *Pœna ferendæ ſententiæ non incurritur ſtatim commiſſo delicto.*
5 *Quid dicendum de illa ſententiæ latæ.*
6 *Excommunicatus in foro interno, ſi celebret fit irregularis.*
7 *Ad incurrendam excommunicationem latæ ſententiæ pro foro interno non eſt neceſſe, quod præcedat ſententia declaratoria.*
8 *In quo ſenſu clauſulæ ipſo facto &c. ſint comminatoriæ.*
9 *Limitatur à Tamburino.*
10 *Notorius excommunicatus vitandus.*
11 *Etiam ſi non ſit notorius Clerici percuſſor.*
12 *Notorium Juris, & facti.*
13 *Notorietas an probanda?*
14 *An Reus audiendus?*
15 *Quando Prælatus ſit officio in conſcientia privatus?*
16 *Sententia declaratoria ſæpe ſuper crimine, & non ſuper pœna pronunciat.*
17 *Cum ad pœnam externa actio requiritur, non ſtatim incurritur.*
18 *Inhabilis factus, officia non debet acceptare, & ſua limitatio.*
19 *Dubium reſolvendum, an Prælatus officio privatus, validè miniſtret?*
20 *Ante cauſæ cognitionem nemo eſt privandus.*
21 *Quando pœnæ retrotrahantur?*
22 *Pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ ſtatim incurritur.*
23 *In Ordine Minorum de Obſervantia pœnæ non incurruntur, niſi poſt declaratoriam.*
24 *Privatio vocis activæ, & paſſivæ, & Juris Suffragiorum natura.*
25 *Privati voce activa, & paſſiva, quæ poſſint? Et à Divinis ſuſpenſus.*

26 *Pri-*

26 *Privatio actuum legitimorum quid ?*
27 *Privatio Juris Suffragiorum diſtincta ab ea actuum legitimorum .*
28 *Privatio officiorum ordinis, ad quæ inhabilitet .*
29 *Libri Fratrum Defunctorum, apud Minores ubi ponendi ?*
30 *Pœna ſubtrahentium ex eorum Bibliothecis aliquem furto , & commodantium res ſacriſtiæ .*

1 POena in ſenſu proprio ex *cap. Pœnitentia diſt.* 3. eſt *quæ punit, vindicans, quod quiſque commiſit* ; & dicitur , etiam reordinativa culpæ , quatenus homini infligitur , ut, quia per peccatum ab ordine legis defecit, per pœnam reordinetur .

2 Dividitur in Legalem, ſeù Civilem , & in Canonicam , ſeù Eccleſiaſticam ; illa ab jure Civili , & Seculari infligitur : de qua ſuo loco D. D. : alia ab jure Eccleſiaſtico , & ad præſcriptum Canonum à Prælato Eccleſiaſtico ſtatuitur ; & hanc ad noſtrum caſum reſtringimus ad expreſſas in literis Apoſtolicis (ſive ſint Pontificum Conſtitutiones, ſive S. S. C. C. Decreta) in quibus ſæpe in tranſgreſſores reſpectivè diſponitur pœna *excommunicationis , ſuſpenſionis , & interdicti* ; *privationis vocis activæ, & paſſivæ, actuum legitimorum, & officiorum ordinis, & inhabilitatis ad alia impoſterum obtinenda* .

Sed dubitatur, an ipſo facto , & ante Judicis ſententiam ,
3 pœnæ incurrantur ? & obſervandum , vel pœna eſt latæ ſententiæ, ut ſi dicatur : *ipſo facto* , *ipſo jure* , *abſque ulla declaratione* excommunicatur, *anathema ſit* (prout ſæpe in Trid. contra Hæreticos) ſtatim *privationem incurrat &c.* vel eſt ſententiæ ferendæ , & ſolum ſub verbis comminatoriis , ut *prohibemus* ſub pœna *excommunicationis* , *interminatione privationis officii &c.*

4 In ſecundo ſenſu firmant DD. communiter pænas non incurri ipſo facto , & ipſa admiſſione delicti , ſed neceſſe eſſe , ut judex ſententia declaret crimen eſſe commiſſum , & in ea , ex notatis ab Hasbenſe *ſum. quæſt. ſelect. verb. pæna Eccleſiaſtica num.* 366. exprimat pœnam pro ea taxatam , & ad eam condemnet .

5 In primo autem conveniunt , quod ſi delicto ſit annexa excommunicatio , ſtatim ac committitur , delinquens in eam

incidat ;

incidat; & idem dicendum de interdicto, ſuſpenſione, & irregularitate, quando in iis apponuntur clauſulæ *ipſo facto, ipſo jure*, vel quid ſimile, indicans ejuſmodi pœnas, non eſſe ferendas, ſed latas; conſequenter ſecum trhaere ſuam executionem, ut notavit *Thomas Tamburinus de cenſuris tract. 1. cap. 1. num. 1. Sanct. ſuper ſtat. S. Fran. cap. 11. ſtat. 7.* & habetur apud *Donat. to. 2. par. 1. quæſt. nu. 1. ex cap. Paſtoralis de appellationibus lib. 2. tit. 28.*

6 Limitat Ameno *pract. crimin. tit. ult. §. 7. num. 61.* ad forum ſolum internum, adeout, licet committens delictum, habens annexam excommunicationem latæ ſententiæ, ſi ſit Sacerdos, & celebret, priuſquam abſolutionem obtineat, efficiatur irregularis, non teneatur in publico, & foro externo, ut excommunicatum ſe gerere, niſi ſententia declaratoria delicti præceſſerit.

Unde clauſula illa abſque *declaratione*, ſenſum habet, quod ad incurrendam excommunicationem latæ ſententiæ

7 pro foro interno, non eſt neceſſarium, ut poſt delictum commiſſum præcedat ſententia, vel delicti, vel pœnæ, ſed ſat eſſe quod crimen committatur; ut autem quis pro foro externo, & contentioſo ligetur, requiritur, ut ſententia judicis exprimat delictum fuiſſe patratum.

Unde *Ameno tit. 5. §. 1. num. 2.* tradit clauſulas illas, *ipſo*

8 *facto ſit excommunicatus*, *ipſo jure privatus remaneat*, pro foro externo eſſe comminatorias, & appoſitas ad incutiendum terrorem.

Et id ex *Suarez* notat eſſe univerſaliter in omni lege, & ſtatuto, ut licet imponatur pœna *ipſo jure*, *aut ipſo facto*, *vel etiam ante ſententiam incurrenda*, tametſi in foro interno liget, pro externo non eſt fulminativa, ſed comminatoria, & irrogari debet per ſententiam, quæ non eſt condemnatoria, ſed declaratoria.

9 Limita, niſi expreſsè aliud ſuperaddatur ſic, ut idem obſervat *Tamburin. num. 4. ſine ulla prævia declaratione delicti, ſimilive*, *quia*, tunc certe in utroque foro ſtatim excommunicatio ligat, cum in tanta expreſſione voluntatis Superioris non detur aditus præſumendi aliam judicis declarationem eſſe expectandam. Advertas, quod ſi notorium eſſet aliquem in ex-

10 comunicationem incidiſſe, etiam in foro externo cenſura ligaretur, imo vitandus eſſet, prout diſponit *Conſt. Leonis X. edi-*

ta in Concilio Lateranenſi, quam refert *Piaſec.Prax.Epiſ. part.2. cap.4. art.13.num.21.& Bail.ſum.Conc. tom.1. v.Conc. Lateran. ſeſſ.11.pag.614.lit.B.* ut ſequitur.

-- Statuimus inſuper, quod ad vitandum ſcandala, & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, conſtituimus, ut nemo deinceps à Communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcumque Divinis, vel extra, prætextu cujuſcumque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſ., ſeu ſuſpenſionis, aut prohibitionis ab homine, vel ab jure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, vel interdictum Eccl. obſervare: niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura hujuſmodi fuerit, vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum, aut certam, à Judice publicata, & denunciata ſpecialiter, & expreſſe, aut niſi notoriè in excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo juris ſuffragio excuſari, eum à communione illius abſtineri volumus juxta Canonicas ſanctiones; per hæc tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari &c. --

Ubi apparet ſolos denunciatos excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, & notorios eſſe vitandos; & licet ibi idem Piaſecus aſſerat nomine notorii per DD. intelligi notorium Clerici percuſſorem, ad ſenſum ſimilis Conſt. Concili Conſtantienſis *Inſuper ad evitanda*, quam item *num.*22. refert, & cum ipſo *Nic.prax.jur.can.lib.5.tit.39.n.28.* adeo ut, ut ibi firmatur, ſolus notorius Clerici percuſſor ſit vitandus, & alii excommunicati, non niſi poſtquam fuerint denunciati; tamen, quod quicumque excommunicatus, licet non ſit propter percuſſio-
11 nem Clerici, ſit vitandus, dummodò ſit Notorius, idem *Nicol.ibidem ſub num.*31. citans *Fagnanum cap.quod à prædeceſſore de ſchiſmat.n.*55. tradit.

Et videtur eſſe ad ſenſum Lateranenſis, cujus Conſtitut. eſt poſterior ea Conſtant; quam ad verbum refert, & ſolum immutat, ac diſpoſitionem ampliat, *ut vitentur excommunicati, vel denunciati, vel cùm conſtiterit eos notorie in excommunicationem incidiſſe*. Verum idem Nicolio ibidem notat, ſe non potuiſſe inter acta Concilii Conſtantienſis Conſtitutionem, ex Conſtan-

ſtan-

ſtantienſi citatam, invenire, quam obſervavi nec reperiri apud *Bail.cit.v.Conc.Conſtantienſe pag*.472.

Et pro intelligentia ſciendum, aliud eſſe notorium noto-
12 rietate juris, aliud notorietate facti, primum eſt, quod conſtat per veridicam ſententiam, vel per rei confeſſionem in judicio, aut legitimam teſtium depoſitionem, qua, res tam clare, & manifeſte probata eſt, ut neque coloratè impugnari poſſit.

Secundum illud eſt, quod eſt publicum evidentia facti, hoc eſt, exhibet ſe omnium oculis, vel conſpectui majoris, vel ſaltem magnæ partis alicujus loci, aut viciniæ, ut nulla poſſit tergiverſatione celari: non ſolum in ratione actus, ita quod actus, qui eſt delictum, ſit publicus: verum etiam in ratione delicti, ita quod publicè ſciatur eſſe delictum; unde licet notorium ſit, aliquem ingreſſum fuiſſe in clauſuram Monialium, non eſt tamen notorium, quod ingreſſus fuerit ſine licentia; ideo non cenſebitur hujuſmodi ingreſſus in ratione culpæ notorius.

13 Notorietatem facti probari tradit *Ameno tit*.3.§.11.*nu*.55. & 56. per duos ſaltem teſtes conteſtes juratos, omni exceptione majores, qui deponant non ſolum ſuper delicto de viſu, ſed etiam, quod fuit factum coram majori parte populi, vel in platea, vel quod ſit toti populo notorium; unde judex, qui non poteſt procedere, niſi in notoriis, ut ſunt Conſervatores Regularium, prius debet probare qualitatem notorii delicti, & ſic probata, pronunciare, quod conſtet de notorietate; & licet aliqui negent, allegatus tamen dicit eſſe tutius ſic ſententiare, ut ex nulla parte poſſit proceſſus impugnari; & priuſquam reus condemnetur, (quamquam notorietate probata,) contra San-
14 ctoro, ſcribit eſſe audiendum, quia Judex in praxi certus eſſe non poteſt, quod reus nullam habeat exceptionem ad excuſandum delictum, ſi non in totum, ſaltem in partem, niſi audiatur; poſſet enim adducere ſe Clericum percuſſiſſe ad ſui defenſam, vel per jocum, vel in ſtatu ebrietatis; & diſceſſiſſe à Conventu, aut ob inimicitiam capitalem alicujus ſibi mortem machinantis per venenum, vel ob recurſum ad Superiorem ad iniuſtum declinandum gravamen, vel aliquod aliud juris ſuffragium, afferre; videatur ipſe, & *Antonellus de regim.Eccleſ. lib*.8.*cap*.5. *num*.14. ad quæſitum, *an publicus Clerici percuſſor ſit ſtatim vitandus ante ſententiam Judicis*? & interim ad nos.

 Sic

Sic pariter, ſi Prælatus committat delictum, cui ipſo facto, & abſque Judicis *declaratione* annexa ſit privatio officii, ſta-
15 tim delicto commiſſo eſt in conſcientia officio privatus, ut docet *Armeno tit.ult.cit.Peyrin.de Privileg.Regul.ad Conſt.6.Julii 2.n.*19. non tenetur tamen ſtatim officium ſuum relinquere, & ipſum renunciare cum jactura ſuæ famæ, & honoris, ut ex *Coriolano refert Barboſa tom.*1. *de jure Eccleſiaſtico lib.*1. *cap.*44. *num.*166. cum jus ad propriam famam conſervandam ex obſervatis à *Lezana ſum. quæſt. tom.*4. *verb. pæna Eccleſiaſtica ſub num.*8. præponderet juri humano tales pęnas imponenti, & præſumitur, quod lex humana cum adeo gravi detrimento
16 non obliget; ideo eſt ex Peyrin. expectanda Judicis ſententia declaratoria, quæ ſuper crimine, & non ſuper pæna, pronunciet.

Et facit quod habet *Engel.Colleg.univ.jur.Can.lib.*1.*tit.*2.
17 §.3.*num.*43. quod ſi pænæ ipſo jure latæ, etiam externam aliquam executionem requirant, -- ut amiſſio dominii, confiſcatio bonorum, privatio beneficii, officii &c. pœna, ſtatim commiſſo delicto, non incuritur, ſed expectatur ſententia declaratoria Judicis; ex *cap.cum ſecundum de Hæreticis in* 6. *lib.*5. *tit.*2. ubi, -- bona hæreticorum (qui gravius, horribilius, & deteſtabilius, quam prædicti delinquunt,) ipſo jure de Fratrum noſtrorum conſilio decernimus confiſcata. Confiſcationis tamen hujuſmodi executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales (juxta Gregorii Papæ Prædeceſſoris noſtri declarationem) ante quam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, quæ ſuper hoc habeat poteſtatem, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata. --

Ideo Pręlatus occultis mediis, & ſecreto debet diſpenſationem petere; & ſi ob occultum delictũ inhabilis factus eſt ad
18 alia officia, ea de novo nullatenus debet acceptare; ſi id abſque diſpendio, famę, & ſub aliquo honeſto prętextu exequi poterit, ut tradit *Donat.tom.*1. *part.*1. *quæſt.*34. qui certe prudenti non deerit.

An autem Superior officio in conſcientia privatus, valide exerceat ea, quæ ſunt officii, ut confirmare electiones, ad
19 profeſſionem admittere, excipiendi confeſſiones facultatem concedere, & alia, quæ juriſdictionem in Prælato exigunt; aliis reſolvendum relinquo. Et

Et interim noto doctrinam *Lezanæ tom.3.ſum.verb.excommunicatio num.34.* ſcribentis; licet actus juriſdictionis ab excommunicato vitando facti, ſive in foro interno, ſive externo nullius valoris ſint ob defectum juriſdictionis; facti tamen ab excommunicato tolerato validi ſunt; quamvis enim uſu juriſdictionis careat, Eccleſia tamen, & Reſpublica propter commune bonum illi tribuit eo caſu juriſdictionem; non quidem ita, ut illi liceat exercitium ipſius, ſed tantum, ut valeat, quod efficitur; quæ, an ſint applicabilis caſui? cæteri judicent.

Applicabilem non eſſe, cum delictum, cui eſt annexa privatio officii, vel beneficii, eſt publicum, non obſcure ſignificat *Hasbenſis loco cit. num.*364. notans, quod tranſgreſſor legis eo ipſo amittit jus ad officium, ſeu beneficium, ita ut non ſit amplius illius Dominus; & licet ei permittatur poſſeſſio, & uſus (quibus ex *cap. licet Epiſcopus de præbendis in 6. lib.3. tit.* 4. ante cauſæ cognitionem nemo eſt privandus) ſtatim
20 tamen ac per Judicem pronunciatur ſententia declaratoria criminis commiſſi; retrotrahitur ad omnia officia, & dignitates, quas habuit reus à die perpetrati delicti, & compellitur omnem fructum ab eo tempore perceptum reſtituere; & revocantur omnes contractus per delinquentem initi ratione illorum officiorum, ſeu dignitatum.

21 Ex quo patet, clauſulam *ipſo facto*, habere differentem effectum, quem non habet pœna ferenda, quia hic, poſita declaratione criminis, pœnæ non retrotrahuntur ad diem, quo fuit commiſſum delictum.

Conveniunt *Engel. Barboſa*, & *Hasbenſis locis cit.* quod cum in lege hæc apponitur clauſula, *qui hoc delictum patrave-*
22 *rit, qui non obediverit &c. ipſo facto, ſtatim, ſit voce activa & paſſiva privatus*; ſtatim, crimine commiſſo, tenetur tranſgreſſor eam pœnam ſponte ſubire ante ſententiam Judicis declaratoriam; quia ad exequendam pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ nulla actio exterior hominis requiritur.

23 In ordine Minorum de Obſervantia pœnæ quæcumque per ipſorum leges, & ſtatuta, appoſitis etiam clauſulis *ipſo facto*, non incurruntur, niſi poſt ſententiam declaratoriam criminis: pro ut expreſſe diſponitur in *Sambucanis cap.7. §. 6. num.*40. -- declaratur, quod quando in ſtatutis pœnæ imponuntur, privationis, carceris, excommunicationis ſuſpenſionis &c. vo-

lu-

humus ad eas non obligari Fratres, niſi ſcienter, & deliberatè deliquerint; & ubi ipſo facto incurrenda imponitur, decernimus in hujuſmodi pœnam neminem incurrere, niſi poſt declarationem à Prælato factam; -- & quidem optimè,ut notavit *Sanctoro de pœnis in genere*, *cap*.2. cum expediat conſcientias Fratrum, qui ex Regulę declarationibus ad plura ſub mortali tenentur,pœnis non onerare, & cenſuris.

24 Privatio vocis activæ, & paſſivæ, ſeu juris ſuffragiorum eſt inhabilitas, tam ad ferenda,quam ad conſequenda ſuffragia: ita ut privatus, nec eligere, nec eligi poſſit ad quodcumque officium ordinis; & ſic privati, licèt non poſſint officia obtinere per viam electionis, non prohibentur, quin alia exerceant, quæ, non via electionis conferuntur *Hasbenſ. loc. cit. num*.357.

Et ſic, ut firmat *Ameno tit*.5. §.1.*num*.7. Provincialis pri-
25 vatus voce, poteſt in electione Guardianorum proponere, & nominare eligendos: hujuſmodi enim propoſitio, licèt ad electionem ordinetur, electio tamen non poteſt dici.

Definitor, voce activa, & paſſiva privatus, poteſt ſuffragari in omnibus iis, in quibus non fit electio ad officia, adeoque in ſententiando réos, & recipiendo ad Religionem.

Item,Examinator voce privatus poteſt votum dare in approbatione, ſeu reprobatione eorum, qui examini ſe expoſuerunt, vel pro lectura, ordinibus, confeſſione &c.

Et tandem quilibet privatus voce, dare poteſt votum Novitio admittendo ad profeſſionem; & in aliis caſibus in quibus requiritur conſenſus capituli, niſi id per ſpecialia ſtatuta prohibeatur. Et Regularem ſuſpenſum à Divinis, per annum tantum, non privari infra dictum tempus, voto activo in electionibus Superiorum faciendis, niſi talis privatio exprimatur firmavit S.C.C.*in una Romana* 20.*Auguſti* 1628.*lib*.13.*decret. fol*.525.

26 Privatio actuum legitimorum eſt inhabilitatio ad omnia ordinis officia, quæ cum dignitate & ſuperioritate conjuncta ſunt, ut Miniſteriatus, Definitoriatus, Guardianatus; poteſt autem ſic privatus ſacras functiones exercere, ſed non confeſſiones, ſaltem ſecularium; poteſt tamen Monialium Confeſſarius inſtitui, ac Magiſter Novitiorum eſſe, & pro eis ad profeſſionem admittendis ſuffragia dare.

Hunc

27 Hinc patet diſcrimen inter privationem juris ſuffragiorum, & actuum legitimorum; illa inhabilitat ad eligere,& eligi ad officia ordinis, nimirum Prælaturas, ſed non facit, quin ille, qui ſic eſt privatus, ea adminiſtret, ſi privatio illa ſupervenit poſt adeptam officii poſſeſſionem; alia vero actuum legitimorum, non ſolùm tollit electiones ad Prælaturas, ſed etiam earum negat exercitium, adeout, ſi adveniat poſt Prælatiam adeptam, tametſi in actu primo, is, cui advenit, non intelligatur privatus officio, privatus tamen remanet exercitio illius.

Actibus legitimis privato, reſpectu Confeſſariatus Monialium conceditur exercitium,& inſtitutio; at reſpectu lecturæ,concionũ & Magiſterii Novitiorum, ſolùm exercitium permittitur,& inſtitutio negatur,ut notavit *Ameno tit.6.§.2.n.*10.

28 Privatio officiorum ordinis inhabilem reddit, nedum ad ſupradicta, ſed etiam ad Confeſſionem, prædicationem, lecturam, paternitatem, & munus viſitationis, non vero ad recipiendos ſacros Ordines, & ad ſacras eorumdem functiones exercendas; ut idem tradit *tit.5.cit.* §.3. At quilibet proprii inſtituti, & Religionis, leges conſulat, cum præfata ipſe firmaverit ad tenorem ſtatutorum Ord.Minor.de Obſer.

29 Privationem officiorum, aliaſque pœnas, Capitulum Generale Ordinis Min. de Obſer. de anno 1633. dicit in Provinciales, & alios, qui defunctorum Fratrum libros ad communes Bibliothecas Conventuum non tranſmittunt; ſuper quo diſponit, ut infra:

-- Adeo nihil penduntur hiſce temporibus Conventuum noſtrorum Bibliothecæ communes; ut quæ alias diligentius rectè ſplendorẽ,nunc vero negligentius deſertæ, dedecus potius Religioni afferre videantur.Ut igitur opportunum adhibeamus tanto malo remediũ, præcipimus Provincialibus Miniſtris ſub pœna privationis officiorũ, irremiſſibiliter incurrenda,ut vigilantius curent defunctorum Fratrum libros fideliter, & quantocitius fieri poterit tranſmittendos in communes Bibliothecas, præcipientes inſuper univerſis Superioribus, cujuſcumque gradus, & dignitatis exiſtant: univerſis etiam ſubditis, ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrenda, & ſub aliis item graviſſimis pœnis ad Superiorum beneplacitum infligendis, ut nullo modo, nec per ſe, nec per Apoſtolicum

Syn-

Syndicum, ſub quovis prætextu, quæſito colore, occaſione, vel cauſa, alienent, vendant, commutent, donent, aut quomodolibet aliter fraudent, vel diſtrahant defunctorum Fratrum libros, aut eos, qui ad particulares Bibliothecas quavis ratione pertineant, vel quocumque modo, ſeu titulo fuerint: etiam deinceps Monaſterio acquirendi. --

Diſpoſitionem Capituli olim confirmavit Urbanus VIII. *& ſub anno* 1685. 16. *Octobris Conſt. Exponi nobis nuper* Innoc.XI. ubi, contra furto ex dictis Bibliothecis ſubtrahentes li-
30 bros, addit: -- Præterea præfati Pii (v. nimirum) prædeceſſoris noſtri inhærentes, omnibus, & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, Secularibus, & Regularibus cujuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, vel conditionis, exiſtant, etiam ſi Pontificali dignitate præfulgeant, eadem auctoritate harum ſerie mandamus, ne ex Bibliothecis Conventuum, & domorum, Regularium Ordinis prædicti, aut earum aliqua, librum aliquem, aut quaternum, furto ſubtrahere quoquomodo præſumant. Nos enim quoſcumqne ſubtrahentes excommunicationis ſententiæ ſubjacere volumus, & decernimus ipſo facto, à qua nullus ab alio, quàm à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore exiſtente, poſſit, niſi, dumtaxat in mortis articulo, abſolutionis beneficium obtinere &c. -- *Direct. trium Ord. Conſt.*6. *num.*101. *& num.*110. refert ejuſdem Innocentii Conſt. confirmantis Sac. Cong.Epiſ.& Reg.dec.prohibentis *ſub die* 14.*Martii* 1680.ſub pęna privationis officiorum Fratribus eiuſdem Ordinis,ne res ſacras ad eorum Eccleſias, & Sacriſtias ſpectantes aliis commodent, niſi acceſſerit conſenſus duarum partium Capituli per ſuffragia ſecreta præſtandus, & à Provinciæ Miniſtro authentice confirmandus -- nomine autem Capituli in caſu puto intelligi Definitorium Provinciale, vel Diſcretorium Conventuum.

CA-

CAPUT XXV.

Officialis quoad Privilegia.

SUMMARIUM.

1 *Quid ſit Privilegium eſſe antiquatum?*
2 *Conſtit. moderatoria Privilegiorum Regularium Leon. X.*
3 *Conſt. Pii IIII.*
4 *Greg. XIII. reducit ad terminos Tridentini Privilegia à Pio V. Regularibus data.*
5 *Clauſula, quæ apponi ſolet in confirmatione Privilegiorum.*
6 *Apponitur ab Innocen. XI. confirmante ea Minorum de Obſervantia.*
7 *Quando Trident. expreſsè revocet Privilegia Regularium?*
8 *Privilegiis per Trident. revocatis, non poſſunt Regulares uti, nec in foro conſcientiæ.*
9 *Dubium, an Clauſula* Dummodo &c. *comprehendat Privilegia tacitè à Tridentino revocata?*
10 *Sententia aliquorum.*
11 *Reprobatur.*
12 *Exponitur clauſula* Sacriſque Canonibus &c.
13 *Conſt. Greg. XV.* Inſcrutabili.
14 *Alia Clem. X.* Superna.
15 *Quando liceat confeſſariis Monialium ingredi ſepta Monaſteriorum?*
16 *Quid ſignificet clauſula* Motu proprio.
17 *Quando motu proprio gratia concedatur.*
18 *Quid ſubreptio & obreptio ſignificent.*
19 *Communicatio privilegiorum non extenditur ad officia divina.*
20 *Indulgent. privilegio communicationis ſunt communes in Ordine Minorum.*
21 *Amittitur privilegium per ipſius abuſum.*
22 *Et per expreſſam renunciationem.*
23 *Regulares nequeunt renunciare privilegio Exemptionis ſine licentia Papæ.*
24 *Renunciatur privilegiis per non uſum, ſeù uſum contrarium.*

25 *Privilegia conceſſa cum Clauſula* donec voluero,*quanto tempore durent?*

26 *Privilegiatus, etiam re integra, poteſt privilegio uti poſt mortem concedentis.*

1 AMpliſſima à Sede Apoſtolica obtinuerunt Regulares privilegia; Verùm,quia ex eis aliqua jam ſunt antiquata: incompoſſibilia nimirum cum decretis de novo editis; & alia expreſsè per poſteriores Pontificum Conſtitutiones, & SS. Concil. Trident. ſanctiones, moderata, declarata, & reſpectivè revocata; Ideo aliquas moderatorias, & reſpectivè eorundem revocatorias, ſanctiones, & Conſtitutiones adnotatas exhibeo; ut in praxi Regulares ſciant, præfatorum uſum contra earum tenorem ſibi eſſe iuterdictum.

2 Leo X. in Concilio Lateranenſi moderatoriam, & declaratoriam indultorum Mendicantibus,aliorumq; Religioſorum Ordinibus in læſionem Epiſcoporum, ut ait, conceſſorum, edidit: *Bull.Cherub.tom.*1.*pag.*586. tenoris, qui ſequitur.

— Dum intra &c. ad conſervandam igitur inter Epiſcopos, & eorum Superiores, Prælatos, & Fratres hujuſmodi &c. & infra. —

§. I. Sacro approbante Concilio, ſtatuimus, & ordinamus, quod Epiſcopi, & eorum Superiores, & alii Prælati præfati, Parochiales Eccleſias ad eoſdem Fratres ratione locorum ſuorum legitimè ſpectantes,quo ad ea, quæ ad Parochianorum curam, & Sacramentorum conſervationem, adminiſtrationemque pertinent (ſine tamen Viſitatorum inſolito gravamine, vel impenſa) viſitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, ſi Religioſi fuerint, juxta ipſius Ordinis Regularia inſtituta, intra ſepta Regularis loci; Seculares verò Presbyteros, & Fratres hujuſmodi beneficia obtinentes, liberè, tanquam ſuæ juriſdictioni ſubjectos, punire.

§. II. Tam Prælati, quam Presbyteri ſeculares, qui vinculo excommunicationis ligati non fuerint,Miſſas in Eccleſiiis domorum eorumdem, devotionis cauſa celebrare volentes,celebrare poſſint, ipſique Fratres, tales celebrare volentes, libenter recipere debeant.

§. III. Ac ab eiſdem Prælatis ad Proceſſiones ſolemnes pro tem-

tempore faciendas requiſiti (dummodo eorum loca ſuburbana, ultra unum milliare à Civitatibus reſpectivè non ſint remota) accedere.

§. IV. Nec non Superiores eorundem Fratrum, Fratres, quos ad audiendas confeſſiones ſubditorum eorundem Prælatorum pro tempore elegerint, eiſdem Prælatis perſonaliter exhibere, ac præſentare (ſi eos ſibi exhiberi, & præſentari petierint)alioquin eorum Vicariis (dummodo ad Prælatos ultrà duas dietas accedere non cogantur) omninò teneantur; poſſintque illi per eoſdem Epiſcopos, & Prælatos ſuper ſufficienti literatura, & aliqua ſaltem hujuſmodi Sacramenti peritia dumtaxat, examinari; Talibuſque præſentatis admiſſis, vel etiam indebitè recuſatis confitentes *Conſt*; *quæ incipit Omnis utriuſque ſexus*, quoad Confeſſionem dumtaxat, ſatisfeciſſe cenſeantur.

Verùm indebite recuſatis confitentes, *cap. offic.* quoad approbationem ab Epiſcopo *nu.* 5. *ex Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 15. & ex Sac. Inquiſitionis decreto, notavimus non ſatisfacere.

§. V. Ipſique Fratres, etiam forenſium, Confeſſiones audire valeant; Laicos tamen, & Clericos Seculares à ſententiis ab homine latis nullatenus abſolvere poſſint. Euchariſtiæ verò, & Extremæ unctionis, aliaque eccleſiaſtica Sacramenta illis, quorum, etiam infirmorum, ac decedentium, confeſſiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa ſibi dare denegaſſe, dare nequeant; niſi denegatio ſine legitima cauſa facta, vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram Notario publico facta doceretur. Eorundem verò Fratrum obſequio inſiſtentibus Sacramenta hujuſmodi, nullatenùs miniſtrare valeant, niſi illorum durante obſequio.

§. VI. Pacta autem, & conventiones inter eoſdem Fratres, & Prælatos, atque Curatos pro tempore inita valeant; niſi per ſubſequutum Capitulum proximum Generale, vel Provinciale refutata, ac per eos refutatio hujuſmodi intimata debito tempore fuerit.

§. VII. Parochias autem cum Cruce ad levanda funera eorum, qui apud Eccleſias domorum, & locorum eorundem ſuam elegerint ſepulturam, intrare non poſſint, niſi priùs præmonito, & requiſito, ac recuſante Parochiano Presbytero; & tunc ſine ejus, ac Ordinarii præjudicio, (niſi eiſdem Fratri-

bus ſuper hoc antiqua conſuetudo, quæ ſit in viridi obſervantia, & cum pacifica poſſeſſione, ſuffragetur.

§. VIII. Volentes quoque ſepeliri in habitu eorumdem Fratrum in clauſtro non degentes, ſed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate ſepulturam ſibi eligere poſſinr.

§. IX. Quodque Fratres ipſi ad Ordines promovendi per Ordinarios de grammatica, & ſufficientia examinari;& dummodò competentèr reſpondeant, per eoſdem Ordinarios liberè admitti, ac nullatenùs in eorum Eccleſiis, ſeù domibus, aut aliis eorum locis, ab alio, quam à Diœceſano Epiſcopo, niſi prius ipſo Diœceſano Epiſcopo, vel ejus Vicario, ſuper hoc cum debita reverentia requiſito, & abſque rationabili cauſa contradicente, vel eo à Diœceſi abſente, ad dictos Ordines promoveri debeant.

§. X. Nec ab alieno Epiſcopo conſecrationem Eccleſiæ, vel Altaris, aut Cæmeterii benedictionem petere, ſeù in Eccleſiis, per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum Epiſcopum poni facere poſſint; niſi ubi Ordinarius bis, aut ter cum debitis reverentia, & inſtantia requiſitus ſine legitima cauſa id recuſaverit.

§. XI. Et abſque Curatorum conſenſu Sponſum, & Sponſam benedicere nequeant.

§. XII. Et ut debitus honor Matrici Eccleſiæ reddatur, tam ipſi Fratres, quam alii Clerici Seculares, etiam ſuperhoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati Majoris hebdomadæ, antequam campanæ Cathedralis, vel Matricis Eccleſiæ pulſaverint, campanam in Eccleſiis ſuis pulſare minimè poſſint; Contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant.

§. XIII. Cenſuras autem per eoſdem Ordinarios latas, & promulgatas, ac in Matrici Eccleſia Civitatum, nec non in Collegiatis, & Parochialibus Eccleſiis Caſtrorum, & Oppidorum reſpectivè ſolemnitèr publicatas, quando ſuper hoc ab eiſdem Ordinariis requiſiti fuerint, in Eccleſiis domorum ſuarum publicare, ac ſervare.

§. XIV. Et ut Animarum utriuſque ſexus Chriſti fidelium ſaluti uberius conſulatur, illos, quorum confeſſiones pro tempore audierint, cujuſcumque ſtatus, & conditionis,

fue-

fuerint, ad ſolvendum decimas, ſive aliam bonorum, ſive fructuum quotam in locis, in quibus decimæ ipſę, aut ſimilia ſolvi conſueverunt, etiam ſub onere conſcientiarum ſuarum monere, & hortari, ipſiſque etiam illos ſolvere recuſantibus abſolutionem denegare, & ſuper hoc requiſiti, id populo etiam publicè prædicare, & perſuadere teneantur.

§. XV. Conſervatores autem ejſdem Fratribus pro tempore à Sede Apoſtolica deputandi, doctrina, & probitate præſtantes, & in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti eſſe debeant, & coram eis per eoſdem Fratres, quibus dati fuerint, ultra duas dietas, à loco ſuæ ſolitæ habitationis, nullus trahi poſſit, privilegiis ſuper hoc aliàs eis conceſſis nullatenus ſuffragantibus.

§. XVI. Excommunicati quoque Ordinem Mendicantium profiteri volentes, ubi de intereſſe Tertii agetur, abſolvi non poſſint, niſi prævia ſatisfactione. Procuratores quoque, & negotiorum geſtores, ac operarii eorumdem Fratrum ſervitiis inſiſtentes, ſententiis excommunicationis promulgatis illaqueati ſint, & eſſe cenſeantur, ſi illis cauſam dederint, aut dantibus conſilium, auxilium, vel favorem præſtiterint.

§. XVII. Fratres autem, & Sorores Tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pizocharæ, Cordellati, & alii quocũque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes, ſepulturam, ubi voluerint eligere, valeant.

§. XVIII. Sed die Paſchatis tantùm Euchariſtiam, nec non Extremam Unctionem, cęteraque Eccleſiaſtica Sacramenta (Pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt perferenda teneantur; ac in foro Seculari coram Judicibus Secularibus conveniri poſſint.

§. XIX. Et ne cenſura Eccleſiaſtica vileſcat, & minoris auctoritatis interdicti ſententia reputetur; iidem dicti Tertii Ordinis ad divina audienda in Eccleſiis ſuorum Ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, ſi cauſam dederint interdicto, vel cauſam ipſam nutriant, ſeù foveant, aut dantibus auxilium, conſilium, vel favorem quoquomodo præſtiterint.

§. XX. Collegialiter autem viventes, ſeù cum Clauſtralibus habitantes, ac mulieres virginalem, ſeù Cœlibem, aut

caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu, vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum geſtant, gaudere debeant.

§. XXI. Omnia etiam, & ſingula ſupradicta ad Reliquos Religioſos Ordinum quorumcumque, extendi, & per eos etiam ſervari debere volumus, atque decernimus.

§. XXII. Salvis tamen in reliquis deſuper non expreſſis, tam Epiſcoporum, quam Fratrum, & aliorum Religioſorum prædictorum juribus, quibus per præmiſſa in aliquo præjudicare, ſeu quidquam innovare non intendimus.

Deinde apponit clauſulas derogatorias &c.

Eorundem privilegiorum, etiam pluries confirmatorum, & innovatorum, revocatoriam conſtitutionem in his, quæ Concilio Trident. adverſantur edidit Pius IV. *Bulla Cherub. tom.* 2. *pag.* 135. incipit.

3 *In Principis Apoſtolorum Sede &c.* & infra. --- Nos quibus &c. Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, quod eadem omnia, & ſingula privilegia, exemptiones, Immunitates, facultates, diſpenſationes, conſervatoriæ, indulta, confeſſionalia, Mare magnum, & aliæ gratiæ, in his omnibus, & ſingulis, in quibus illa ſtatutis, & decretis Concilii hujuſmodi contrariantur, ipſo jure revocata, caſſata, & annullata, ac ad ipſius Concilii terminos, atque limites reducta ſint, & cenſeantur; nec quidquam adversùs ipſa decreta, & ſtatuta, quominus ubique, & apud omnes obſerventur, in aliquo ſuffragari poſſe; ſed ea perinde haberi, & reputari debere, ac ſi nunquam emanaſſent, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, ac etiam ſtatuimus, & ordinamus. --

4 Ad terminos Concilii Tridentini, & juris veteris Gregorius XIII. *Conſt. In Tanta Bull. Cherub. tom.* 2. *pag.* 370. omnia reducit privilegia, a Pio V. *Conſt. Incipit. Et ſi mendicantium*; & altera *incipit. Ex ſupernæ*, & illius, *Incipit Adhoc ibidem pag.* 227. Regularibus, & Monialibus conceſſa: ità quod ea tantùm per præfatas literas data perſiſtant indulta, quibus ante hujuſmodi conceſſionem Regulares fruebantur, & Concilio Tridentino non adverſantur; Quæ autem ſint Concilio Tridentino contraria ex ipſa Pii conſt. ſatis apparet, & tradit *Lezana Summa quæſt. Regul. tom.* 2. *cap.* 1. *ſub num.* 16. *uſque ad* 58.

Ea

5 Ea eſt Clauſula communis poſt Trident. ; qua Pontifices utuntur in privilegiorum confirmatione, declarantes ſuę intentionis eſſe, ſe ea dumtaxat confirmare in his, in quibus decretis Concilii Trident. non adverſantur.

Quam reſtrictivam,& alias in noviſſima Fratrum Minorum de Obſervantia Privilegiorum confirmatoria, & approbatoria *Conſt. ſub die* 5. *Septemb.* 1686. *Director. trium Ordinum Conſt.* 5. *pag.* 230. *num.* 95. appoſuit Innoc. XI. ut ſequitur. -- Prędictas Clementis incip. *Ratio Paſtoralis &c.* ac Pauli, quarum initium: *Iniuncti nobis &c.*, & Urbani Prædeceſſorum, quæ incipiunt in plenitudine &c. aliorumque Pontificum, Succeſſorum literas ſuper præmiſſis reſpectivè emanatas; *dum-*
6 *modo tamen ſint in uſu, nec ſint revocatæ, aut ſub alia revocatione comprehenſæ, ſacriſque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac poſterioribus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Regularibuſque Ordinis prædicti inſtitutis non adverſentur*, auctoritate Apoſtolica tonore præſentium confirmamus &c. --

7 Sub qua exceptiva *dummodo decretis Concilii Trident. non adverſentur* ex communi Doctorum ſenſu comprehenduntur omnia, & ſingula Regularium privilegia, quæ per Trident. expreſsè revocantur per clauſulas, *privilegiis non obſtantibus: vel, etiam ſi exemptum ſe eſſe præſumat; aut ſub cujuſvis privilegii prætextu, ſimilivè*, pluribus ejuſdem Concilii decretis additas. *Donat. prax. Regul. tom.* 1. *par.* 1. *tract.* 11. *quæſt.* 15. *num.* 2. *Hasbenſis Sum. ſelect. qq. ver. privileg. num.* 417. *Roderic. reſolut.* 116. *num.* 14. Aliique &c.

8 Adeout eorum, pro foro etiam conſcientiæ, ſit illicitus uſus, ut concludentèr probat decretum Alex. VII., qui ſub anno 1666. *die* 28. *Martii* propoſitionem trigeſimam ſextam ſequentis tenoris damnavit: *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſè revocata per Concilium Tridentinum.*

9 Dubium autem eſt, an ſub illa comprehendantur, etiam alia, per ipſum Trident. tacitè reſtricta, & revocata, non per appoſitionem illius derogatorię; ſed terminis negativis, & prohibitivis, aliquid ipſis Regularibus interdicendo, vel ęquivalentibus circa eos diſponendo, & decernendo.

Ut fit *ſeſſ.* 4. *in decreto de editione, & uſu Sacrorum librorum:*

rum : *ſeſſ*. 5. *cap*. 2. *de Refor. de licentia Prædicatoribus neceſſaria*, & *alibi ſæpe* .

10 *Roderico loco cit*. cum aliis pluribus, quos refert *Donat. num*. 3. reſolvit, quod clauſula illa *dummodo* &c. appoſita in conceſſione, aut confirmatione privilegiorum non comprehendit, nec extenditur ad revocanda, & non confirmanda privilegia, quomodolibet ipſi Concilio contraria; ſed dumtaxat ad ea, quæ expreſsè in illo revocantur per præfatam derogatoriam *non obſtantibus* &c. & per ipſam clauſulam eidem adverſantur.

11 Verum id non ſubſiſtere tradunt *Donat. loco cit. Peyrin. tom*. 2. *de privileg. ad Conſt*. 1. *Gregorii XIII. ſub num*. 3. *in fine*, *Lezana tom*. 2. *qq. Regular. cap*. 1. *de juribus*, & *privileg. num*. 58. *in fine Miranda Man. Prælat. quæſt*. 38. *art*. 4. *in fine*; quia ſenſus illius clauſulæ *dummodo* &c. in praxi obtinet, ut notat *Peyrin. ibidem*; ut deroget non ſolùm, quæ expreſsè à Trident. revocantur, ſed etiam, quæ illi ſunt ſimpliciter contraria; cum & hęc ad ſervanda illæſa Trident. decreta conducant.

Præſertim quia ipſum Trident. *ſeſſ*. 25. *de Regul. cap*. 22. pręcipit obſervanda à Regularibus eſſe omnia, & ſingula in Superioribus decretis contenta, cum expreſſa clauſula derogatoria, *non obſtantibus eorum omnium*, & *ſingulorum privilegiis ſub quibuſcumque formulis verborum conceptis*. In expreſſis autem non eſt, per Miranda, locus conjecturis; adeoque nec diſtinctioni de contentis in decretis, dumtaxat ejuſdem *ſeſſ*. 25., & non aliarum; quia qui totum dicit, nihil excludit.

Et maximè cum Pius IV. *allegat. Conſt. In Principis* &c. abſolutè revocet omnia privilegia, quæ ſtatutis, & decretis Trident. contrariantur.

Ad quod item facit præfata formula adhibita ab Innoc. XI. in confirmatione privilegiorum Minorum de Obſervantia, intendente ea ſolùm confirmare, quæ ſub aliqua revocatione &c. non comprehenduntur; revocata autem tacitè per Trident. ſub aliqua revocatione continentur.

12 Clauſula illa, *ſacriſque Canonibus*, & *decretis Concilii Trident*. &c. ab Innoc. appoſita, non intelligitur de Canonibus, ut notat *loco cit. Peyrin. num*. 2. & *Donat. quæſt*. 14., qui ſunt inſerti in corpore juris communis, cujus ſunt

par-

partes conſtitutivæ; alias frequenter nulla, & otioſa foret quælibet privilegiorum confirmatio; cum ſæpe ex his plura ſint *à Principe contra jus commune conceſſa*; & ferè ſingula privilegia, ſaltem in parte, ſunt contra Sacros Canones; ſed ad illos in ipſo Trident. cum ipſiuſmet Decretis contentis eſt reſtricta.

Unde Canones copulativè, & conjunctive cum ejuſdem Decretis ſumuntur, non verò diviſivè; & ne dum ſignificatur per dictionem copulativam *Et*: ſed probatur etiam ex *ſeſſ*. 25. *cap*. 20. de Regularibus: — in cæteris omnibus præfatorum Ordinum privilegia, & facultates, quæ ipſorum perſonas, loca, & jura concernunt, firma ſint, & illæſa: -- ubi *Trident*. ſtatuit illæſa Regularium privilegia, quæ ſuis non adverſantur Canonibus, & Decretis.

13 Exemptorum privilegia quoad Animarum, & Monialium curam, Sacramentorum adminiſtrationem, & Verbi Dei prædicationem reſtrinxit, & limitavit Greg. XV. *Bull.Cherub. tom*. 3. *pag*. 402. *Conſt. Inſcrutabili Dei Providentia*; & infra &c.

§. I. Hac generali, ac perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, ſtatuimus, & declaramus, ut deinceps, tam Regulares, quam ſeculares quomodolibet exempti, ſive Animarum curam perſonarum ſecularium, Monaſteriis, ſeu Domibus Regularibus, aut quibuſvis aliis Eccleſiis, vel Beneficiis, ſive Regularibus, ſive ſecularibus incumbentem, exerceant, ſive alias Eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent, prævia Epiſcopi licentia, & approbatione, ſive quoquomodo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione de facto abſque ulla auctoritate ſe ingerant; in iis, quæ ejuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Diœceſani Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, plenè in omnibus ſubjiciantur.

§. II. Ad hæc, tam Regulares, quam ſeculares hujuſmodi, nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri ſe poſſint, quominus ſi deliquerint circa perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem Monaſteriorum Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, ab Epiſcopo loci ſimiliter, tamquam ad hoc Sedis Apoſtolicę De-

 legato,

legato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

§. III. Confeſſores verò, ſive Regulares, ſive ſeculares, quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad Confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, audiendas, nullatenùs deputari valeant, niſi priùs ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.

§. IV. Sed & adminiſtrantes bona ad hujuſmodi Monaſteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus ſubjectarum, pertinentia, ſive Regulares extiterint, ſive ſeculares quomodolibet exempti, Epiſcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, ſingulis annis rationes adminiſtratio nis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur; ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. (Illis de Corpore Obſer. interdicta eſt hujuſmodi adminiſtratio ab Inn. XI. *Cap. Offic. quoad Profeſſionem n.* 31. §. 10.)

§. V. Liceatque Epiſcopo ex rationabili cauſa Superiores Regulares admonere, ut ejuſmodi Confeſſores, & adminiſtratores amoveant; iiſque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Epiſcopus facultatem prædictos Confeſſores, & adminiſtratores amovendi quoties, & quando opus eſſe judicaverit.

§. VI. Ac ſimiliter poſſit Epiſcopus una cum Superioribus Regularibus, quarumcumque Abbatiſſarum, Prioriſſarum, Præfectarum, vel Præpoſitarum eorundem Monaſteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per ſe, vel per alium intereſſe, ac præſidere; abſque ulla tamen ipſorum Monaſteriorum impenſa.

§. VII. Ac demum habeat Epiſcopus, tamquam dictæ Sedis Delegatus authoritatem coercendi, ac puniendi quoſcumque exemptos, tam ſeculares, quam Regulares, qui in alienis Eccleſiis, aut quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia; Et in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente, prædicare præſumpſerint.

§. VIII. Ita ut Epiſcopi in ſupradictis caſibus, & in prænominatas perſonas, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, aut circa ea quoquomodo delinquentes, quoties, & quando opus

fuerit

fuerit, etiam extra viſitationem per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, uti ejuſdem Sedis Delegati, procedere, omnemque juriſdictionem exercere liberè, & licitè valeant. Decernentes ſic per quoſcumque Judices &c. non obſtantibus &c.

Aliam Conſtit. ſuper Regularium privilegiis in concernentibus ipſam Verbi Dei prædicationem, & Sacramenti pœnitentiæ, tam ſecularibus ipſis, quam etiam Monialibus, adminiſtrationem ſucceſſivè edidit Clemens X. *Bull.Cherub. tom.*5.
14 *pag.* 494. quæ incipit: *Superna Magni*, & infra.

§. I. Nos attendentes &c. hac generali, & perpetuò valitura conſtitutione decernimus, ac declaramus.

§. II. Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere; Prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerint. Quod ſi Epiſcopus benedictionem, ne dum non conceſſerit; Sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſiis, licere Regularibus prædicare. Eoſque contravenientes ab illo, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, cenſuris, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis, in vim Conſt. fel. record. Gregorii XV. Prædeceſſoris Noſtri incipientis: *Inſcrutabili Dei Providentia*, coerceri, & puniri poſſe.

§. III. Epiſcopum tamen abſque juſta, & rationabili cauſa contradicere non debere, & hujuſmodi benedictionem teneri, etiam Regulares, petere, ſi in quibuſcumque Oratoriis ſui Ordinis Sermonem coram Populo, vel in Eccleſiis, aut ad Crates Monaſteriorum Sanctimonialium eorum juriſdictioni ſubjectarum, licet clauſis januis, & nullus ſecularis ibi interſit, habere voluerint.

§. IV. Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Univerſitatibus, aut à Magiſtratibus laicis nominatos, etiam ſi Epiſcopi Anteceſſores, per tempus immemorabile, hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quo ad doctrinam examinare; ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit; Et licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam, ob rationabiles cauſas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, ſuſpendere.

§. V. Non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere

Regularibus, quin in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicent.

§. VI. Ad hæc Religioſos ab Epiſcopo Confeſſiones ſecularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos, non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerint approbati.

§. VII. Et generalitèr approbatos ab Epiſcopo ad perſonarum ſecularium Confeſſiones audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas Confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum; ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.

§. VIII. Atque approbatos pro audiendis Confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii: itidemque Confeſſores extraordinarios, ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audiendas, haud poſſe, expleta deputatione, in vim approbationis hujuſmodi illarum Confeſſiones audire; Sed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit.

IX. Cæterum in Monaſteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia inſtituta vivitur, poſſe, tam Prælatos Regulares, quam Confeſſores Regularium eorundem Monaſteriorum, ſeù Collegiorum audire Confeſſiones illorum ſecularium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui commenſales, non autem illorum, qui tantùm ipſis deſerviunt.

§. X. Illos autem Religioſos, qui ad Confeſſiones audiendas idonei generalitèr reperti fuerint, ab Epiſcopis generalitèr quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperirentur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipſos cum limitata facultate, pro ut eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere; ſemel autem ſimplicitèr approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paſchali, & quorumcumque, etiam infirmorum, Confeſſiones audire abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen Confeſſione teneri dictos Religioſos eorundem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere; Et hoc poſſe illis ab Epiſcopo

ſub

ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi Confeſſiones præcipi. Sufficere tamen, ut certioratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam.

§. XI. Et eos, qui dictis Religioſis ſimplicitèr approbatis Paſchali tempore Confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexus*, quo ad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos.

§. XII. Regulares verò ad ejuſmodi Confeſſiones audiendas prævio examine ſimplicitèr, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, secùs autem, ſi ab ejus Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit, iterum examinari, aut ab eiſdem Confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeù licentias illis conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat: De qua tamen haud neceſſarium eſſe, ut in actis conſtet; nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam ſibi aperiri poſtulaverit.

§. XIII. Porrò ſi Regulares cum ſcandalo, aut aliàs inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi judicio videantur à Confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas; utique eam cauſam ad Confeſſionis miniſterium pertinere; ac proinde nihil obſtare, quo minus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à Confeſſionibus audiendis.

§. XIV. Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo, inconſulta Sede Apoſtolica, nullatenus poſſe.

§. XV. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliave privilegia Regularibus cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam Jeſu, conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis; Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Concilium Trident. obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia, priùs ab eodem Concilio, aut

deinde

deinde Apoſtolicis etiam Decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habeant abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis.

§. XVI. Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere. Poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe.

§. XVII. Vigore ſupradictorum privilegiorum, nequaquam licere Regularibus, etiam ſatisfacta parte, abſolvere Pœnitentes à cenſuris quo ad externum, & judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro pœnitentiali, utique non cenſeri abſolutos in exteriori judicio, & contentioſo. Quinimo cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe, gerere ſe pro talibus, etiam ſi à Regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis privilegiis coram Epiſcopo, ab eo judicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur.

§. XVIII. Si dictorum Privilegiorum verba obſcura ſint, & ambigua, non eſſe ad Metrapolitanum provocandum; ſed cum ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum Privilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ judicio, pro ut aliàs Conſtitutione Prædeceſſoris Noſtri fel. rec. Clementis IV. Statutum fuit, eſſe requirendum.

§. XIX. Derogatoriis utitur, quibus Privilegiis Regularium, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis, aut per viam communicationis, & extenſionis, vel in limine fundationis, ſivè aliàs quoquomodo conceſſis, etiam in corpore juris clauſis, quo ad ea, quæ præfatis adverſantur, motu proprio, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, pleniſſimè derogat.

15 Et quando, & quomodo ipſis liceat, & eorum Confeſſariis ingredi ſepta Monaſterii, & prope illud commorari motu proprio, & non ad alicujus inſtantiam decrevit Alexand. VII. *Conſtit. Felici Bullar. Cherub. tomo* 5. *pag.* 399. ex qua plura *Cap. Offic. quoad Clauſuram Monialium* notantur.

16 Et clauſula illa *motu proprio* ſignificat præfatas literas non ad aliquorum inſtantiam, & preces, eſſe datas; ſed ex mero

ſuo

ſuo arbitrio, & libertate ſuper in eiſdem contentis, Alexandrum decreviſſe; quod & in aliis Conſtitutionibus obſervandum; in quibus, etiam ſi præceſſerit partis petitio, cum clauſula ipſa *motu proprio* additur, ſignificatur, quod cauſa motiva, & proxima ipſarum edendarum non fuit petitio, ſed ad ipſam Pontificis libertatem eſt revocanda: ut tradit *Peyrin. de privileg. ad Conſt.* 4. *Sixti IV.* §. 3. *n. primo Donat. loco cit. Tractatu* 9. *de clauſul. privil. clauſ.* 2. *n.* 21. *Engel. colleg. Univerſi Juris Canon. lib.* 5. *tit.* 33. §. *primo ſub n.* 5. & ex obſervatione
17 *Gloſſæ in capite Si motu de præbendis in* 6. *lib.* 3. *tit.* 4. *Collatio dicitur facta motu proprio, quando in collatione dicitur, quod fuit facta motu proprio, puta ſi dicamus, Nos motu noſtro proprio &c.*

Vigore cujus per *Donat. ibidem n.* 7. *literæ*, quæ cum tali clauſula à Pontificibus emanarunt, non poſſunt in dubium revocari & à vitio ſubreptionis, & obreptionis eximuntur, ut ſatis apertè habetur in *textu cit. cap. Si motu*, *& Engel. tradit ibidem* addens ea eſſe pleniſſimè interpretationis, & magis favorabilia.

18 Ubi firmat diſcrimen ab iis, quæ ſine dicta clauſula ad partis preces, & inſtantiam conceduntur; cum iſtæ poſſint ſubreptitiæ, vel obreptitiæ cenſeri; obtentæ nimirum, vel tacendo verum, quod obreptio ſignificat, vel exponendo falſum, ut importat ſubreptio. Obripimus enim ait *Pratæjus apud Sanctor. de pœnis cap.* 29. *pag.* 372. cum tacendo aliquod impetramus, quod exprimere neceſſe erat, expreſſumque Principem à conceſſione alienaſſet. Subripimus verò, cum à Principe per falſam rei narrationem aliquid extorquemus, puta reſcriptum, privilegium &c. Unde ad illarum hujus generis veritatem ſubintelligitur ſemper hæc tacita conditio: *Si preces veritate nitantur*. Ut notavit *Engel. loco citat. lib. primo tit.* 3. *n.* 7.

Privilegium datum Prędicatoribus, & Minoribus *Cap. In his de privileg. lib.* 5. *tit.* 33. Trid. revocavit *.v. Offic. quoad celebrat. Miſſarum n.*28.

Privilegia per communicationem acquiri poſſunt; cum ſcilicet Superior privilegium, quod uni ſimplicitèr conceſſit, etiam ad alterum extendit, & alteri communicat vi cujus communicationis vix aliquod fuit uni Religioni conceſſum, quod alteri non ſit commune, & ab aliis ex Sedis Apoſtolicæ Indulgentia, niſi alitèr expreſsè diſponatur, non participetur.

Sed

Sed quia de hoc ſatis Doctores, ad quos, ne pluries repetita refricem, remitto Lectorem; & ſolum obſervo, quod communicatio privilegiorum intelligi debet ſine præjudicio illius, cujus privilegia communicantur, ut tenet *Rota coram Merlino in Ulixbonen. deciſ.* 598. *num.* 32. *tomo* 2. *part.* 5. *deciſ. recent.*

Communicatio ampliſſima privilegiorum unius Religio-
19 nis alteri facta non ſe extendit ad officia Sanctorum, prout *S. C. Rituum* 10. *Decembris* 1679. firmavit ad dubia eidem propoſita à Miniſtro Generali Ordinis Minorum de Obſervantia, pro ut ſequitur.

I. An communicatio, etiam ampliſſima, privilegiorum unius Religionis alteri facta ſe extendat ad officia Sanctorum?

II. An facultas recitandi officium de aliquo Sancto conceſſa ſpecialiter Minoribus Conventualibus, vel Capuccinis, vel Fratribus Tertii Ordinis S. Franciſci: vel Monialibus S.Claræ, S.Eliſabeth, Conceptionis, Annunciationis, ſe extendat ad Fratres Minores de corpore Obſervantiæ, ſive de Familia, ſive Reformati, ſive Excalceati, ſive Recollecti dicantur; itaut, iſti illa licitè uti poſſint?

III. An facultas recitandi officium conceſſa ſpecialiter Fratribus Minoribus Reformatis Italiæ, ſub hoc nomine ſe extendat ad Obſervantes de Familia, vel Excalceatos Hiſpaniæ, vel Recollectos Galliæ, & è converſo?

IV. An eadem facultas, conceſſa ſpecialiter Fratribus Minoribus de Obſervantia Familiæ Ciſmontanæ, ſe extendat ad Fratres ejuſdem Ordinis familiæ Ultramontanæ?

V. An facultas recitandi aliquod officium conceſſa ſpecialiter alicui Provinciæ ſe extendat ad alias Provincias ejuſdem Ordinis, & Inſtituti, aut conceſſa ſpecialiter alicui Conventui, ſe extendat ad alios Conventus ejuſdem Ordinis, vel ſaltem ejuſdem Provinciæ?

– Sacra Congregatio reſpondit ad omnia eſſe intelligendum cum moderatione, & ita declaravit, & prædicta omnia ab omnibus Fratribus Regularis Obſervantiæ, non ſolum de Familia, ſed etiam Reformatis, Diſcalceatis, Recolectis, aut alio quovis nomine nuncupatis, ſervari mandavit ſub pœnis præfati Miniſtri Generalis, ejuſque ſucceſſorum pro tempore,

im-

imponendis contra inobedientes ; non obſtantibus quibuſcumque &c. --

Moderatio fortè continetur in dictione *ſpecialiter*, quæ certè exprimit conceſſiones uni ſpecificè factas ad alios non extendi. Et facit, quod generalis communicatio privilegiorum non trahitur ad ea in quibus ſpecialiter eſt proviſum, prout tradit *Rota in Ulixbonen.* 11. *Septembris* 1637.*coram Rojas deciſ.*618.*num.*17.*tom.*2.*cit.*

Quo communicationis privilegio extenduntur,etiam Indulgentiæ conceſſæ uni loco, Altari, vel Eccleſiæ Ordinis Minorum,aliis locis, Altaribus, & Eccleſiis ejuſdem,pro ut in ter-
20 minis diſpoſuit Innoc.XI. & conſtat ex narrativis Conſtit. Innoc.XII., prout ſequitur.

-- Sua Nobis, & infra, quod aliàs ad ipſius inſtantiam à fel.recor. Innoc.Papa XI.Prædeceſſore Noſtro, literæ in forma Brevis ſub die 5. Septembris de anno Domini 1686. emanarunt, in quibus confirmata reperitur communicatio Privilegiorum, & Indulgentiarum, etiam plenariarum, uſque tunc non revocatarum,inter Eccleſias, loca, Confraternitates, Congregationes, Ordines, & perſonas utriuſque ſexus, obedientiæ, vel directioni Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci ſubjectas, à pluribus Romanis Pontificibus, ipſius Innocentii, & noſtris etiam, Prædeceſſoribus,eidem per diverſa privilegia conceſſa, à qua communicatione, pro ut iteratis vicibus à Sede Apoſtolica extitit declaratum, reſultare dignoſcitur, quod quando decoratum reperitur Altare unius loci, vel una Eccleſia, aut una Confraternitas, ſeu quævis Congregatio, Ordove aliquarum è dictis perſonis,aliqua Indulgentia, ſive plenaria, ſive non : applicabili per modum ſuffragii, vel non applicabili, pro Animabus Purgatorii, ad favorem earundem tantum perſonarum, vel omnium ſimul Chriſtifidelium conceſſa, minimè tamen revocata, qui in eo loco, Altari, vel Eccleſia, Confraternitatum, id, diebus in conceſſione expreſſis, perfecerint, quod per eandem conceſſionem fuerit præſcriptum : In omni loco, Altari, vel Eccleſia, Confraternitatum, Congregationum, Ordinum, & perſonarum præfatarum eadem Indulgentia ab omnibus reſpectivè acquiratur, qui iiſdem diebus eaſdem ibi emiſerint diligentias in conceſſione taxatas. --

-- Verùm,ſicut petitio ſubjungebat,prætendentibus nonnullis ſcrupuloſis, quod in præfata Generali communicatione comprehènſa non veniant loca, & Eccleſiæ Terræ Sanctæ,aliarumque partium Orientis, exiſtentium extra Jeruſalem; ad tollenda de medio quæcumque dubia, fuit Nobis pro parte præfati Ordinis humiliter ſupplicatum, quatenus non eſſe excluſa præmemorata loca.& Eccleſias Terræ Sanctæ, & multò minus aliarum partium Orientis, à communicatione mutua, & reciproca, quę includitur in ea generalitate ampliſſima, ſub qua loquuntur, Privilegia, & Conſtitutiones Pontificiæ præfatæ, ad hoc, ut Indulgentiæ ſæpè dictæ eiſdem conceſſæ, & uſque modo non revocatœ, obtineri valeant, ſine ullo dubio in aliis Eccleſiis, Altaribus, & Locis piis, ac devotis, ſpectantibus ad perſonas præmemoratæ obedientiæ, vel directioni ſubjectas &c. --

-- Nos verò præfatam declarationem commiſimus Congregationi dilectorum Fratrum noſtrorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium Concil.Trident. Interpretum, quæ ſub die 16. menſis Julii currentis anni,perpenſis prædictis literis dicti Innoc.XI. prædeceſſoris Noſtri,declaravit,prædicta loca, & Eccleſias Terræ Sanctæ, aliarumque partium Orientis extra Jeruſalem eſſe comprehenſa, ſive comprehenſas, in dictis Privilegiis,Indultis, & Indulgentiis; & deinde ſub die 27. ejuſdem menſis ſententiam prædictæ Congregationis approbavimus, ut in decreto dictæ Congregationis deſuper edito latius continetur. --

-- Sed quia adhuc poſt prædictum decretum dubitabant nonnulli, an mens dictæ Congregationis fuerit ſtabilire, quod pia loca Viæ Crucis, ſeu Calvarii ad recolendam, ſeu meditandam Chriſti paſſionem à præmemoratis perſonis, ſeu ordinibus ad inſtar Stationum Calvarii Montis, juxta diverſa etiam Privilegia Sanctæ Sedis erecta, comprehenſa ſint in pręfata mutua communicatione, eadem Congregatio ſub die 12. menſis Novembris, mox elapſi, declaravit etiam præfata pia loca Viæ Crucis, ſeu Calvarii comprehendi in ſæpè dictis literis dicti Innoc.XI., Prædeceſſoris Noſtri, ac proinde frui, ac gaudere poſſe Indulgentiis,& Privilegiis, in eiſdem literis contentis, & expreſſis, ac Nos ſententiam præmemoratæ Congregationis ſub die 15. ejuſdem menſis Novembris pariter benigni approbavimus, ſicuti in decreto præfatæ Congregationis,

de-

deſuper ſimiliter emanato, pleniùs continetur. --

Deinde committit executionem literarum Apoſtolicarum, declarationum, & decretorum præmiſſorum, & dat facultatem coercendi pœnis, & cenſuris contradictores. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem 27. Kalend. Januarii 1695. *Rubrica novi Breviari Franciſcani nu.* 182.

21 Amittitur privilegiũ per ipſius abuſum, ex *cap.* 45. *Contingit de ſent. Excom. lib.* 5. *tit.* 39. ubi Textus habet, quod *privilegia meretur amittere, qui permiſſa ſibi poteſtate abutitur*; ſic, qui in Eccleſia, vel Cæmeterio, ſpe impunitatis delinquit, immunitate Eccleſiaſtica non gaudet, ex *cap. Immunitatem lib.* 3. *tit.* 49. eodem titulo; & cum cauſa poteſt beneficium juris à privilegiato auferri, ut tradit Gloſſa *in regulam* 16. *Juris in ſexto, verbo idem*: & facit textus in allegato *cap. Contingit, quod fruſtra legis implorat, auxilum, qui committit in legem.*

22 Et per renunciationem expreſſam, ſi ſit datum in favorem particularis perſonæ: *nam liberum eſt cuilibet ſuo Juri renunciare. cap. Si de terra de privileg. lib.* 5. *tit.* 33, ſi tamen ſit in favorem Eccleſiæ, vel Communitatis conceſſum, eidem nullus renunciare poteſt; ſic Clerici nequeunt renunciare privilegio Clericali, & fori ex *cap. Si diligenti de foro competenti lib.* 2. *tit.* 2. cum non ſit perſonale, ſed datum toti Collegio Eccleſiaſtico.

23 Nec Regulares privilegio exemptionis ſine licentia Papæ *cap. Cum tempore de arbitris lib.* 1. *tit.* 43. Et ibi Gloſſa; & facit *Rota coram Remboldo deciſ.* 456. & 461. *coram Concino tom. ſuperius citato*; etenim exempti per privilegium exemptionis immediate ſubduntur Domino Papæ, & Eccleſiæ Romanæ; Ideo ſine ejus licentia in alium conſentire non poſſunt.

24 Et per tacitam, quæ interpretatione juris cenſetur fieri *per non uſum, ſeù uſum contrarium*; & controverſiæ, quanto temporis ſpatio, & quot actibus iſte *non uſus* privilegii, *vel uſus contrarius* debeat fuiſſe continuatus, ſatisfacit *Engel. Colleg. Univerſi Juris Canonici lib.* 5. *tit.* 33. Ubi varios Textus, & Doctores inter ſe conciliat, ſic ſcilicet, ut qui amiſſioni privilegiorũ ex *non uſu*, quadraginta annis præſcribunt, intelligantur de privilegiis ſemel receptis, & ad uſum deductis; qui verò minori tempore, V.G. decem annorum contenti ſunt, exponantur, vel de jure Civili, aut etiam Canonico, quo ad privilegia, quæ nunquam in uſum devenerunt.

 25 Item,

25 Item, ſi privilegium concedatur, appoſita clauſula, *donec voluero*, *uſque ad meum beneplacitum*, morte concedentis expirat; cum ea verba ſignificent perſeverantiam voluntatis, quæ morte interrumpitur; ut habet Textus in *cap.Si gratioſè*, *de reſcrip.in 6.lib.*1*.tit.*3. Non ſic,ſi ſub forma ibi expreſſa conferatur: *Secus autem*: Textus loquitur, *ſi uſque ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta*; *tunc enim* (*quia Sedes ipſa non moritur*) *durabit perpetuò*, *niſi à ſucceſſore fuerit revocata*.

26 Et cum ea additur formula, *etiam reintegra*, hoc eſt,etiam ſi Pontifex decedat, priuſquam privilegiatus ſuo utatur privilegio, privilegium non deperditur. Ut expreſsè firmat Textus in *cap.Si ſuper de officio Delegati in 6. lib.*1*.tit.*14. *&* *cap. Si cui nulla*, *de præbend.in 6.lib.*3*.tit.*4.

Unde ſi quis obtinuerit à Ponntifice,vel Epiſcopo, licentiam, aut privilegium audiendi Confeſſiones, abſolvendi à reſervatis, & diſpenſandi in certis caſibus, poterit ſuo uti privilegio (niſi aliter in literis conceſſionis exprimatur) etiam poſt mortem Pontificis, vel Epiſcopi. Præſertim, quia numeratur inter gratias factas, & non faciendas: quarum diſtinctio, juncta gloſſa, videatur *cap. citato,ſi cui nulla,& apud Layman. Theolog.moralis lib.*1*.tract.*4*.cap.*23*.num.*17*.& Engel.loco cit.* ubi iſtis plura addunt, & alia referunt.

CAPUT XXVI.

Officialis quoad Proceſſiones.

SUMMARIUM.

1 *Regulares teneutur accedere ad proceſſiones.*
2 *Aliqui eximuntur.*
3 *Et diſtantes ultra medium milliare.*
4 *Vicari debent perſonaliter, niſi conſuetudo reſiſtat.*
5 *Ad quas ſint vocandi?*
6 *Decretum S.C.ab Urbano VIII. deputatæ.*
7 *Regularibus non permittitur facere proceſſiones extra Clauſtra.*

8 *Ex-*

8 *Extra Clauſtra in diebus infra octavam Corporis Chriſti poſſunt quocumque die fieri proceſſiones.*
9 *Conſtit.Greg.XIII.*
10 *Conſtit.Innoc. XII.in favorem Fratrum Minorum de Obſervantia in Indiis exiſtentium.*
11 *Decretum,de non faciendis eodem die duabus ſimilibus proceſſionibus, non extenditur ad illas faciendas infra Octavam Corporis Chriſti.*
12 *Regulares non tenentur accedere ad Proceſſiones indictas ab Epiſcopo occaſione ſuæ primæ viſitationis.*
13 *Quibus pœnis debeant regulares compelli.*
14 *An uti poſſint Pluviali in Proceſſionibus?*
15 *An Pluviale ſit ſignum Iuriſdictionis?*
16 *Controverſias de Præcedentia componunt Epiſcopi.*
17 *Modus præſcribitur à Greg.XIII.*
18 *Confratres, qui prius ſaccis uſi ſunt, præcedunt.*
19 *Confirmatio Urbani VIII.*
20 *Epiſcopus ſine præjudicio partis poteſt alteri locum digniorem concedere.*
21 *Intra Clauſuram Monialium Proceſſiones ab exteris non poſſunt fieri.*
22 *Proceſſiones Regularium non tranſeunt per Monialium Eccleſias*
23 *De licentia Ordinarii poſſunt in proceſſionibus deferri B. M. V. & SS.Imagines & Statuæ.*

1 NON eximuntur Regulares ab onere accedendi ad proceſſiones, ut, revocatis privilegiis, ſi quæ habuerint, Leo X. *Conſt.Dum intra* ſæpe allegat:decrevit: -- ac ab eiſdem Prælatis ad proceſſiones ſolemnes pro tempore faciendas requiſiti, dummodo eorum loca ſuburbana, ultra unum milliare, à Civitatibus reſpectivè non ſint remota, accedere. -- Quod expreſſius Trid. *ſeſſ.25.cap.13.de regul.*diſpoſuit. -- Exempti autem omnes,tam Clerici Seculares, quam Regulares, quicumque, etiam Mona-
2 chi, ad publicas proceſſiones vocati, accedere compellantur; iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt.

Et compelli debent cum edita moderatione à S.C.C. 20. *Julii* 1675. *lib.29.decretorum fol.*110. & refert *Piaſec.prax.Epiſcop.*

*ſcop.par.2.cap.3.art.6.ſub num.*51. ut ſequitur : ſan. mem. Gregor.XIII. decrevit -- Regulares Monaſterii, ultra medium
3 milliare è Civitatibus diſtantis, non poſſe ab Epiſcopo compelli accedere ad proceſſiones, quæ intra Civitatem habentur.
4 Et, niſi conſuetudo reſiſtat, videtur non ſufficere, nec eſſe ad tenorem Concilii, quod per edictum vocentur : quia cum id intendit, expreſſe diſponit, ut *ſeſſ.24.de ref.cap.*18. ubi addit *per edictum, etiam publicum, vocentur*, ſcilicet examinandi ad Parochiale beneficium; ideo cenſet *Peyrin.de privil.tom.*1. *ad Conſt.2.Sixti IV.* §.11. 217. *perſonaliter, etiam ad conſuetas*, per aliquem invitari, & vocari debere: quod hic Romæ praxis confirmat.
5 Verum ad omnes Ordinariis eos vocare non conceditur, ſed *ad ſolemnes*, juxta phraſim Leonis: *& publicas*, ex diſpoſitis à Tridentino, de quibus diſtinctius Pius V.*Conſt.& ſi Mendicantium n.*26. -- ubi *poſtremo, quod cap.*13.*ſeſ.*25. Cautum fuit, quod omnes ſcilicet, tam Clerici, quam Regulares quicumque, ad publicas proceſſiones vocati compellantur, id, quoad Fratres præfatos, de illis tantum proceſſionibus intelligi volumus, ad quas ſecundum conſuetudinem antiquam locorum ſoliti ſunt accedere, vel quæ pro bono pacis Eccleſiæ, vel pro victoria contra infideles indicuntur. --

Et ſub aliis terminis declaravit, S.C.C. apud *Peyr.cit.ad Conſt.*7. §.29. -- Ordinarius poteſt præcipere Regularibus, ut eant ad proceſſiones publicas, ut, puta in feſto Corporis Chriſti, in Litaniis, & Jubileis publicis, faciendis in plebibus, in quibus ipſi habent Monaſteria; dummodo proceſſiones ſint ejus generis, quod in Bulla S.D.N.Pii V. Mendicantibus conceſſa, quæ incipit; Et ſi Mendicantium, publicata 17. Kalen. Junii 1567. comprehendantur: & dummodo Regulares non ſint ex illis Conventibus, Collegia nuncupatis, quæ in eadem Bulla excipiuntur. -- Ex quibus aperte patet præfatam *Conſt. Pii, ut alibi adnotavimus*, non eſſe revocatam à Gregor.XIII., niſi quatenus aliquid ſtatuit, quod Concilio Trid.adverſatur.
6 Et tandem *ſub 27.Julii* 1628. 21.*Auguſti, ac* 19. *Septembris ejuſdem anni*, habita fuit Congregatio particularis de ordidine Sanctiſſimi D.N. Urbani VIII., in qua PP., auditis Procuratoribus Ordinum, negotioque mature diſcuſſo, unanimiter cenſuerunt, poſſe Epiſcopos, pœnis ſibi beneviſis, compel-

lere

lere quoſcumque Regulares recuſantes, etiam Monachos, & quomodolibet exemptos, ad infraſcriptas proceſſiones accedere, atque illius intereſſe, exceptis dumtaxat in ſtrictiori Clauſura viventibus, & Monaſteriis ultra medium milliare à Civitate diſtantibus; nempe in die Feſto Sanctiſs. Corporis Chriſti, in Litaniis majoribus, in Rogationibus, ac in quibuſcumque aliis publicis, & conſuetis, vel pro bono, cauſa, aut honore publico, ab Epiſcopis indictis proceſſionibus; non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, conſuetudinibus, vel præſcriptionibus, etiam immemorabilibus; privilegiis, tantum Apoſtolicis, S.Conc.Trident.poſterioribus contrarium deſuper diſponentibus minime ſublatis. --

-- Regularibus autem, & Confraternitabus in Eccleſiis
7 Regularium eſſe permiſſum, intra eorum Eccleſiæ Clauſtra tantùm, proceſſiones facere, & non extra. Si verò Eccleſiæ Clauſtris careant, eiſdem Regularibus, & Confraternitatibus, licere proceſſiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem Eccleſiarum, hoc eſt, prope muros Eccleſiæ, & non extra dictum ambitum, niſi de licentia, & conſenſu, cum Cruce Parochi: privilegiis pariter, ut ſupra, Apoſtolicis contrarium diſponentibus in ſuo robore permanentibus, quibus per hoc decretum minime cenſeatur derogatum. *Pignatell. tom.* 1. *conſult.*121. & in terminis quoad proceſſiones faciendas per Regulares extra Clauſtra, refert *Donat. prax. regul. tom.*1. *par.*2. *tract.*13.*quæſt.*81.*num.*6. item fuiſſe diſpoſitum à S.C.Rituum, *ſub die* 28.*Februarii* 1628.

8 Extra Clauſtra ad ſolemniter proceſſionem faciendam in in quacumque die infra octavam Corporis Chriſti habent Regulares privilegium cum ampliſſimis derogatoriis, apud *Bullar.Cherub.tom.*2.*pag.*371. ex conceſſione Gregorii XIII., *Conſt. Cum interdum*, *ubi* §.2.*Nos tamen*, *&* *infra*, *motù proprio*, -- non
9 ad alicujus nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex mera deliberatione, & certa ſcientia noſtris, univerſis, & ſingulis, Clero, & Clericis, ac perſonis Eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quam quorumvis Ordinum, Religionum, & Militiarum, Regularibus, ut, litteris Pii prædeceſſoris hujuſmodi non obſtantibus, liceat ipſis, tam die ipſa Dominica infra octavam Corporis Chriſti, quam aliis totius octavæ prædictæ diebus, proceſſiones ſuas celebrare, nec ſuper eo, tam ab Ordinis Præ-

dica-

dicatorum hujuſmodi, quam aliis quibuſcumque perſonis, etiam prædictarum, aut quarumvis aliarum literarum, privilegiorum, vel conceſſionum prætextu, ſeu alias quomodolibet moleſtari, inquietari, vel perturbari, nec etiam aliquibus cenſuris, vel pœnis, etiam Eccleſiaſticis innodari, ſeu illas incurrere, poſſint, tenore præſentium concedimus, & permittimus. --

Et ſpecificum ab Innoc.XII. ſuper hoc obtinuerunt Fratres Ordinis Minorum, prout ſequitur.

10 – Venerabili Fr. Epiſcopo Quitenſi, ſive dilecto Filio ejus Officiali ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sua nobis dilectus Filius Fr.Nicolaus de Leon, Lector Jubilatus, S.Inquiſitionis Qualificator, Cuſtos, & Pater Provinciæ Duodecim Apoſtolorum de Lima, Secretarius Gener. Ordinis, & in hac Curia Cauſæ Canonizationis B.Franciſci Solani, & Provinciarum Quiten., & Liman. Fratrum Minorum S.Franciſci Procurator, petitione monſtravit. Quod in cauſa inter dilectos Filios PP. Dominicanos ex una, & PP.Minores de Obſervantia Familiæ Ultramontanæ, & Civitatis Quiten. partibus ex altera. -- Cum S.Rituum Congreg.ſub die decima menſis Februarii de anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo quinto decreviſſet, & declaraſſet: Competere PP.Dominicanis jus peragendi proceſſionem Sanctiſſimi Corporis Chriſti Dominica infra octavam illius privativè ad PP. Minores de Obſervantia, & ſignanter in Civitate Quiten., ita tamen, ut liceret eiſdem Patribus Minoribus eadem die Dominica infra octavam facere proceſſionem intra Clauſtra eorum Conventus. -- Pro parte eorumdem PP. Dominicanorum Provinciæ Quiten. habitus eſt recurſus ad ſan.mem.Innocentium Papam XI. prædeceſſorem noſtrum, ad obtinendam ſpecificam confirmationem præmemorati decreti, quam eis idem Innocentius prædeceſſor benignè impertitus eſt, per literas in forma Brevis: *Emanavit*, incipientes, ſub die vigeſima ſexta Martii, ejuſdem anni milleſimi ſexcenteſimi octuageſimi quinti expeditas. Verum cauſa hujuſmodi, cum juribus ex tunc ad Urbem pro Patribus Franciſcanis allatis, iterum coram eadem S.Congreg. ad plenum diſcuſſa, ipſamet Congregatio decretum edidit, quo præſcripſit, quid tandem obſervandum ſit ab utraque parte circa prædictam proceſſionem te-

noris

noris ſequentis, videlicet: In cauſa Quiten. inter PP.Ordinis Minorum Familiæ Ultramontanæ,Conventus Civitatis Quiten. ex una, & PP.Dominicanos ejuſdem Civitatis ex altera, partibus, à dilecto Filio noſtro Cardinali Pamphilio repropoſita dumtaxat ſuper dubio proceſſionis SS.Corporis Chriſti,eadem S.Congreg. auditis utriſque partibus, tam in voce, quam in ſcriptis informantibus, -- cenſuit: recedendum à deciſis, & in caſu, de quo agitur, licere Patribus Franciſcanis facere proceſſionem die Dominica infra octavam SS. Corporis Chriſti: ſed PP. Ordinis Prædicatorum de mane, Patribus verò Minoribus de ſero, & ita decrevit, & ſervari mandavit, die vigema quarta Martii, milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſexti. Attamen non acquieſcentibus prędictis PP.Ord.Minor.Famil. Ultramon. Conventus Quiten. hujuſmodi decreto in ea tantum parte, in qua hora peragendi proceſſionem ipſis præſcribitur, repropoſito ab eodem Cardinali Pamphilio in Sac. Rituum Congregatione hujuſmodi dubio, eadem Congregat. PP. Dominicanis, licet citatis, non informantibus; -- In deciſis ſuper negocio principali, & licere PP. Franciſcanis facere proceſſionem, etiam de mane, diſtinctis tamen horis, ab Epiſcopo præſcribendis,cenſuit, & ita ſervari mandavit, die ſeptima Aprilis, milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſexti; -- Sed ab hujuſmodi decreto reclamantibus PP.Dominicanis, propoſita iterum cauſa per præfatum Cardinalem Pamphilium,utraque parte informante,& juribus hinc inde diſcuſſis; Sac.Cong. prædicta reſcribendum cenſuit. -- In deciſis ſuper negocio principali. & licere PP.Franciſcanis facere proceſſionem extra Clauſtra per loca ſolita, etiam de mane, diſtinctis tamen horis ab Epiſcopo, & data electione horæ Patribus Dominicanis, à qua ſemel electa, non liceat amplius recedere, & ita decrevit, & ſervari mandavit, die prima Septembris, milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi ſexti. -- Verum quia, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicti Patres Franciſcani dubitant, ne executio,& obſervatio decreti hujuſmodi à dictis Patribus Dominicanis forſan impugnari poſſit, & in ſimili eventu idem decretum ſuo fruſtretur effectu; Ideo prædictus Frater Nicolaus ad Nos recurrit,humiliter ſupplicando, quatenus tibi, ut ad executionem dicti decreti juxta illius tenorem, & formam procedas, Apoſtolica auctoritate committere, aliàſque ſibi in præmiſſis

opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ſtatum, & merita cauſæ hujuſmodi præſentibus pro expreſſis habentes, ipſumque Fratrem Nicolaum à quibuſvis excommunicationis, ſuſpentionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis,cenſuris,& pęnis,ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; Fraternitati tuę, Frater Epiſcope, ſive diſcretioni tuæ,fili Officialis, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus tu, vocatis, qui fuerint evocandi, ad executionem memorati decreti juxta illius formam, & tenorem, auctoritate noſtra, prout de jure, procedas, procedique mandes, & facias. Nos enim tibi, dictos Patres Dominicanos adverſarios, omneſque alios, quos opus erit, etiam per edictum publicum, conſtito de non tuto acceſſu, citandi, illiſque, & quibus videtur, ſub ſententiis, cenſuris, & pœnis inhibendi, contradictores in illas, ſervata forma Concilii Trid., incidiſſe, declarandi, aggravandi, reaggravandi, & interdicendi, auxiliumque brachii ſecularis, ſi ad hoc opus fuerit invocandi, necnon dictos adverſarios ad obſervationem prædicti decreti omnibus juris, & facti remediis compellendi, aliaque in præmiſſis quomodolibet neceſſaria, & opportuna faciendi, exercendi, & exequendi plenam, & liberam, dicta Apoſtolica auctoritate, earumdem tenore præſentium concedimus facultatem, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ milleſſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſexto, quinto Kalend:Martii, Pontificatus Noſtri Anno ſexto. --

11 Unde decretum S.C.Rituum de Anno 1633. 9.*Aprilis*, *apud Floſ. Nicol. verb. proceſs.num.*12. diſponens non eſſe permittendas in eodem loco, & eodem die duas ſimiles proceſſiones, non ampliatur ad præfatas faciendas infra octavam Corporis Chriſti.

Non adeſt apud Ordinarios locorum facultas compellendi Regulares ad intereſſendum proceſſionibus, ab iiſdem, ſed
12 non pro bono publico, ſed occaſione ſuæ viſitationis,indictis, ut notavit *Peyrin.ad Conſt.*2. *Julii* 2. §.25. *num.*66. & decrevit S.C.C.*in Anagina Proceſſionis ſub die* 9.*Decembris* 1662. -- quę

ad

ad dubium, an Fratres Strictioris Obſervantiæ potuerint ab Ordinario loci compelli ad proceſſionem indictam, occaſione ſuæ primæ viſitationis; cenſuit, non potuiſſe. -- *Lant.verb.proceſſio*: ubi plura refert ſuper erectione Crucis per Capuccinos in proceſſionibus.

13 Cujus autem generis debeant eſſe pœnæ, quibus ad proceſſiones per locorum Ordinarios poſſunt Regulares compelli, vide *cap. Officialis quoad exemptionem &c.*

An autē poſſint Regulares uti Pluviali in proceſſionibus, de licentia Epiſcopi per eos faciendis, ſi in ea expreſſus non fuerit uſus præfati, reſolvendum ut infra.

-- Supplicante humiliter P.Procuratore Generali Ordinis Minorum Obſervantium S.Franciſci à Sac. Rituum Congregatione declarari infraſcripta dubia. --

14 Primum. -- An Guardiani Ordinis Minorum Obſervantium S.Franciſci Provinciarum Regni Neapolis, obtenta licentia ab Ordinariis locorum oretenus, vel in ſcriptis faciendi ſolemnes proceſſiones per Civitates, vel Oppida extra limites Conventuum ſuæ Religionis, cum Statua, aut Reliquia alicujus Sancti, poſſint Religioſi ſui Ordinis uti Pluviali, licèt in licentia obtenta non fuerit expreſſus uſus Pluvialis?

15 Secundum. -- An uſus Pluvialis in proceſſionibus ſolemnibus ſit teſtimonium, & ſignum juriſdictionis in utente Sacerdote?

Sacra eadem Rituum Congregatio cenſuit reſpondendum.

Ad primum. *Affirmative.*

Ad ſecundum. *Negative*, & ita declaravit *die* 21. *Martii* 1699.

16 Controverſias de præcedentia in proceſſionibus publicis,ſeu etiā inter ſeculares Clericos,& Confratres exortas,componere ad Epiſcopum ſpectat,ex Trid. ibidem, cui modus ſuper ea re tenendus præſcribitur à Gregorio XIII. *Conſt. Expoſcit*; *Bullar. Cherub. tom.2.pag.467. ubi* §.3. -- de nobis attributæ poteſtatis
17 plenitudine, volumus, & Apoſtolica authoritate decernimus, quod quicumque ex dicti Fratribus Mendicantibus, inter ſe de præcedentia hujuſmodi contendentibus, aut Confratribus Confraternitatum prædictarum, inter quos lites, & cauſæ, præmiſſorum occaſione, ortæ jam ſint, ſeu oriri contigerit in

futurum, qui in quaſi poſſeſſione præcedentiæ, ac juris præcedendi ſunt, ii (quibuſcumque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus, & aliis ſubterfugiis, prorſus remotis, & ceſſantibus, & poſtpoſitis) in Proceſſionibus, tam publicis, quàm privatis præcedere debeant; quando vero non probetur aut non conſtet de quaſi poſſeſſione præcedentiæ hujuſmodi, inter Fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controverſiæ, inter Confratres vero inter ſe litigantes, ii, qui
18 prius ſaccis uſi ſunt,in proceſſionibus,tam publicis, quam privatis, præcedere debeant, ita ut, ſi contigerit nova Monaſteria, aut domus alicujus Ordinis Mendicantium, in loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus Monaſteria, aut domus, prius erecta, & inſtituta ſint, ille ordo, qui prius Monaſterium, ſeu domum in loco habuerit, præcedat. -- Quod cum literis diverſis à S.Cong.Epiſc.& Regul variis Ordinariis locorum (in terminis ſimilis controverſiæ ortæ in Civitatibus Arben. inter Fratres Convent. & Obſervantes: Caſſanen. inter ipſos Conventuales, & PP.Ordinis Prædicatorum, & Ferentina inter iſtos, & Fratres de Obſervantia) directis,confirmatur ab Urbano VIII.*Conſt.Nuper pro parte: die* 18.*Decembr*. 1637. & refert *Piaſec.cit.ſub.num.*52. prout ſequitur; -- nuper & infra: de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, eiſdem Regularium negotiis præpoſitorum conſilio, præinſertas literas ab eiſdem Cardinalibus, aliàs utcumque in
19 caſibus particularibus emanatas, cum innitantur juſtitiæ motus proprii Gregorii XIII. hac de re editi, & ſint conformes declarationibus Sacrarum Trid.Concil., & Rituum Congregationum, ut, qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ, præcedant;& ubi non probatur, aut non conſtat de poſſeſſione, præcedant ii, qui ſunt antiquiores in loco controverſiæ, eſſe generaliter obſervandas, ubicumque contigerit de eadem præcedentia dubitari, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium præcipimus, & mandamus. Decernentes irritum, & inane ſi ſecus, ſuper his à quocumque quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. --

20 Verumtamen ſi in ipſomet facto proceſſionis occurrat inter partes ſuper præcedentia litigium, poteſt Epiſcopus in vim diſpoſitionis Conciliaris, litigantibus pro tunc ſilentium injungere, & uni ex parti locum digniorem concedere, facta eis

cau-

cautela, quod ſimili actu præjudicium irrogare, non intendit juribus ad litem ſi eam promovere velint apud Apoſtolicam Sedem. Ut in terminis tradit *Piaſec.cit.num.*53.

21 Intra Clauſuram Monialium fieri non debent ab exteris proceſſiones, neque cum Sanctiſs. Sacramento, ut S.Congr. firmavit 23. *Aprilis* 1602. apud *Nicolio Floſcul. verb. proceſſio num.*18.*&* *num.*19. ex S.Congr.*ſub die* 27.*Martii* 1602. refert,

22 permittendum non eſſe, quod proceſſiones Regularium tranſeant per Eccleſias Monialium, licet adeſſet conſuetudo, etiam eis ſubjectarum *Lezana ſum. quæſt. regul. tom.*4. *verb. proceſſio ſub num.*11.

23 De licentia Ordinarii poteſt in proceſſione deferri Imago B.Mariæ Virginis cum Baldachino, & intotitiis, prout S. C. apud *Nicol.cit.*20.*Julii* 1621. ſicut ejuſdem aſſenſu Imagines, & Sanctorum Statuæ, ibidem 15.*Julii* 1647.

CAPUT XXVII.

Officialis quoad Profeſſionem.

SUMMARIUM.

1 *Profeſſio religioſa deſcribitur.*

2 *Annus probationis, & ſextus decimus ætatis, debet eſſe completus.*

3 *Profeſſio, per aliquas horas emiſſa ante tempus præfixum, eſt nulla.*

4 *Annus probationis computatur de momento in momentum.*

5 *Annus eſt favorabilis Religioni, & novitio.*

6 *Quid dicendum de Anno biſſextili?*

7 *Differentia Anni Civilis, & naturalis.*

8 *Quando incipiat tempus Novitiatus.*

9 *Annus Probationis debet eſſe continuus.*

10 *Quando Novitiatus interumpatur?*

11 *Quid dicendum de Novitio commorante extra Monaſterium cum licentia Superioris?*

12 *Profeſſio emittenda in manu Superioris.*

13 *Profeſſio, alia expreſſa, alia tacita.*

probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur; profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcumque effectus. --

3 Ex quo ſequitur, probationis, & decimum ſextum ætatis annos, debere éſſe completos, adeout nullius valoris ſit profeſſio emiſſa, peracto anno probationis, ipſa die ſuſceptionis habitus, ſed ante horas circitèr quinque, & per aliquas horas ante ætatis annum decimum ſextum expletum; quia ſemper verificatur, quod fuerit emiſſa ante decimum ſextum annum completum, & profitens in probatione ſteterit minori tempore, quam per annum; etenim etiam una hora pars temporis dicitur.

4 Propterea probationis annum, ut ſit integer, debere computari de momento in momentum, hoc eſt, ab hora diei, in qua ſuſcipitur habitus, uſque ad eandem horam ultimi diei ejuſdem anni: tenet *Miranda Man. Prælat. tom.* 1. *quæſt.* 22. *art.* 3. *Sanct. ſuper ſtatut. S. Franciſci cap.* 2. *ſtat.* 43. *Lezana Sum. qq. tom.* 1. *cap.* 2. *num.* 10. *Donat. praxis Regular. tom.* 2. *par.* 2. *tract.* 9. *quæſt.* 5. *Fagnan. cap. ad noſtram de Regularibus. Pignatel. tom.* 10. *conſ.* 11. *num.* 1. *Hasben. Summa ſelecta qq. verb. Novitius num.* 318. *& verb. profeſſio Regularis num.* 423. refert *Sac. Cong. ſub die* 21. *Januarii* 1617. *declaraſſe profeſſionem emiſſam non completo anni curriculo, etiam per duas horas tantùm, non valere.*

Nec obſtat, quod in favorabilibus dies incępta habeatur pro completa, & conſequentèr, quod non ſit expectandum ultimum inſtans; quia id etiam, ut benè advertit Sanctoro, dici poſſet de una hebdomada, quæ reſpectu totius anni pars notabilis non cenſetur; Undè id eſt verum, quando lex, & praxis non reſiſtunt, ut in caſu, in quo cum generalitèr loquatur, etiam minimum includit per *Donat. loco cit.*, *& per Pignatel. loco adducto habetur*, quod tempus ordinatum a lege debet eſſe completum ad ultimum uſque momentum.

5 Imò id directè probat intentum, cum ex *Fagnan. num.* 32. annus probationis inſtitutus, ſit favor, tam Novitii, quam Religionis: favor Novitii attenditur, ut nullum momentum præripiatur ei ad probandam auſteritatem Religionis, & uſque ad ultimum inſtans ſit in libertate ad ſe alligan-

gandum jugo Religionis; cujus favor ex eo habetur, ut probet mores Novitii, & ſibi eum non acquirat, niſi poſt integri anni deliberationem: etenim ſic voluntarios milites habet.

6 In anno biſſextili expectandus eſt etiam dies, qui de novo additur; adeout, qui die v. g. 24. *Martii* habitum ſuſceperit, non poſſit profeſſionem emittere die 23. ejuſdem menſis, propter additionem unius diei factam Februario; quia duo dies eo anno, ſecundum legem, ex *Miranda*, *Lezana*, *Sanctoro cit.*, reputantur pro uno; addit *Donat. quæſt.* 6. annos, & dies eſſe computandos ſecundum ritum, & uſum Eccleſiæ, quæ niſi bis dicatur ſexto Kalendas (die nimirum 24., & 25. Februarii) annum expletum non cenſet. Unde *Hasb. cit. n.* & *v. profeſſio* refert Sac. Cong. *ſub* 5. *Junii* 1627. *declaraſſe, nullam eſſe profeſſionem, ſi ſit emiſſa in anno Biſſextili, non expectato lapſu illius diei, qui tum de novo additur.*

7 Concilium diſponens annum debere eſſe completum, de anno naturali, eo ſcilicet, *dies* 365., & ſex horas, continente, qui de momento in momentum computatur, intelligitur ex *Fagnan. ſub nu.* 35. *Verbo quartum ibidem*, & non de civili (vulgari, ſeù artificiali) qui 365. diebus abſolvitur ſic, ut, qui ad initium ultimæ diei pervenerit, annum compleviſſe dicatur; & ex eo probatur, quia ex dictis eſt favor, quod tempus probationis protrahatur uſque ad poſtremum momentum.

8 Annus probationis incipit à momento ſuſcepti habitus, vel ab eo, in quo Novitii recipiuntur in Conventibus, à Sancta Sede pro Novitiatu deſignatis, & taxatis, ad effectum, ut ipſi Religionis aſperitates experiantur; & eorum mores, & obſequia ipſa, integro anno, probet, ad formam decret. Clementis VIII. *Regularis ſub die* 12. *Martii* 1596.: & Sanctiſſimus *die* 20. *Junii* 1599. ubi Superiores tranſgredientes, ipſo facto, privantur omnibus officiis, quæ obtinent, & pœnam vocis activæ, & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, incurrunt. *Bull. Cherub. tom.* 3. *pag.* 127

9 Annus probationis continuus eſſe debet uſque ad profeſſionem incluſivè, ità quod, ſi Novitius ante profeſſionem emiſſam, habitum dimittat, animo Religionem deſerendi; ſi poſtea intra eundem dimiſſionis diem pœniteat, & velit habitum

bitum reaſſumere, indigeat nova admiſſione, & receptione, ut iterum poſſit eſſe Novitius, & annum probationis incipere teneatur, quia ex tunc ſtatum, quem habebat, amiſit.

Et ad id facit, quod Sac. Cong. apud *Fagnan. num.* 27. conſulta à Procuratore Generali Ordinis Minimorum: an Novitius, *qui à Monaſterio, ut aliam Religionem ingrederetur, abierat, ac duas tantum horas in alio Conventu moram traxerat: ac ſtatim deinde facti pœnitens, reverſus fuerat, teneretur incipere novum annum probationis?* Reſpondit *teneri ab eo die, quo rediit*.

10 Idem dicitur apud *Hasbenſem Verb. Novitius*, de eo, qui habitu retento è Conventu aufugeret, etiam animo redeundi, quia jugum Religionis fregit: ſecus de illo, qui ſubitanea paſſione motus habitum deponeret, & ſe veſtibus ſecularibus indueret, non voluntate diſcedendi; dummodo actum retractaret, priuſquam è Conventu egrederetur; etenim expoliatio illa habitus cum effectu egreſſionis coniuncta non fuit, adeoque inſufficiens, ut per eam Novitiatus interrumpi dicatur; ut pluribus cumulatis tradit *Sanctoro loco cit.* & generaliter annus probationis diſcontinuari non dicitur, ſi cum expoliatione habitus non coniungitur egreſſio è Monaſterio: plures alios caſus *ibidem refert Sanctoro*.

Qui intra annum probationis cum habitu, & licentia Superioris extra Monaſterium, aliqua juſta cauſa, egreditur, licet ibidem per aliquod tempus commoretur, non dicitur per *Miranda cit. art.* 5. annum diſcontinuare, & profeſſio ab
11 eo facta tenet. Rationem affert ex Navarro, ex quo Religioſus manens extra Monaſterium ſub obedientia ſui Superioris, & de ipſius licentia, dicitur reſidere intra illud; & alienum non eſſe tradit *Sanctoro cit.* de quo verificatur, quod per annum integrum in probatione ſteterit, tametſi partim fuerit in Monaſterio, partim extra; etenim ſemper ſtetit ſub obedientia ſui Superioris, de ejus licentia, & cum Religionis habitu. In nullo jure ſtatutum eſt, ut Novitius probet, & experiatur omnes aſperitates Monaſterii in eodem, vel in individuo, aut ſpecie, ſed ſufficit, ut eas experiatur in genere, exiſtendo per totum annum ſub obedientia Prælati.

Et patet de Novitio infirmo, qui licet pluribus menſibus in infirmaria extra Conventum, pro Novitiatu taxatum, ſub

obedientia Superioris maneat, in fine anni, per DD., validè profeſſionem emittit, quamquam non ſit expertus in individuo omnes aſperitates Monaſterii: hæc habet Miranda.

Limitat Sanctoro, ut, ſi exiſtentia extra Monaſterium (excipe tamen caſum infirmitatis) protrahatur ad tres, vel quatuor menſes, annus interrumpatur; hujuſmodi enim egreſſio notabilis cenſetur contra finem probationis, & Pontificum mentem, qui diſpoſuerunt non eſſe alibi Novitios ad probationem recipiendos, quam in Conventibus pro Novitiatu deputatis.

12 Profeſſio emitti debet in manu Superioris habentis poteſtatem incorporandi in Religione, vel de ejus licentia in manu alterius: *Miranda qu.* 24. *art.* 3. quæ, & non habitus, Monachum facit; licet habitus extrinſecè, & ad ſenſum Monachos diſtinguat.

Profeſſio alia expreſſa, alia tacita; expreſſa emittitur ver-
13 bo in manibus Superioris, ut diximus; an autem nutibus, & ſignis fieri poſſit, affirmat *Fagnan. cap. vidua de Regularibus* loquendo de muto, & ſurdo à nativitate.

Tacita, ut nomen ſonat, eſt, quæ fit ſine voce, & ſcriptura, quæ inducitur per exercitium actuum profeſſorum; Undè Novitius ſpontè ſuſcipiens tonſuram Monachalem, ubi corona à ſolis profeſſis geſtari ſolet, efficitur tacitè profeſſus, & tacitam profeſſionem emittere intelligitur, ſi ordines ſacros recipiat ad titulum Religionis; ut notavit *Fagnan. num.* 25. 26. verum, *ut ibidem obſervat*, & tradit *Sperell. deciſ.* 161. *num.* 42. eorum exercitio non inducitur; niſi hic notanda copulativè concurrant.

14 I. Requiritur, ut, qui ſe hujuſmodi actibus immiſcet, ſit Novitius, hoc eſt, in loco probationis exiſtat.

II. Ut actuum exercitium ſpontè, & ſine ulla violentia aſſumat; alioquin à tacita profeſſione excuſatur.

III. Ut ſciat actus ad ſolos profeſſos pertinere, quia data ignorantia, ceſſat præſumptio tacitæ profeſſionis.

IV. Ut habeat animum poſitivum profitendi; quem in foro Eccleſiæ juris præſumptione habuiſſe cenſetur, cum actibus profeſſorum ſe immiſceat; adeout non ſit audiendus ex *Fagnan. num.* 30., etiam ſi juramento, velit contrarium probare.

V. Ut

V. Ut ſit legitimę ætatis ad profitendum, hoc eſt, ut ſit major annorum ſexdecim ad formam Tridentini.

VI. Ut hujuſmodi actus faciat auctoritate, & conſenſu Superiorum, quorum eſt Religioni incorporare.

VII. Ut Novitius, qui ſe actibus profeſſum immiſcet, per integrum annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit; alioquin non intelligitur tacitè profeſſus, quia Trident. *cit. cap.* 25. irritam declarat profeſſionem antea factam, adeoque & tacitam. Videatur *Fagnan. loco cit. & ibidem cap. ſtatuimus; ac cap. quia ingredientibus de Teſtament. & cap. nullus de Regularibus*, ubi *num.* 10. refert Sac. Cong. Concil. declaraſſe ſuis decretis Tridentinum, profeſſionem tacitam non excluſiſſe, dummodo ſerventur, quæ in eis diſponit.

15 Non ſubſiſtit profeſſio liberè non emiſſa, ſed per vim, & metum extorta; & quatenus, quis prætendat ſe nullitèr profeſſionem emiſiſſe, id probare debet, ad formam decreti Sacroſancti Concil. Trid. quod *ſeſſ.* 25. *cit. cap.* 19. *de Regul. ſtatuit*, ut ſequitur: -- Quicunque Regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem: aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile; velitque habitum dimittere quacumq; de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis, & tunc non alitèr, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & ordinario. Quod, ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quamcumque cauſam admittatur; ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam Apoſtata puniatur; interim verò nullo privilegio ſuæ Religionis juvetur. --

16 Igitur cauſæ nullitatis debent intra quinquennium à die profeſſionis copulativè deduci coram Ordinario, & Superiore Regulari. Et non auditur ille, qui habitum dimiſerit, niſi priùs reaſſumpſerit, & ad Monaſterium redierit.

17 Quinquennium Concilium inducit, ut modum adhibeat, & terminum pręfigat litigiis, quæ occaſione profeſſionis invalidę, oriuntur inter Superiores, & ſubditos. Iſti enim exiſtimantes ſe nullitèr profeſſos Superiorum mandata non ſervant, nec Regulariter vivunt. Ideo decrevit, ut, ex cauſa allegatæ nullitatis, nulli liceat habitum dimittere, niſi

infra quinquennium , cauſas coram Superiore , & loci Ordinario deducat eo fine , ut eas ipſi Sac. Cong. Concil. referant, a qua declaratoria nullitatis eſt obtinenda .

18 In præfixione quinquennii inducit Concilium quandam præſcriptionem , qua nullitèr profeſſus contra Religionem pręſcribit alimenta , victum, nimirum, veſtitum, & habitationem , quo ad vixerit ; adeo ut , quinquennio expleto , ex *cap. nullitatis profeſſionis* , amplius eiici non poſſit , ſemperque uti filius , & ſubditus in Religione haberi , & tractari debeat .

19 Ex oppoſito, Religio contra eum præſcribit ſuperioritatem , & omnimodam juriſdictionem , adeout ille non poſſit poſtea e Religione exire, ſed teneatur ibi perpetuò convivere ad formam decreti Sac.Cong.Concil. apud *Fagnan. cap. ſi quis de Regul. num.* 48. , quę cenſuit hujuſmodi profeſſos , elapſo quinquennio pręfinito in dicto *cap.* 19. *ſeſſ.* 25 *de Regul.*, nullatenus eſſe audiendos ad allegandas cauſas nullitatis profeſſionis , ſed debere in Religione perſeverare .

20 Limitatur niſi ex juſta cauſa impetraverint à Sede Apoſtolica reſtitutionem in integrum adverſùs lapſum quinquennii .

Et uſque dum id obtineant , etiam in foro animæ , & apud Deum , ad Regulæ obſervantiam tenentur ; adeout mortaliter peccent, ſi habitum dimiſerint . Etenim Concil. *eodem cap.* 19. *eos* , ut Apoſtatas eſſe puniendos decernit : pœna autem hujuſmodi Apoſtatis debita eſt excommunicatio ; ex *cap. ut periculoſa ne Clerici, vel Monachi in* 6. *lib.* 3. *tit.* 24. quæ,ſi
21 abſolutè proferatur,pro majori ſupponit *cap. ſi quem de ſent. excom. lib.* 5. *tit.* 39.,niſi ex contextu verborũ,alitèr de mente Legiſlatoris appareat,ut notavit *Engel. Colleg. uni. jur. can. lib.* 5. *tit.* 39. §. 2. *n.* 29. & ferri non poteſt,niſi pro mortali peccato,ut ex-
22 preſsè habetur *cap. Nemo Epiſcoporum cauſa* 11. *quæſt.* 3. , ergo nulliter profeſſi , dimittentes habitum contra Concilii prohibitionem , mortalitèr peccant , conſequenter ad perſeverandum in Religione ſub mortali culpa aſtringuntur .

23 Pręſertim etiam, quia Concilium procedit per verba imperativa *tamquam Apoſtata puniatur* , quæ, ex *Fagnan. loco cit. num.* 63. de ſua natura præceptum important . Et quod *imperatur neceſſe eſt fieri* , ut diſponit *Textus cap. quod præcipitur C.*

14. *quæſt.*

14. *quaſt.* 1. , & cum Concilium pręcipit , vim habet obligandi ſub mortali, ut expreſsè firmavit Sac. Congr. Concil. *apud eundem num.* 40. quæ conſulta, -- an Epiſcopus incurrat aliquam pœnam non utendo in exemptos juriſdictione, aut in loca exempta, quam ei Concilium concedit &c. *Reſpondit*, nullam pœnam incurrere, ſed in illis caſibus, in quibus decreta Concilii utuntur verbis præceptivis, ſeù obligativis, incurrere peccatum mortale. --

25 Et procedit etiam per verba negativa *non audiatur*, quæ efficaciùs obligant, & magis præcisè aſtringunt; Undè DD. communitèr dicunt præcepta negativa obligare ſemper, & ad ſemper.

26 Inſtitutiones, & decreta ſuper receptione, & Novitiorum educatione generaliter juſſu Clem. VIII. *ſub die* 19. *Maii* 1603. *edita*, refert *Bullar. Cher. tom.* 3. *pag.* 128. & alia ſpeci-
27 ficè emanata de mandato Innoc. X. *die* 15. *Octobris* 1654. reſtricta ad Fratres de Corpore Obſervantiæ (quorum obſervantiam deſiderat, & eis iniungit Sac. Cong. ſuper Diſciplina Regulari, dum poteſtatem facit admittendi ſeculares ad habitum) videri poſſunt apud *Lantuſ. ver. Novitius num.* 5. ex quo ſummatim neceſſaria huc transfero.

I. Deputantur Conventus pro Novitiatibus, & profeſſoriis.

II. Recipiendi examinantur à Provinciali, & Diffinitorio, & per vota ſecreta approbantur, ſi fuerint idonei reperti.

III. Nullus approbatur pro Clerico, qui decimum quintum, nec pro Laico, qui vigeſimum ętatis ſuę annum, non expleverit.

IV. Examinatores manu propria examen ſubſcribunt, & Juramento firmant; & obſignatum tranſmittitur ad Superiorem Generalem.

V. Non priùs admittantur ad habitum, quam Superior Generalis miſerit ad Provincialem nomina eorum, quos ipſe prælegerit.

VI. Non admittantur ad profeſſionem, niſi ter in anno, hoc eſt, quarto quoque menſe, per vota ſecreta à majori parte Fratrum habiles fuerint inventi.

VII. Fratres voto careant, niſi in eo Conventu à duobus

bus menſibus fuerint actu de familia.

VIII. Nullus profeſſionem emittat, niſi elapſo anno à ſuſceptione habitus.

IX. Si receptus ante profeſſionem expelli contigerit, vel à Religione diſceſſerit, alius in ejus locum ſubrogetur, ſervata forma preſcripta.

X. Poſt profeſſionem emiſſam, ſtatim in loco diſtincto à Novitiatu, & antiquorum profeſſorum habitatione collocetur in eodem Conventu, ſi profeſſorium aderit, vel in alio, ubi reperitur.

XI. In profeſſorio ſub ſtrictiori vivendi modo degant, quam antiquiores profeſſi.

XII. Alterius exterioris obedientiæ, officia non debent exercere.

XIII. In profeſſorio permaneant uſque ad ætatem ſuſcipiendi Sacros Ordines, vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem.

XIV. Quo tempore poterunt ſtudiis operam dare.

XV. Guardianos, Magiſtros, & cęteros de familia, tam in Conventu Novitiatus, quam Profeſſorii, conſtituat Provincialis una cum Definitorio.

XVI. In præfatis Conventibus collocentur Religioſi graves, devoti, Religioſę obſervantię amatores, & vitam communem ſervantes.

Sciendum quod per diſpoſita in Capitulo Generali 1676.
28 Novitii præfati Ordinis, ſtatim poſt profeſſionem, non collocantur ad Triennium in profeſſoriis, deputatis ad tenorem Decretorum Inn. X., ſed ſtatim, ad annum transferuntur ad Conventus Recollectionis, ad formam Statutorum ejuſdem Capituli ab Inn. XI. *Conſt. Militantis* in forma ſpecifica, & cum inſertione confirmatorum *Orbis Seraph. tom.* 4. *pag.* 217.

29 Refert *Lantuſca verbo Profaſſoria n.* 3. *S. Cong. ſuper Stat. Reg.* pluries declaraſſe, debere Clericos per triennium permanere in profeſſoriis, tametſi ſint in ætate ſufficienti ad ſuſcipiendos Sacros Ordines.

30 Et quia Inn. XI. *Conſt. Sollicitudo Orb. Seraph. cit. pag.* 223. diſponit recipiendos debere inſtrui de præceptis Regulæ prædicti Ordinis, & præmittendam eſſe proteſtationem priuſquam

pro-

profeſſionem Novitii emittant. Ideo *Conſt. Textum* exhibeo. *Sollicitudo*, & infra.

31 §. I. -- Cum itaque (ſicut accepimus) in pluribus Capitulis Generalibus Ordinis Frat. S. Franciſci nuncupatorum, & noviſſimè in Valliſoletano, quod anno 1670. celebratum fuit, unanimi omnium Fratrum vocalium conſenſu, declaratum, & proteſtatum fuerit in nullo Regulæ eorundem Fratrum Minorum præcepto, eatenùs cum Fratribus Minoribus de Corpore Obſervantiæ, ſive Obſervantes, ſive Refor., ſive Diſcalceati, ſive Recollecti dicantur, diſpenſatum fuiſſe, nec ipſum Obſervantiæ Corpus ullam unquam admiſiſſe, vel admittere diſpenſationem in Regula, ſed potiùs velle pro viribus, Divino favente auxilio, illam purè obſervare, juxta Summorum Pontificum declarationes à Fratribus Obſervantibus, ſeù de Obſervantia in ſuis Statutis Generalibus recōpilatis pro Ciſmontanis anno 1663., & pro Ultramontanis anno 1621., ac à Reformatis, Diſcalceatis, & Recollectis in ſuis particularibus Conſtitutionibus reſpectivè admiſſas, & receptas. (Dictio reſpectivè facit, ut ſingula ſingulis ſint referenda. -- *Gobat. tom. 2. Oper. Moral. tract. 3. cap. 6. Append. 2. ſub num. 32. lit. A.*)

§. II. -- Nos pro majori hujus proteſtationis firmitate, & ut in ordine præfato ſtatus, & Regula Fratrum Minorum purè obſervetur, ſingulïſque Fratribus prætextus eam tranſgrediendi percludatur, eandem proteſtationem, & declarationem ſupra expreſſam, harum ſerie, auctoritate Apoſtolica, approbantes, & confirmantes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium declaramus, omnes, & ſingulos Fratres de Corpore Obſervantiæ dicti Ordinis teneri in conſcientia obſervare Regulam Fratrum Minorum S. Franciſci, & præcepta ejus, à fel. record. Nicol. III. & Clem. V. Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris, expoſita, & numerata ad formam Conſt. prædictarum reſpectivè, & ſignantèr præter præcepta, quæ non ita frequentèr occurrunt, & recitationem Divini Officii, teneri ad jejunia, præcepta in Regula, niſi excuſet neceſſitas: ad incedendum ſine calceamentis, hoc eſt abſque aliquo, quod pedem cooperiat, cujuſcumque illud materiæ ſit, niſi adſit vera neceſſitas à Prælato approbanda,

banda : ad non equitandum, niſi infirmitas, vel neceſſitas, judicio Superiorum probata, excuſet : ad vilitatem veſtium juxta prædictas Conſtitutiones reſpectivè : ad non utendum pluribus veſtimentis, quam illis, quæ Regula præſcribit, nempe una tunica cum caputio, & alia ſine caputio, corda, & femoralibus; nam aliud quodvis veſtimenti genus ultra prædicta (excepto mantello ab initio Religionis licito) ut induſia, ſeù camiſiæ, ſudariola, tunicellæ, & ſimilia, ſunt contra Regulam, niſi adſit vera neceſſitas excuſans à præcepto per Prælatum approbata. --

§. III. -- Ac demum teneri ad capitale præceptum Religionis Fratrum Minorum de non recipiendis denariis per ſe, vel per interpoſitam perſonam. --

§. IV. -- Aliarum enim rerum neceſſariarum poſſunt Fratres Minores de Corpore Obſervantiæ hujuſmodi habere uſum, licet non dominium; Denariorum autem, nec dominium, nec uſum : & proinde quævis contrectatio pecuniæ, ſeù denariorum, quæ non ſit purè naturalis, ſeù quæ ſit quovis modo politica, cujuſcumque Domini ſint denarii, ſeù pecunia, Fratribus Minoribus Obſervantibus, ſeù de Obſervantia, eſt omnino prohibita.

§. V. -- Ac propterea omnes, & ſingulas diſpenſationes, conceſſiones, & conſuetudines, ſi quæ contra præmiſſa in Corpore Obſervantiæ Ordinis prædicti reperiantur, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus, earundem tenore præſentium revocamus, caſſamus, irritamus, annullamus, viribuſque & effectu penitùs, & omninò vacuamus, ac revocatas, caſſatas, irritatas, & nullas, viribuſque & effectu penitùs, & omninò vacuas eſſe, & perpetuo fore decernimus, & declaramus. --

§. VI. -- Declarantes tamen paritèr, quod per præmiſſa non prohibentur in dicto ordine Syndici Apoſtolici, cum eorum uſus non ſit diſpenſatio in Regula, ſed modus à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris proviſus pro puriori illius obſervatione : Sive ejuſmodi Syndici aſſumantur ad præſcriptum Conſt. Nicol. III., & Clement. V., prædeceſſorum præfatorum, ſive ſecundum diſpoſitionem Conſtitutionum rec. mem. Martini IV., & Mart. V., ac Pauli IV., prædeceſſorum paritèr Noſtrorum, pro ut illorum uſus in ſingulis Familiis,

miliis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis Ordinis prædicti reſpectivè fuerit receptus. --

§. VII. -- Ut autem in ingreſſu Religionis unuſquiſque de obligationibus, quas aſſumere vult, plenè informetur, ſtatuimus, ut nullus recipiatur ad habitum Regularem in eodem Ordine, niſi priùs plenè informatus ſit de prædictis præceptis Regulæ, obligantibus in conſcientia, & prævia hac notitia, velit probationem ſubire; Nec quiſquam admittatur ad profeſſionem Regularem, niſi priùs examinatus ſit de intellectu Regulæ, & præceptorum ejus, juxta prædicta, & deinde immediate ante illam, coram tota Communitate fiat ei proteſtatio, quod ad obſervantiam Regulæ, cum omnibus ejus præceptis, tunc numerandis, & exprimendis, obligatur in profeſſione, eamque proteſtationem admittat, & ſub ea profeſſionem faciat. --

§. VIII. -- Quia verò efficacius prædicta obſervandi medium eſt exemplum Prælatorum, ſive Superiorum, ideò ſtatuimus pariter neminem eligi poſſe in Prelatum, ſive Superiorem in Ordine prædicto, qui vitam communem Obſervantiæ non ſequatur; hoc eſt, qui frequenter equitet, ſeu infirmitatem, qua ab obligatione pedibus incedendi excuſetur, habeat: qui induſiis, ſeu camiſiis, aut lineis, utatur apud ſe, vel in lecto: qui calceatus incedat: qui jejunia Eccleſiæ, & Regulæ non obſervet: qui aliquando viſus ſit contrectare pecunias, niſi jam per triennium ſaltem emendatus ſit: qui notabiliter defectuoſus ſit in aſſiſtendo communitatibus Chori, Refectorii, & aliis, prout ſibi in Conſtitutionibus præſcribitur. --

§. IX. -- Porrò electio illius, qui in omnibus præmiſſis vitam communem non ſequatur, irritanda ſit à Prælato, ſive Superiore Generali, capta informatione extra judiciali pro ſua conſcientia ſine ſtrepitu Judicii, cum conſilio, & aſſenſu trium Fratrum, qui Miniſtri Provinciales, vel ſaltem Definitores Provinciæ, ſint, vel fuerint: ipſorum autem conſcientias, ne aut ille expellatur, qui vitam communem ſequatur, aut ille confirmetur, qui eam non obſervet, oneramus. --

§. X. -- Demum, ut omnis occaſio tranſgrediendi præceptum de non cotrectandis denariis, ſeù pecuniis, auferatur, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis Prælatis, ſive Superioribus in virtute S. Obedientiæ, ac ſub pœna privationis ſuorum of-

ficiorum injungimus, ut nulli Religioſo ejuſdem Ordinis permittant adminiſtrationem fundorum, reddituum, aut quarumcumque aliarum rerum, & bonorum mobilium, vel immobilium, cujuſcumque Domini illa ſint; & ſignanter, ut nulli Religioſorum ordinis hujuſmodi permittatur adminiſtratio bonorum temporalium alicujus Monaſterii Monialium ſub quovis prætextu, aut nomine, nempe Adminiſtratoris, Syndici, Factoris, Coloni, Superintendentis, Villici, aut alio quovis imaginabili. --

Deinde apponit decreta roborantia, & amplas derogationes, *non obſtantibus &c. Dat. Romæ apud S. Mariam Majo. ſub Annulo Piſcat. die* 20. *Novembris* 1679.

Inſtruendi igitur ſunt, eis, quamlibet contrectationem pecuniæ, ſeù denariorum, quæ ſit quovis modo politica, & non purè naturalis eſſe interdictam. Contrectare autem pe-
32 cunias politicè eſt: ipſas recipere in uſum quemcumque civilem, ſive ſit ad emptionem rerum, donationem, mutuum, cambium, depoſitum, civilem conſervationem, ſocietatem, mercaturam, contractum politicum, theſaurizationem, ſimilemvè &c.; vel ipſas in aliorum gratiam, & aliorum nomine adminiſtrare; & generaliter eis prohiberi pecunias, & denarios contrectare, ut ſunt quædam metalla, publica authoritate inſtituta, uti formale inſtrumentum emptionis.

Et ſolùm eis dari, poſſe eas contrectare contactu purè naturali, & materiali, nimirum, ut ſunt metalla, quæ uſibus Fratrum cedere poſſunt, ut notavit *Marcant. in Reg. S. Franciſci cap.* 4. *textu* 1. *tit.* 1. *quæſ.* 1. *concl.* 1. *& quæſ.* 2. tradit, Fratres eis uti poſſe occaſione Medicinæ parandæ, cum hæc ſcilicet ſine auri, vel argenti mixtura haberi non poſſet. Sic item ad pecuniam à terra levandam, & ad materialiter illam de loco ad locum transferendam, non prohiberi concedit; verùm, ſemper ſcandalum eſſe cavendum, affirmat.

33 Clauſula illa *ſine ſtrepitu judicii*, appoſita ab Inno., & obſervanda in caſu irritandæ electionis, ſignificat apud *Paſqualigo ad Laurentium de Franchis p.* 1. *n.* 708., non eſſe ſervanda, quæ a jure civili, ſeù canonico introducta ſunt, ſed ſatis eſſe ea ſervare, quæ ſunt juris naturalis, & gentium; probationes tamen citationes, defenſiones legitimæ nunquam debent in ſummario proceſſu omitti, utpotè neceſſariæ pro habenda notitia veritatis, &

tis, &

tis, & facit *Gloſſa ad Textum cap. Statuta de Hæreticis in 6. lib. 5. tit. 2. verbo Certum eſt*, *& Clement. ſæpe lib. 5. tit. 11. de Verbor. ſignif.* & ibi *Gloſſa* addens per ea verba, poſſe Judicem procedere in cauſa, etiam tempore feriarum, dilationes amputare, exceptiones, & appellationes fruſtratorias expellendo, & litem quantum poterit facere breviorem juxta *Engel. Colleg. Jur. Can. lib. 2. tit. primo n. 12.*

34 Converſis ad ſtatum Clericalem, & ante, & poſt profeſſionem tranſire interdicitur, per diſpoſita à Clem. VIII. -- Cum ad Regularem, *apud Bull. Cherub. cit. num. 26.* ubi §. 34. ſtatuitur: ſed qui ad Converſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſſint. --

35 Circa eos Regulares, ut incorrigibiles ejiciendos, ſunt obſervanda, quæ ſtatuit *S. C. C. ex facultate S. M. Urbani VIII. ſub die 21. Septembris 1624. Bull. Cherub. tom. 4. pag. 63.*, & alia, quæ diſpoſuit *S. C.* à Sanctiſſimo D. N. Innocentio Papa XII. deputata ſuper moderatione Decretorum de Apoſtatis, & ejectis, editorum, tam à *S. C. C.*, quàm à præfato Papa Urbano VIII., & decrevit.

I. -- Quod fugitivi annuatim requirantur, & reſpectivè cogantur ad Clauſtra reverti. --

II. -- Quod annus integer, qui in prædictis Decretis anni 1624. præſcribitur in pœnitentia, & jejunio ad ejiciendos incorrigibiles, ad ſex tantùm menſes continuos impoſterum coarctetur, & reſtringatur. --

III. -- Quod facultas Generalibus Ordinum de conſilio, & aſſenſu ſex ex gravioribus Religioſis, in ſingulis Capitulis, & Congregetionibus generalibus ad cauſas ejiciendorum eligendis, attributa, extendatur etiam ad quoſcumque Provinciales, qui, electis pariter in Congregationibus Provincialibus ſex gravibus ex propria Provincia Religioſis, à Generali confirmandis, de illorum conſilio, & aſſenſu, cauſas hujuſmodi cognoſcant, & ad effectum ejiciendi incorrigibiles ſuæ Provinciæ, & ejectionem pronunciandi, accedente approbatione Generalis, definiant, ſalva ſemper S. Sedis, & *S. C. C.* in caſu recurſus, & appellationis, authoritate. --

IV. -- Quod impoſterum Proceſſus conficiantur juxta Regulas, Conſtitutiones, Ordinationes, & ſtylum cujuſque

Ordinis, & Religionis, donec aliter fuerit à *S. C.* proviſum . --

V. -- At quia nimia ſine delectu facilitas recipiendi quoſcumque, Religionis ingreſſum petentes, & à Religione forſan alienos, duram ſatis tractu temporis neceſſitatem, parit, eoſdem à Clauſtris ejiciendi, ne hujuſmodi ſemina,quæ à principio ad fructum faciendum, cadunt in terram bonam , paulatim contaminata inordinatis moribus , uſque ad incorrigibilitatem ſubcreſcant in paleas, eadem *S.C.* , annuente S. D. N. , ſub interminatione Divini Judicii , nec non privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac dignitatum , & officiorum obtentorum , cum inhabilitate ad eadem impoſterum obtinenda , quibuſcumque dictorum Ordinum Superioribus diſtrictè præcipit , & mandat omnia , & ſingula Decreta S. M. Clem. VIII. regiſtrata poſt Decretum S. M. Urb. VIII. de Apoſtatis, & Ejectis , incipien. *Regularis*, *Sanctiſſimus*,& *Nullus*, una cum aliis ſubſequentibus Decretis proviſionibus , ordinationibus , & reſpectivè moderationibus, bis in anno legi, eadem ad unguem ſervari, pœnas in eiſdem contentas innovari , & Capitibus Ordinum intimari, ne hujuſmodi Decretorum Tranſgreſſores , qui in lege gloriantur , per prævaricationem legis Deum inhonorent, & ne militiæ Chriſti tam de facili fiant deſertores, ac profugi . Dat. Romæ die 24. Julii 1694.

G. Card. Mareſcottus Pro-Præfectus .

R. Pallavicinus S. C. C. Secretarius .

Collectio Bull, Innocentii XII. *pag.* 287. Decret incipit : *Inſtantibus Procuratoribus Generalibus .*

C A P U T X X V I I I.

Officialis quoad Quarta Funeralium.

S V M M A R I V M.

1 *Quarta Funeralis deſcribitur .*
2 *Non ſemper, nec ubique datur quarta pars .*
3 *Romæ datur medietas .*
4 *Conſuetudo localis non extenditur .*
5 *Quid nomine Funeralium intelligatur ?*

6 *Con-*

6 *Conſtitutio Pii V.* Et ſi Mendicantium, *revocatur à Greg. XIII., cum diſponit contra Trid.*
7 *Super ſolutione Quartæ conſuetudo ſervatur.*
8 *Præjudicium Parochorum vitandum.*
9 *De Candelis, quæ ad manus Fratrum dantur, Quarta non debetur.*
10 *Fratres Minorum de Obſervantia Privilegium habent à Sixto Quarto.*
11 *Referuntur caſus, in quibus iidem à Clem. IV. eximuntur.*
12 *Ordinis Prædicatorum amplum Privilegium enunciatur.*
13 *Quarta non debetur de Miſſis, Legatis &c.*
14 *Exponitur clauſula* ſalvo jure, & juſtitia Eccleſiarum.
15 *Quid ſit neceſſarium, ut Regulares teneantur ad ſolutionem Quartæ?*
16 *Monaſteria erecta poſt Concil. ad Quartam non tenentur.*
17 *Referuntur Decreta S.S. C.C.*
18 *Ex reſtrictione Quartæ ad Quadragenariam quid deducatur?*
19 *Dictio* ante, *appoſita in Decreto Concilii quid ſignificet?*
20 *Monaſteria fundata poſt publicationem Concilii ſunt exempta: & quando?*
21 *Item ſi fuerint erecta intra quadraginta Annos ante publicationem.*
22 *Parochis incumbit probare, Regulares teneri ad ſolutionem Quartæ.*
23 *Authores referentes Privilegia exemptiva Regularium à ſolutione Quartæ.*
24 *Quæ obtinuerint Cæleſtini, Carmelitæ, Minimi, & Prædicatores.*
25 *Privilegia Minorum.*
26 *Quæ Privilegia, emanata intra quadragenariam ante publicationem Concilii, Concilium revocet.*
27 *Moniales eximuntur à ſolutione Quartæ; & quando?*
28 *An Parocho Quarta debeatur, ſi funus transferatur?*
29 *Pompa Exequiarum ſerò, & manè facta, una cenſetur.*
30 *Quarta ſolvitur Parocho, in cujus Eccleſia Defunctus Sacramenta percepit.*
31 *Quid dicendum de habente domicilium in duabus Parochiis?*
32 *Portio non ſolvitur Eccleſiæ, in qua eſt Sepultura Majorum.*

1 QUarta, quæ funeralis dicitur, *eſt*, per Doctores, *quædam Portio à Canonibus inducta, & approbata* (& ideo *Canonica* appellatur) *Parocho, propter Sacramentorum adminiſtrationem, debita, ex iis, quæ Regularibus obveniunt, ex quo in ipſorum Eccleſiis eligat quis Sepulturam, & apud eos ſepeliatur.*

Hujuſmodi portio *Quarta* nominatur in Clementina *Dudum de Sepulturis in 6. lib.* 3. *tit.* 17. §. *Verum*, ubi diſponitur à Regularibus eſſe præfatorum quartam partem Parocho ſolvendam. Et in *extravag. Inter cunctas de Privil. lib.* 5. ad medietatem Benedictus XI. extendit. Propterea liquet, & notavit *Antonell. de Regimine Eccl. lib. primo cap.* 13. *n.* 7. Canones in quota non concordare; Et in quibuſdam partibus,
2 apud *Mirand. Manual. Prælat. tom.* 2. *q.* 48. *concl.* 2., eſt medietas: in aliis tertia, vel quarta pars, ſecundum varia jura, & conſuetudines; Quibus in hac materia eſſe ſtandum, nemo dubitat, & firmat *Piaſec. Prax. Epiſ. part.* 2. *cap.* 5. *art. ultimo ſub n.*45. *verb. Quanta*. *Confect. Sum. Privileg. Mendic. tit.* 19. *cap. primo de Sepulturis*, & expreſsè habetur *Cap. Certificari de Sepulturis lib.* 3. *tit.* 28. ubi exponens Pontifex illud *Salva juſtitia &c.* ait: *Illa juſtitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem pro locorum diverſitatibus attendatur.*

3 Unde hìc Romæ datur medietas cereorum, intortitiorum, & candelarum, quæ accenduntur, cum Cadavera deferuntur ad Eccleſias, in quibus ſibi elegerunt Sepulturam; & æquali portione inter Parochum, & alios, etiam Regulares, apud quos tumulantur, dividuntur, ea item, quæ pro celebrandis Divinis Officiis, præſente corpore, & priuſquam terræ tradatur, ac circa Caſtrum doloris, & in Altaribus accenduntur: Sicut etiam arma, lectum, ornamenta, culcitra, ſeu pannus ſericus, tabulæ, & ſimilia. Et id propter ſpecialem, & antiquam conſuetudinem, quæ vim etiam obtinuit ex Decreto *S. C. Viſit. Apoſt. die* 5. *Octobris* 1620. *ab Urbano VIII. approbato*, ut refert *Paſqual. ad Laurentium de Franchis prima par. ſub n.* 28.

4 Quæ tamen conſuetudo, utpotè localis, non extenditur ad alia loca extra Urbem, ut in terminis tradit *Donat. Prax. Reg. tom.* 3. *tract.* 11. *q.* 12. *n.* 2., & facit, quod habet *Pignatell.*

tell. tom. primo conſul. 52. *n.* 5. conſuetudinem non tranſire de loco ad locum.

5 Nomine funeralium, ad effectum detrahendi quartam favore Eccleſiæ Parochialis, ex allegata Conſt. Benedicti, veniunt ea, quæ cum funere deferuntur circa cadaver à Domo Defuncti ad Eccleſiam; & quicquid ſit, an præfata fuerint revocata à *Concil.Vien.*ut vult *Gloſſa in Clementina Dudum verb. Funeralibus*, id liquet fuiſſe innovatum per Pium V. *Conſt. & ſi Mendicantium. Bull. Cherub. tom.* 2. *pag* 227. *n.* 11. *verb. Quarta* his verbis: -- Et ubi ſolvi conſuevit, id tantùm ceræ; & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo Defunctorum corpora ad Sepulturam deferuntur &c. Sicque intelligi Concilii Decretum, quo ad quartam hujuſmodi ſolvendam, debere decernimus. --

6 Et quo ad hoc non eſt allegata Conſtitutio revocata à Gregor. XIII. in *Conſt. Incipit Intanta idem Bull. pag.*370. Cùm revocatio Pianæ Conſtitutionis, ejuſdemque reductio ad terminos Concilii per Greg. factæ, reſpiciant eam, quo ad ea à Pio Regularibus conceſſa contra formam ejuſdem Concilii; non verò declarationes per ipſum factas, circa modum ſolutionis Quartæ; quippe, cum nil ſpecialiter de hoc Concilium diſpoſuerit, & dumtaxat decreverit Quartam eſſe ſolvendam, & non expreſſerit, in quo hæc Quarta conſiſteret, infertur Conſtitutionem Pii non eſſe ea parte abrogatam, qua declarat conſiſtere in cereis, circa cadaver deferre ſolitis. Ideo in eo ſubſiſtere eſt certum, utpotè declarativam, & non deſtructivam legis Conciliaris, prout notavit *Antonel. ſub num.* 9. *Rota in Licien. Quarta funeralium* 15. *Januarii* 1518. *apud Paſqual. ibi. cit. Lezz. Sum. q.q. Reg. tom.*3. *verb. Quarta funeralis n.*6. *Mirand. loc. item cit. art.* 12.

7 Verùm, etiam in hoc eſt particularis locorum conſuetudo ſervanda, quod ſignificat *Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de Ref.* per hæc: *Et eadem portione, quæ antea ſolebat*, & firmavit *S. C. C. ſub die* 18. *Julii* 1699. *in una Mantuana Quartæ funeralis*, quæ, in favorem Regularium adverſus ejuſdem Civitatis Parochos, reſcripſit, ut infra: -- In caſu, de quo agitur ſervandam eſſe conſuetudinem ſolvendi Quartam in medietate cereorum tantùm, quæ deferuntur per viam.

8 Et debitum ſervandæ conſuetudinis eſt in terminis equi-

tatis,

tatis, quia, ex multorum locorum praxi, pompa funeris celebratur intra Eccleſiam, & nihil ferè defertur cum corpore Defuncti; unde ſi in præfatis, & de ſolis iis, quæ cum corpore deferuntur, eſſet Quarta ſolvenda, relevans præjudicium Parochi reportarent.

9 Et quamvis *Piaſec. loco cit. part.2. cap. 3. art. 6. ſub n.*60. Quartam funeralem aſſerat deberi ex omnibus: dictum limitat, excipiendo candelas, quæ ad manus Fratrum dantur; addendo præterquam, de quibus expreſsè in Privilegiis exemptionum cavetur, ne de iis exigatur.

10 Propterea nequit à Fratribus Minoribus exigi de candelis (etiam ubi eſt conſuetudo, ut Quarta ab eis ſolvatur) ex conceſſione ipſis facta à Sixto IV. *Conſt. Regimini*, *Mare Magnum* nuncupata, *Bull. Cher. tom. primo pag.*408., ubi §. 6. habetur: -- Nec ſimiliter aliqua portio debeatur de his, quæ ad certos determinatos uſus eiſdem Fratribus, vel eorum domibus in genere, aut in ſpecie: etiam de bonis eorum, quorum cadavera apud eos contigerit ſepeliri; nec etiam in caſibus, in quibus per ejuſdem Clementis, & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum ſpecialia Privilegia, Fratres ipſi ab hujuſmodi ſolutione Quartæ ſunt exempti; nec aliquo caſu de candelis, quæ ad manus Fratrum dantur, Quarta aliqua quomodolibet detrahatur. -- Cum ampliſſimis derogatoriis Conſtitutionis Bonifacii VIII. *de una, & duabus dietis, & ſuper Cathedram*; *& Clementinæ Dudum, ac aliorum in contrarium facientium*.

11 Caſus autem, in quibus eos Clemens IV. *Conſt. Virtute conſpicuos* exemit, refert ipſe §. 26. -- Concedimus, *ait*, quoque vobis, ut de his, quæ in ornamentis, vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, ac aliis ad perpetuum cultum Divinum, ſeu pro pitantiis, aut victu ad ſubſtentationem veſtram, vel indumentis, necnon pro annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquæ Domus veſtri Ordinis obligatæ noſcuntur, vel de Domibus, prædiis, & hortis, & locis emendis vobis legantur &c. nulli canonicam juſtitiam, aut portionem aliquam teneamini exhibere. Et ne quis à vobis, vel ultimarum executoribus voluntatum, ſeu decedentium Hæredibus de præmiſſis aliquid exigere, vel extorquere præſumat, diſtrictiùs inhibemus &c. --

12 Non

12 Non minoris amplitudinis Privilegia idem Sixtus *Conſt. Regimini, item Mare magnum nominata*, ſacro Prędicatorum Ordini elargitur. Et deinde Pius V. *Conſt. Ad hoc Nos loc.cit.Bull. pag.*233.§.10. declaravit eos *ad ſolvendam Qartam non teneri de legatis, donatis, ſive quomodolibet elargitis pro Anniverſariis, aut Miſſarum celebratione*. Et generaliter *Conſt. Et ſi Mendicantium num.*11.*verb.quartam*; & ubi hanc Regulares ſolvere conſueverunt, decernit: Concilium eſſe intelligendum, eam non deberi *de Miſſis, ſeu Legatis, vel aliis Fratribus ipſis, ſeu Monialibus hujuſmodi relictis, aut alias quomodolibet donatis.* De quibus nullam deberi notavit Confectius *Summ:Privil. cap. & tit.cit.* ubi, exponens clauſulam *Salvo jure, & juſtitia Eccleſiarum*,
14 (qua plures uſi ſunt Pontifices, qui conceſſerunt poſſe ſeculares ſepulturam eligere in Eccleſiis Regularium) ait, quod etiam refert *Piaſecus loc. cit. art.6.* eſſe intelligendam dumtaxat de iis, quæ cum funere deferuntur (niſi conſuetudo juxta ſuperius dicta aliud evincat), vel de aliis juribus Parochialibus diverſis ab exceptis, & expreſſis in Privilegio exemptionis. Quod colligi poteſt ex Mari magno Minorum, & in terminis declaratur in illo Prædicatorum.

15 Ut Regulares ad quartam teneantur, neceſſarium conſideratur; quod Conventus, & Monaſteria fuerint erecta quadraginta annis ante Concilium, & quod totidem annis ſolvere conſueverint.

Quod liquet ex decreto S.C. Trid.*ſeſſ.*25. *cap.*13. *de Ref.* ubi: -- Decernit ſancta Synodus, ut quibuſcumque in locis, jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit; ex quocunque privilegio aliis Monaſteriis, hoſpitalibus, aut quiquſcunque locis piis conceſſa, eadem poſt hac integro jure, & eadem portione, quæ antea ſolebat, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ perſolvatur: non obſtantibus conceſſionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuſcumque. --

16 Ideo poſt eos annos erecta non tenentur, ex declaratione Pii V. *Conſt. allegata, Et ſi Mendicantium n.*11. -- Quarta autem funeralium, de qua *ſeſſ.*25. *cap.*13. nequaquam ſolvere teneantur Monaſteria, quæ à quadraginta annis citra fundata exiſtunt: poſtquam Concilium ipſum loquitur tantùm de

Monaſteriis ante annos quadraginta fundatis,quæ ipſam quartam ſolvere conſueverant. --

17 Et pluries firmavit S.C.C. *Et in una Pampilonen. lib.*43. *poſitionum fol.*825. *cenſuit caput* 13. *ſeſſ.*25. -- non comprehendere Monaſteria, ædificata à quadraginta annis citra, aut, quæ in dies ædificantur, aut in futurum ædificabuntur, præſuppoſito, quod hujuſmodi Monaſteria, ejus ſint Religionis, cui à Sede Apoſtolica indultum ſit, ut quartam funeralem ſolvere non teneantur. --

Et *in una Meliten.*2.*Auguſti* 1607.*lib.*11.*decrt.fol.*13.*à ter.* S.Cong. cenſuit, ſi Religioni S.Franciſci de Obſervantia ante quadraginta annos ante Concilium à Sede Apoſtolica indultum fuit, ut quartam hujuſmodi ſolvere non teneatur, non teneri ad ſolvendam eam, hanc Eccleſiam poſt Concilium acacquiſitam, tametſi, antequam Religioni prædictæ acquireretur, eam ſolvere dicta Eccleſia conſueviſſet. -- Et *in una Hieracen.lib.*2.*decr.fol.*17.*& in una Nullius* 1625.*lib.*12.*decr.fol.*203. *à terg. Et in una Auſculana lib.*30. *decrt. fol.* 503. 2. *Septembris* 1679. Et alibi ſæpè.

Et *die* 17.*Novembris* 1673. -- S.C.Epiſc. & Reg. cenſuit Monaſteria, quamvis à quadraginta annis citra ædificata, non teneri ad quartam Parochiali Eccleſiæ præſtandam, ſi ſint ejus Religioni, cui à Sede Apoſtolica ante quadraginta annis indultum fuerit, ut quartam ſolvere non teneatur &c. Contrafacientes pœnis, & cenſuris, ab eorum Ordinariis, ſibi bene viſis, ſevere eſſe puniendos.

18 Colligitur Tridentinum, ex reſtrictione quartæ, Parochis debitæ in caſu quadragenariæ conſuetudinis, ſupra ipſum legitimè præſcriptæ, ſupponere adhuc ſubſiſtentia, & in viridi obſervantia Privilegia Regularium exemptiva in cæteris caſibus.

Immo, ſi per Concilium eadem, in ordine ad quartam, abrogata fuiſſent, inutilis foret ſæpè à S.C.C.adhibita, & repetita diſtinctio inter Conventus, ante, & poſt Concilium erectos.

19 Dictio *ante* poſita in præallegato Concilii decreto non ſignificat annos quadraginta eſſe computandos ſupra ejus initium, ſed ſupra ipſius publicationem, ut in cauſa *Oritana die*

27.*Fe-*

27.*Februarii* 1649.Sac.C.C. reſpondit, -- nimirum Patres Cœleſtinos non teneri ad ſolutionem quartæ funeralis, ex Privilegiis eiſdem conceſſis ſupra quadraginta annos ante Concilium Tridentinum publicatum. -- Et notat *Antonell.loc.ſub n.*9.

Ex quo habetur,quod,cum Concilium fuerit,per Pium IV. *Conſt. Benedictus Deus* 1564. *ſeptimo Kal. Febr.* confirmatum *Bull. Cher. to.*2.*p.*103. & primo Romæ publicatum; ut tradit etiam *Bail. tom.*1.*ſum. Concilior. verbo Concilium Trid.ſeſſ.*3. *de receptione Concilii pag.mihi* 737, & habetur in citata Licien.
20 Monaſteria fundata poſt ejuſdem publicationem, vel etiam intra annos quadraginta, ſcilicet *poſt* 27.*Januarii* 1624. (prout
21 ſimiliter in eadem Lycien. & apud *Gabat. tom.*2. *Operum Moralium tract.*5.*verb. ubi ſepelien. cap.*50. *num.*76.) ſi erunt illius Religionis, quæ quadraginta annis ante præfatam, Privilegium exemptionis quoad quartam acceperit, & fuerit in poſſeſſione non ſolvendi, & ipſa exempta erunt; ex Regula quod *Dependens ſequitur naturam dependentis*; ſi verò Religioni, cujus ſunt membrum, unquam id fuerit indultum, & ſolvere conſuevit, & illa ad ſolvendum erunt obſtricta, ut tenuit *Rota in Poſnanien. jurium Parochialium* 5. *Maji* 1698. *coram Priolo*.

Niſi ſpecificè eximantur per Privilegium continens expreſſam derogatoriam allegatæ diſpoſitionis conciliaris,& Clementinæ *Dudum*.

22 In caſu, quo Regulares ad quartam præſtandam non teneri ſubſtineant, Parochis probare incumbit quadragenariam conſuetudinem, eoſque quadraginta annis ſupra publicationem Concilii eam ſolvere conſueviſſe, ut in terminis reſpondit S.C.C. *in cauſa Minorum de Obſervantia Provinciæ Poloniæ* 14.*Novembris* 1682. *lib.*32. *decret. fol.*476. ubi ad quæſitum, -- an ad Parochos, vel potius ad Superiores Regulares Conventuum, ſpectet onus probandi,quartam à controverſis Conventibus ſolvi conſueviſſe, vel non, per quadraginta annos ante Concilium? Sac. Congreg. reſpondit: ſpectare ad Parochum. --

Quia verò ad firmandum in caſibus particularibus Privilegium exemptivum à quarta, ſolet in decretis SS. CC. apponi clauſula reſtrictiva, ut, -- ſi Religioni ante annos quadraginta ante Concilium à Sede Apoſtolica indultum ſit: vel

præſuppoſito, quod ſit ejus Religionis, cui ſit indultum, ut
23 quartam funeralem ſolvere non teneatur. -- Ideo, ut conſtet, quibus id fuerit conceſſum, videri poſſunt *Caſarubios compend. Privileg.verb.Canonica portio. Mirand.loc.cit. art.6. Rota in Lycien. cit. Peyrin. de Privil.ad Conſt. unicam Pyrrhi* §.11. *pag.*11. Et plura per extenſum refert ſatis doctum Summarium Typis R.C.A. datum, & in allegata *Mantuan. Quartæ Funeralis* Sac. C.C.per Regulares exhibitum.

24 Et quo ad hoc, notandum, Eugenium IV. ſub anno 1404. Conſt. incipit *Ad decorem*, exemiſſe Cœleſtinos: Nicolaum V. qui Eccleſiæ præfuit circa annum 1447. Conſt. incipit *Inter cætera*, Carmelitas. Julium II. quinto Kal. Auguſti 1506.Conſt.incipit,*Et licet juxta*, Minimos.Leonem X.Conſt. *Exponi Nobis* 25.*Junii* 1518. & Paulum IV.Conſt.*Ex Apoſtolicæ* 9.*Martii* 1556. Prædicatores.

25 Minores Privilegium exemptivum à quarta receperunt ab Alexandro VI. Conſt. *Sacræ Religionis* 5. *Febr.* 1501. *apud Roderico collect. Privileg.Apoſtol.tomo* 1. *Bulla* 7. prout ſequitur: -- Sacra &c. Vobis, ut de cætero omnibus, & ſingulis gratiis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & indultis ſpiritualibus, & temporalibus, tam Fratrum Prædicatorum, quam Heremitarum S.Auguſtini, & B.Mariæ de Monte Carmeli, omnibuſque aliis Mendicantibus per Sedem Apoſtolicam, vel per Legatos ejuſdem, etiam per literas Apoſtolicas, Mare magnum nuncupatas: etiam quo ad exemptionem à ſolutione quartæ, locorum Ordinariis, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, debitæ, à qua vos potiori pro cautela eximimus (quibus directè iiſdem exemptivum Privilegium conceditur) hactenus conceſſis, quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum infererentur, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, uti, potiri, gaudere liberè, & licitè poſſitis, & debeatis in omnibus, & per omnia,perindè, ac ſi vobis ſpecificè conceſſa fuiſſent, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non omnibus illis, quæ in literis prædictis conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, authoritate Apoſtolica, tenore præſentium de ſpecialis dono gratiæ indulgemus, illaque vobis de novo concedimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 5. Februar. 1501. --

Idem

Idem conceſſit Leo X. *ſub die* 16. *Febr.* 1514. *Conſt. incip. Affectu benevolentiæ*, apud eundem *Roder. cit. Conſt.* 22. *pag. mihi* 253. Et *ſub die* 30. *Maii* 1525. *Conſt. dum fructus uberes* confirmatur à Clem. VII. Quibus Julius II. 6. *Novemb.* . . . ut tenuit *Rota in Lycien.* & *iidem Mirand.* & *Caſarub.* notant, itidem Privilegia aliis Mendicantibus conceſſa communicavit, & illa de novo conceſſit, ac expreſsè eos exemit à ſolutione quartæ, ut conſtat ex narrativis allegatæ Conſtitutionis Leonis. Et *ſub anno* 1555. 1. *Julii Bull. Cherub. tom.* 1. *pag.* 806. Paulus IV. *Conſt. Ex Clementi* eorumdem Minorum Privilegia confirmavit, indultumque exemptivum à quarta impertitus eſt, ut ſequitur: -- Ac ab ipſis impoſitionibus, gravaminibus, oneribus, decimis, quarta, & quinta, etiam funeralium, & aliorum quorumcumque eis legatorum, & oblatorum, ac conceſſorum pro tempore; nec non Pedagiis, & Gabellis, ac omnibus, & ſingulis aliis ſupradictis libera penitus immunia, & exempta (ſcilicet, loca, & Monaſteria, Superiores, Fratres, & Moniales) authoritate Apoſtolica, & tenore prædictis, etiam concedimus, ac ſtatuimus, & ordinamus. --

Et §. 15. apponit clauſulas -- non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus ſuper Cathedram Bonifacii, & dudum Conc. vien., ac Clementinæ Religioſi de Privileg. & dudum de ſepulturis, ac etiam Ex frequentibus de ſententia excomunicationis, & Extravagante ad conditorem Joannis XXII. cum aliis conſtitutionibus eamdem materiam prædictæ extravagantis tangentibus, ſeu concernentibus, ac Regulis Cancellariæ Apoſtolicæ, jam editis, & in futurum edendis, ac piæ mem. Bonifaci PP. VIII., etiam prædeceſſoris Noſtri, de una, & in Concilio generali de duabus dictis, editis &c. --

Nec dicendum præfatas Pauli literas, utpote emanatas, non ſupra, ſed intra quadraginta annos ante publicationem Concilii, fuiſſe ab eodemet Concilio abrogatas; quoniam Concilium *ſeſſ. cap.* & *citatis*, abrogat ſolum, quo ad hoc Privilegia exemptiva, intra quadraginta annos emanata, reſpectu
26 Conventuū, & Monaſteriorum erectorum ſupra quadraginta annos ante ejuſdem publicationem, & quæ per annos quadraginta conſueverint quartam Eccleſiæ Parochiali præſtare: mandans, revocatis ad hunc effectum privilegiis, ſolutionem eſſe continuandam; ut ex ejuſdem liquet lectura, & tenuit

Ro-

Rota in Senogalien quartæ Funeralis coram Rondanino 11.*Januarii* 1686. & colligi poteſt ex *Antonello loco cit.num.*9. non verò ante hujuſmodi tempus conceſſa, & poſtea à.S.Sede confirmata.

27 Nec Moniales, niſi adſit in contrarium conſuetudo legitima ad quartam ſolvendam tenentur, ut pluries S.C.C. declaraſſe, & præſertim *in una Albiganen* 16.*Martii* 1652.*ad cap.*13. *ſeſſ.*25.*de Refor.*refert *Pignatel.tom.*1.*conſ.*381.

28 Si poſtquam corpus fuerit ſub ſacra reconditum gleba, contingat ad diem ſequentem funus transferri, majori pompa celebrandum, debetur Parocho quarta de intortitiis, & cereis, quæ occaſione illius accenduntur. Et ſuper hoc referri à *Barboſa de offic.& poteſt Parochi cap.*25.*num.*38. *decretum S.C. Epiſ.& Reg.ſub* 3.*Auguſti* 1621.*tradit Donat.tract.*11.*quæſt.*11. *num.*2. quia præſumitur, quod pompa fuerit in fruadem Parochi translata in ſequentem diem.

29 Extende etiam ad caſum, quo ob fœtorem Cadaveris celebrari exequiæ eodem die non poſſent. Præſertim etiam, quia pompa exequiarum ſero, & mane facta per Remigium Scrofa in examine ejuſdem decreti apud *Donat. cit.* una cenſetur.

30 Notandum, quod Parochus, cui quarta funeralis debeat perſolvi, ille eſſe debet, in cujus Eccleſia defunctus ſolebat Sacramenta recipere, & audire Divina. Ex *capite cum quis de ſepult.in* 6.*lib.*3. *tit.*12. ubi notat gloſſa, quod habens duo domicilia in duabus Parochiis, ad quæ ſe æqualiter transferat,
31 adeo ut, ſex menſibus in uno, & totidem in altero, habitet, ſi in tertia Eccleſia ſepulturam eligat, ſolvenda portio, eſt inter Præfatarum Parochos dividenda.

Sicut per medium tradit eſſe ſolvendam eiſdem, dum habens domum, quæ æqualiter ad binas ſpectet Parochias, in tertia ſepeliatur.

32 Et ſi quis, dimiſſis, Eccleſia Parochiali, & Eccleſia, in qua ſepulti ſunt ſui majores, & in qua fuiſſet ipſe ſepultus, ſi non elegiſſet in alia ſepulturam,iſtam in alia Eccleſia eligat, portio canonica ſolvi debet Parochiali, & non ei, in qua eſt ſepultura ſuorum majorum, quippe ex obſervatione Gloſſæ *loco cit.* §.*nota* 1. ſepulchrum majorum non præfertur Eccleſiæ Parochiali; & portio ſolvitur in recompenſationem laborum, quos

ſuſti-

ſuſtinuit Rector Eccleſiæ Parochialis in celebrando Divina, & adminiſtrando Sacramenta ipſi defuncto.

CAPUT XXIX.

Officialis quoad adminiſtrationem Sacramentorum.

SVMMARIVM.

1 *Fideles ſemel in Anno proprio debent Sacerdoti confiteri.*
2 *Sententia non fertur niſi in ſubditos.*
3 *In abſolvente neceſſaria eſt Juriſditio delegata, vel ordinaria.*
4 *Qui veniant nomine proprii Sacerdotis?*
5 *Qui confitetur habenti licentiam à ſummo Pontifice, non tenetur ſemel in Anno Parocho confiteri.*
6 *Papa eſt proprius omnium Sacerdos.*
7 *Confeſſione, per Regulares ab Epiſcopo approbatos, audita, ſatisfit præcepto Eccleſiæ.*
8 *Regulares habent privilegium audiendi confeſſiones à Papa.*
9 *Sunt-delegati à Sede Apoſtolica.*
10 *Error circa confeſſos apud Regulares.*
11 *Quo tempore non poſſint ſecularium confeſſiones audire?*
12 *Die Paſchatis Reſurrectionis Euchariſtiam ſecularibus non miniſtrant.*
13 *Seculares, tunc ſumentes Euchariſtiam in Eccleſiis Regularium non ſatisfaciunt Præcepto.*
14 *Secùs ſi ſint Parochiæ.*
15 *Regulares debent approbari ab Ordinario, quo ad Tertiarios.*
16 *Infirmis extra Clauſtra, quæ Sacramenta nequeant adminiſtrare?*
17 *Quæ poſſint ſuis commenſalibus?*
18 *Sponſos benedicere nequeunt.*
19 *Quid dicendum quo ad exiſtentes in Grangiis?*
20 *Et quid, quo ad advenas apud eos infirmos?*
21 *Tempore paſchali poſſunt audire confeſſiones omnium.*
22 *Aſſerentes, confeſſiones Sacramentales factas apud Religioſos eſſe ſacrilegas, damnantur.*

23 Re-

23 *Religioſo ægrotanti extra Monaſterium Parochus miniſtrat Viaticum.*

24 *Clericus miniſtrans in Ordine, quem non habet, eſt in irregularis.*

1 COncilium Leter.IV. ſub Innoc.III. decrevit, ut Fideles, ſaltem ſemel in anno omnia ſua peccata proprio Sacerdoti confiteantur: & eodem cap.addit, -- ſi quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata prius licentiam poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cum aliter ille ipſum non poſſit abſolvere, vel ligare: *Duhamel Theol.Cler. tom.3. de Sacram.lib.4.diſert.3.cap.3.num.3.Bail.ſum.Conc. tom.1.pag.413. num.21. lit.D.* Et rectè, quia confeſſio Sacramentalis ex Trid. *ſeſſ.14.can.9.de Pænit. Sacram.* eſt actus Judicialis, non autem nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti. Et *cap.7. habet*, natura verò, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia, in ſubditos dumtaxat, feratur. --
2 Etenim nullus ligari, vel abſolvi à non ſuo Judice valet; quod cap. poſtremo citato confirmat, ſtatuens, -- nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum pro-
3 fert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. --

4 Nomine proprii Sacerdotis, non veniunt ſoli Parochi, & Curati, quibus animarum cura eſt commiſſa, ſed pręter ipſos, primo loco venit Papa, qui eſt maximus, & ſummus Sacerdos in Eccleſia: Epiſcopus, & ejus Vicarius Generalis in propria Diœceſi, aliique apud *Fagnan.cap.omnis de Pænit.& remiſ. pag.mihi 130.ſub num.56.*

Propterea quicumque ſua peccata confitetur habenti licen-
5 tiam à Summo Pontifice audiendi Confeſſiones, faciendas ex præcepto Concilii Lat., præcepto Concilii ſatisfacit. Nec tenetur, etiam ſemel in anno, confiteri Parocho, aut alii ulli de hujus licentia; quia Concilium non vult aliud, quam, quod quis ſemel, ſaltem in anno, confiteatur proprio Sacerdoti, aut alii de ejus licentia; qui autem confitetur alicui habenti licentiam à Papa, confitetur illi de licentia proprii Sacerdotis: de
6 licentia nimirum Papæ, qui in Eccleſia Catholica eſt proprius omnium fidelium Sacerdos: cujus Diœceſis ex eodem *num.79.*

eſt

eſt Univerſus Orbis, cujuſque juriſdictio non eſt reſtricta ad ullius Teritorii limites.

Conſequenter, qui Regularibus (ab Epiſcopis approbatis) confitentur, præcepto Eccleſiæ ſatisfaciunt, quia confiten-
7 tur habentibus licentiam, & facultatem à proprio Sacerdote, nimirum à Papa; à quo per *Fagnan. loco adducto* recipiunt Regulares licentiam audiendi Confeſſiones ſecularium. Quod etiam notarunt *Confectius ſum. Privil. Ordinum Mendicant. tit.17. cap.15. concluſ.6. & Donatus praxis regul. tom.3. tract.4. quæſt.33.* inter enim proprios Sacerdotes, multo juſtius, con-
8 numeratur Romanus Pontifex, qui, dependenter ab Epiſcopi approbatione, privilegium audiendi ſecularium confeſſiones, eoſque Sacramentaliter abſolvendi, Regularibus impertitur, & ita, ut qui, illis in Confeſſarios approbatis, tamquam Papæ delegatis, confitentur, perinde ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ, ac ſi propriis Parochis confiterentur; cum licentia Papæ majorem, omni ex titulo, vim habeat, quam illa Curati. Et facit gloſſa per ea in *cap.Si Epiſc.de pœn.& remiſſ.in 6.verb.item 3.præſupponendum*, quod. -- Quis dicitur habere plures proprios Sacerdotes; ſcilicet, Rectorem Eccleſiæ Parochialis, Epiſcopum, Legatum, & Papam, qui habet generalem curam omnium Chriſtianorum; & ſufficit habere licentiam ab altero iſtorum: Mendicantes vero ſunt Delegati à Sede Apoſtolica. --

10 Unde errorem dicentium Regularibus Confeſſos, iterum Parocho teneri confiteri, etiam ejuſdem Confectio teſtimonio, damnavit Sixtus IV. *Conſt.6. & 7. Regimini, Mare magnum Prædicatorum, & Minorum, reſpective nuncupatis, Bullarium Cherubin. tom.1. pag.408. & 411.* Et Concilium Lateranenſe V. ſub Leo X. declaravit, confeſſos Regularibus ſatisfacere Conſt.Omnis utriuſque ſexus *v.Conſt.Dum intra cap.offic.quoad privileg.pag.218.num.2.§.4.*

11 A Palmarum die uſque ad Dominicam in Albis ſecularium Confeſſiones valent audire, ex Sac.Cong. Conc. decreto *ſub die 9.Julii* 1644. tenoris qui ſequitur: S.Cong.&c. -- poſt maturam diſcuſſionẽ cenſuit Archiepiſcopum Burdigalenſem nõ poſſe prohibere Regularibus habentibus privilegia Apoſtolica, ut à Domica Palmar. uſq; ad Dominicã in Albis incluſiuè adminiſtrare non valeant Sacramentum Confeſſionis, poſſe tamen eiſdem prohibere, ut perſonis ſecularibus in die Paſchatis

non adminiſtrent SS.Euchariſtiæ Sacramentum, etiam ſi dictę
12 perſonæ ſeculares, alia die, ſatisfecerint præcepto Eccleſiæ;
qnam determinationem *ſub die* 7. *Februarii* 1645. *conſt. exponi*
nobis, *relatam per Poncium curſu Theol.diſp*.46.*quæſt*.9.*num*.121.
confirmavit Innoc.X.
Et nedum tempore in decreto expreſſo ſecularium Con-
feſſiones audire, verum etiam iiſdem pro eodem, valent Sa-
cramentum Euchariſtiæ miniſtrare, pro ut, propoſito dubio in
cauſa *Mechlinen. Miniſtrationis SS. Euchariſtiæ Sacramenti*:
-- An PP. Societatis, aliique Regulares poſſint miniſtrare
SS.Euchariſtiæ Sacramentum perſonis ſecularibus à Domini-
ca Palmarum uſque per totam Dominicam in Albis? eadem
Sac.Cong.Concilii *die* 31. *Januarii* 1682. reſpondit affirmati-
13 vè; excepto die Paſchatis: ita tamen, ut ſeculares, ſumentes
Euchariſtiam in Eccleſiis Regularium in aliis diebus à Domi-
nica Palmarum ad Dominicam in Albis incluſive, non ſatiſ-
14 faciant præcepto Eccleſiaſtico. Limita, niſi ſint Parochiæ; &
tunc ſoli Parochiani.
Ii verò, qui de Tertio Ordine vocantur, nequeunt in
Paſchate ſacrã Synaxim à Regularibus ſumerer,ut *ſud die* 20.
Decembris 1616. *apud Peyrin. ad Conſt*.4. *Sixti IV.pag*.42. §.7.
num.49. ſtatuit S.Cong.Epiſc.& Regul., prout ſequitur,Sac.
15 Congr. &c. ſtatuit juxta multas ejuſdem Congregationis re-
ſponſiones,nõ poſſe Sacerdotes Regulares audire Confeſſiones
Sacramentales mulierum Tertii Ordinis, quæ de pœnitentia
dicuntur, niſi fuerint ab Ordinario approbati ad Confeſſiones
ſecularium audiendas: quemadmodum nec poſſe illis admini-
ſtrare Sacratiſs.Euchariſt.Sracramentũ in die Paſchatis Reſurr.
D.N.J.C.decrevit etiam S Cong.C. *Floſ.Nicol.V.tertiariæ n*.3.
Quod Leo X.*Conſt.dum intra Bull.Cherub.tom*.1.*pag*.586.
extendit etiam ad Extremam Unctionem, & cætera Eccleſia-
ſtica Sacramenta his verbis: -- Fratres autem, & Sorores Ter-
tii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pizzocharæ, Cor-
dellati, & alii, quocumque nomine nuncupati, in propriis do-
mibus habitantes, ſed die Paſchatis tantùm Euchariſtiam, nec
non Extremam Unctionem, cæteraque Eccleſiaſtica Sacra-
menta (Pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto) à proprio
Sacerdote (ſcilicet Parocho) recipere teneantur.
Ibidem in Superioribus prohibet Euchariſtiam, & Ex-
tre-

tremam Unctionem, miniſtrare infirmis, quorum Confeſſiones audierunt: -- Euchariſtiæ verò, & Extremæ Unctionis, aliaque Eccleſiaſtica Sacramenta, illis, quorum, etiam Infir-
16 morum, ac decedentium confeſſiones audierint, dicentibus proprium Sacerdotem illa ſibi dare denegaſſe, dare nequeant, niſi denegatio ſine legitima cauſa facta vicinorum teſtimonio probata, aut requiſitio coram Notario publico facta doceretur. --

Suis autem continuò commenſalibus pro tunc, & non alias, Extremam Unctionem, & Euchariſtiam, ex ipſius ver-
17 bis conceditur miniſtrare: *eorundem verò Fratrum obſequio inſiſtentibus*, ait, *Sacramenta hujuſmodi nullatenus miniſtrare valeant, niſi illorum durante obſequio. v. cap. offic. quoad aprob. num.* 20.

Ubi reſolvit etiam, *quod abſque Curatorum conſenſu Spon-*
18 *ſam, & Sponſam benedicere nequeant*. Et non poſſe in ſuis Eccleſiis publicare matrimonia, habetur ex reſponſione Sac. C. Concilii *ſub die* 2. *Julli* 1620. *ad* 6. *dub.* ad eandem à Parochis Bononienſibus, cum aliis, deductum, hujus tenoris: *ſe poſsano publicare frà la Meſsa gl' ordini del Sig. Cardinale Arciveſcovo, i matrimonii, & altro, che occorra. Reſpondit publicare matrimonia non poſse.*

19 Quantùm autem ad famulos, alioſque exiſtentes in Religioſorum prædiis, & grangiis attendenda eſt reſponſio Sac. Congregationis ab Innoc. X. deputatæ ſuper Controverſiis vertentibus inter Epiſcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & PP. Jeſuitas: -- propoſito namque utrum Regulares, etiam PP. Jeſuitę, in ſuis prędiis, Officinis, aliiſque ſuis domibus ſecularibus, ſitis intra limites Parochiarum, ad ſe non ſpectantium, poſſint adminiſtrare Sacramentum Baptiſmatis, ſolemnis Matrimonii, Extremæ Unctionis, & Euchariſtiæ in feſto Paſchatis, famulis, mercenariis, Ruſticis, ſive aliis id genus hominibus ſecularibus, abſque Or-Ordinarii, vel Parochi licentia? Reſpondit non poſſe. -- Quod confirmatur ab eodem Innoc. *Conſtit. cum ſicut Bull. Cherub. tom.* 4. *pag.* 284. *dub.* 17.

20 Et circa Advenas, qui in Monaſteriis infirmantur obſervanda eſt diſpoſitio Sac. Congregationis Concilii, quę in una *Monopolitana* 27. *Septembris* 1670. *ut in lib.* 26. *decret. fol.* 444.

-- cenſuit non licere fratribus abſque licentia Epiſcopi, vel Parochi adminiſtrare Sacramenta Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur, & ſi decedant, non poſſe ſepeliri in eorum Eccleſiis.

21 Quo ad vero Infirmorum, aliorumque, etiam tempore Paſchali, confeſſiones audiendas ſine licentia Epiſcopi, vel Parochi, noviſſimè conceſſit Clemens X. *Conſt. Superna ſæpius. cit. his verbis*: -- ſemel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quò vis anni tempore, etiam paſchali, & quorumcumque, etiam infirmorum, confeſſiones audire abſque ulla Parochi, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen confeſſione teneri dictos Religioſos, eorundem infirmorum Parochum, illicò certiorem reddere; & hoc poſſe ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi confeſſiones præcipi: ſufficere tamen, ut certioratio hujuſmodi fiat, ſaltem per ſcripturam, apud ipſum infirmum relinquendam. -

Eſt prohibitum aſſerere hujuſmodi confeſſiones Sacramentales invalidas eſſe, vel ſacrilegas, uti etiam affirmare, poſſe Parochianum ſuſpicari de non recta hujuſmodi Sacramenti adminiſtratione, per Mendicantes, qui eleemoſynis

22 vivunt, facta, ex decret. Alex. VIII. *die* 17. *Decembris* 1690. à quo inter alias hæ duę propoſitiones fuerunt proſcriptæ.

Prima. -- Confeſſiones apud Religioſos factę, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

Secunda. -- Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda minùs levi, & incongrua pœnitentia, ſeù ſatisfactione, ob quæſtum, ſeù lucrum ſubſidii temporalis. --

23 Omittendum non eſt, quod Religioſus egrotans extra Monaſterium, vel apud ſuos, aut alibi, debet Viaticum, & Sacram Unctionem de manu Parochi ſuſcipere, niſi iſte conſentiat, ut ab ipſis Regularibus miniſtrentur, ut tradit: *Donat. prax. Regul. tom.* III. *tract.* 10. *quæſt.* 9. *nu.* 6.

24 Nec tacendum, quod Clericus miniſtrans in ordine, quem non habet, irregularis efficitur, ut ſi Diaconus Miſſam celebret, Aquam, vel Nuptias, ſolemniter benedicat, & ſolemniter baptizet abſque licentia Sacerdotis, cui nimirum competit ex officio; ad quod facit *cap. ſi quis baptizaverit de*

Cleric.

Cleric. non ordinat. lib. 5. tit. 28. ubi expreſsè Textus habet: -- Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum Officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Eccleſia, & numquam ordinetur. --

Verum in eo duo debent concurrere ex *Layman. Theolog. mor. lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 5. *cap.* 3. *num.* 2. Primum, quod in ea re mortaliter peccet, & non excuſetur ignorantia inculpabili; Etenim ut obſervat *Thomas Tamburin. lib.* 10. *de Cenſur. tract.* 4. *de Irregularit. cap.* 4. *quæſt.* 3. §. 4. *pluribus citatis*, Irregularitas non incurritur niſi ob culpam mortalem. Secundum, ut ſolemniter, & tamquam ex officio, *ut citat. cap. etiam obſervat gloſs. verb. ſi quis*, exerceatur actus Ordinis, qui ſecundum Eccleſiæ praxim nequit ab eo exerceri, qui ordine caret. Ideò apud ipſum *Layman.* tradunt dd. irregularem non eſſe, Clericum, qui etiam Dalmatica indutus canit Epiſtolam, vel Evangelium, dummodò Manipulum, vel Stolam non deferat; quæ ſunt Inſignia Diaconi & Subdiaconi reſpectivè.

An autem irregularitatem incurrat Laicus exercens actum Ordinis, quem non habet? negativè dicendum, ex *Nicolio lucubr. juris Canon. lib.* 1. *tit.* 1. *de juſtitia, & jure num.* 2. referente id à Doctoribus probabiliter teneri; & licet Textus generalis ſit, reſtringi tamen debet ad caſum Rubricæ, & ſecundum illam explicari. Rubrica autem ſic habet: *de Clerico non ordinato miniſtrante*; & alia: *Clericus miniſtrans in pertinentibus ad Ordinem, quem non habet, deponendus eſt, & amplius non ordinandus. Vide Cap. Officialis quo ad celebrationem Miſsarum pag.* 40. *num.* 7.

CAPUT XXX.

Officialis quoad Sepulturas.

SUMMARIUM.

1 *In Eccleſiis Regularium datur libertas eligendi ſepulturam.*
2 *Pœnæ inducentium ad electionem ſepulturæ.*
3 *Indebitè ſepelientes tenentur reſtituere.*
4 *Decedentes, ſepultura inelecta, tumulantur, vel in ea majorum, vel in Parochiali.*

5 Cum

recipere valeant, qui ſepeliri elegerint in locis, & Eccleſiis memoratis. -- Quod, & Conſtitutio *dum intra*: Moderatoria privilegiorum Regularium, edita in Concilio Lateranenſi ſub Leone X., ſequentibus confirmat: *Parochias autem cum Cruce ad levanda funera eorum, qui apud Eccleſias domorum, & locorum eorum, ubi ſuam elegerint ſepulturam &c.* & tenuit *Rota coram Coccino deciſ.* 552. *tomo* 2. *part.* 5. *deciſ. recent. nu.* 19. licitũ eſſe Chriſtiano eligere ſepulturam in qualibet Eccleſia, etiam ſi non ſit Parochialis; & facit *cap. Fraternitatem hoc titulo lib.* 3. *tit.* 28.

2 Verùm excommunicationem, Papæ reſervatam, incurrunt, tam Regulares, quam Clerici, *Ex Clement. Cupientes: de pænis lib.* 5. *tit.* 8. §. *Sanè*, ſi ad eligendam ſepulturam in ſuis Eccleſiis reſpectivè quempiam inducant, vel ad non immutandam electam alliciant.

Et cum Textus loquatur de inductione circa proprias Eccleſias, non ſubiicit cenſuræ, qui inducit ad ſepulturam eligendam in aliena Eccleſia; pœnalia enim ſunt ſtrictè interpretanda, *Engel. Colleg. uni. jur. can. lib.* III. *tit.* 28. *nu.* II. intellige ceſſante fraude, & mala fide. *Donat. prax. Regul tr.* II. *qu.* 27. *num.* 4.

3 Apud quos non ſunt ſepeliendi, qui contra tenorem Conſtitutionis in eis ſepulturam elegerint: & indebitè ſepelientes teneri ad reſtituendum, & oſſa defuncti, & quidquid ex inde receperint, ſi petatur, habetur *cap. Animarum de ſepulturis in* 6. *lib.* 3. *tit.* 12. addendo: -- quod niſi fecerint Eccleſię ipſę, apud quas ſepulti fuerint; nec non & Cęmeteria earundem ex tunc eo ipſo ſint, & tamdiù maneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto; donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium prædictorum. --

4 Decedentes ſine ſepulturæ electione, in ea majorum, ſi exiſtat, ſunt tumulandi; ſin autem, in Eccleſia Parochiali, *cap. his, qui habet in* 6. *loco cit.* ubi in terminis de moriente ab inteſtato, quantum ad ſepulturam in loco, ad quem, vel recreationis cauſa, vel ad recolligendos fructus ſe contulit, diſponit, prout ſequitur. -- Is, qui habet domicilium in Civitate, vel caſtro, quandoque ad villam ruralem ſe transfert recreationis cauſa, vel ut ruralia exerceat in eadem: ſi non electa ſepultura decedat ibidem, non in Eccleſia dictæ Villæ, ſed

in

in ſua Parochiali, vel in ea potiùs, in qua majorum ipſius ab antiquo ſepultura extiterit, ſepeliri debebit: dummodo abſq; periculo ad ipſam valeat deportari. --

5 Et de muliere; quæ pluribus nupſit, dicitur: -- Mulier autem, quæ plures viros habuit ſucceſſivè, ſi ſepulturam non eligat, eſt cum viro ultimo, cujus domicilium retinet, & honorem, tumulanda. --

6 Sic etiam in ſepulcro prædefuncti Mariti eſt ſepelienda Vidua; etiam ſi ad domum Patris rediiſſet, quia hoc privilegium datum eſt perſonæ, non loco; & quia domicilium, & dignitatem Mariti retinet: Undè Regina per viri obitum non amittit nomen, & dignitatem Reginæ. *Sperell. deciſ.* 88.*nu.* 13. *& ſequentibus*.

7 Generatim in ſepulcro Viri eſt ſepelienda Uxor: limitata in caſu, quo non fuerit cognita, nec à Viro traducta; tunc enim nondum domicilium, & cognomen Viri acquiſivit; & in caſu divortii, & ſeparationis à thoro, quia illud tunc amiſit, *ibid. num.* 17. & ſi alibi ſepulturam elegerit; *cui ex cap. de Vxore de ſepulturis lib.* 3. *tit.* 28. eſt liberum eligere ſepulturam, ſicut Viro: & nullam eſſe quoad hoc differentiam inter eos notavit, ibi *Gloſſa verb. de Vxore*.

8 Si Mulier moriatur prægnans, & cum ipſa fœtus in utero, ſi ex ipſo non extrahatur, ſepeliri debet cum Matre in loco ſacro, quia conſideratur, ut pars ejuſdem uteri; ſi verò extractus fuiſſet, vtpotè non baptizatus, in loco non ſacro tumulari debet, relicta Matre ad Eccleſiam, vel Cæmeterium. *Sperell. num.* 19.

Maritus autem non ſepelitur in Uxoris ſepulcro, quia non ſequitur Uxoris domicilium, & dignitatem. *Antonellus de regim. Eccleſiæ lib. cap.* 12. §. 1. *num.* 13.

9 Filius impubes, hoc eſt minor quartodecimo anno (pubertas enim per Gloſſam ad caput *licet in 6. loco cit.verb.pubertatis*: in muliere duodecimum, & in Viro quartum decimum ætatis annum exigit; eoſque completos per Gloſſam *ad cap. ſi Pater, de teſtam. in 6. lib.* 3. *tit.* 11. *ver. Impuberes*,) ut potè non ſui juris, ſepulturam eligere non poteſt, ex allegato *cap. licet*. Propterea ſi impubes moriatur ex ejuſdem diſpoſitione eſt cum ſuis majoribus, vel in Parochiali Eccleſia tumulandus.

10 Et

10 Et intelligitur,ſi Pater ejuſdem aliam non elegerit; quod poſſe ibidem conceditur. Cum reſtrictione; quod in loco vigeat conſuetudo eligendi ſepulturam filiis impuberibus legitimè introducta, quæ licet ſit præjudicialis Eccleſiæ particulari, nimirum, vel ei, in qua reperitur Majorum ſepulcrum, vel Parochiali; tamen non infertur eſſe debere conſuetudinem ſpatio quadraginta annorum præſcriptam, quia, ut obſervat Gloſſa *in cap. Cum in tua de conſuetudine in 6. lib. 1.tit.5. verb. conſuetudo, ubi conſuetudo rationabilis eſt, & non contra jus, ſufficit, quod ſit longeva, licet quadraginta annis præſcripta non ſit*, & juxta aliquos ſufficit ſpatium decem annorum.

Et licere parentibus, eorum filiis minoribus, qui ad annos pubertatis, non dum pervenerint, eligere ſepulturam in quacunque Eccleſia, etiam Regularium, nec a Parochis locorum impediri poſſe, aut debere, præſertim ſi in dictis Eccleſiis ſepelliri conſueverint, vel in eis habeant ſepulchrũ majorum, firmavit *S. Cong. Epiſc. & Regul. die 5. Julii* 1675. Quadragenaria exigitur in matre, & aliis quibus jus non aſſiſtit, ſicut Patri; ſed reſiſtit, quia conſuetudo contra jus

11 Canonicum debet eſſe præſcripta ſpatio quadraginta annorum. *Sperellus deciſ.* 89. *num.* 20. *& nota textum cap. Licet*, loqui univerſaliter ſine reſtrictione ad filium vivum, aut mortuum.

12 Secùs dicendum de filio familias: ex allegato *cap. licet*, cui jus aſſiſtit, & concedit poſſe ſine Patris aſſenſu ſibi ſepulturam eligere.

13 In caſu, quo filii, non electa ſepultura, decederent, ſi Pater, & Avus, eam in Regularium Eccleſia elegiſſent, ceteri verò majores in Parochiali, tumulandi eſſent in ea, in qua ſepulti eſſent Pater, & Avus; quia ab iſtis electa,dicitur ſepultura Majorum, quippe conſideratur filios majorem conjunctionem habere cum iſtis, quam cum aliis aſcendentibus. *Sperellus deciſ.* 88. *num.* 7. *& per Antonell. loco cit. num.* 3. veriſimile eſſet, quod niſi filii ab inteſtato deceſſiſſent, proximiorum ſepulturam ſibi elegiſſent.

Undè ſi Proavus, Avus, & Pater in tribus diverſis locis fuerint ſepulti, & filius inelecta ſepultura decedit, ſepelitur cum Patre *ibid. num.* 4. modo Pater non ex accidenti, nec caſu, ſed electione ſepulturam diverſam ab antiquis ſit ſortitus: *Sperell. ibid. n.9.*

14 Religioſis, cum velle, & nolle careant, ſibi ſepulturam eligere intedicitur *cap. Religioſi loco cit. de ſepult.* ideo apud ſua Monaſteria ſunt tumulandi, etiamſi extra ipſa decedant, modo commodè ad ea ferri poſſint; aliàs ſepeliendi ſunt in
15 Parochiali; & id intelligitur, ſi, dum ſunt in loco remoto, in quo decedunt, in alia Eccleſia ſepulturam non eligant. *Gloſſ. ibid. verb. Aliquis.*

Et ad ipſas Eccleſias per ipſoſmet Regulares aſportari poſſunt, etiam Parochis inconſultis, ex Sac. Cong. Concil. ſub die 2. Julii 1620., quæ propoſito dubio à Parochis Bononienſibus: videlicet; *morendo Frati: com'auviene alle volte, &*
16 *in particolare de Canonici Lateranenſi fuori del Monaſtero in caſa de' loro Parenti, & havendo i Curati amminiſtrati loro i SS. Sacramenti, ſe poſſono i loro Superiori farli portar di notte alla loro Chieſa ſenza dirne coſa alcuna al Curato, e ſenza dargli le ragioni Parochiali.* Reſpondit ad X. *Regulares extra Clauſtra decedentes poſſe ad eorum Eccleſias deferri, etiam Parochis inconſultis. Peyrin. de privil. tom. 2. ad Conſt. V. Pii V. ſub* §. 10.

De Advenis, qui apud Regularium Monaſteria infirmantur, ſi in eis decedant dictum eſt ſuperiori *cap. num.* 20.

17 Aliis quibuſdam difficultatibus, quæ occaſione electionis ſepulturæ poſſent oriri: *per Pignatel. tom.* 1. *conſult.* 17. ſatisfit declaratione, & decretis à Sac. Cong. Concil. editis, ad infraſcripta dubia.

I. An ſit valida electio ſepulturæ, quam quis ſive ſanus, ſive infirmus coram Parocho elegerit?

II. An ad validitatem electionis ſepulturæ requiratur teſtamentum in ultima infirmitate, vel ſufficiat, quod eligatur antea per alium actum publicum, qui teſtamentum non ſit?

III. An ſit nulla electio ſepulturæ, quando ipſa eligitur per teſtamentum, factum in vita, & non in morte?

IV. An, qui habet capellam ſuæ familiæ cum propria ſepultura, aut capellam erexerit cum ſepultura propria, moriens abſque ſepulturæ electione ſepeliendus ſit in Cathedrali?

V. An validè eligatur ſepultura coram duobus teſtibus?

VI. An electio ſepulturæ per nutus, & ſigna in caſu, quo

quo quis loqui non poſſit, ſit valida?

VII. An Confratres ſodalitatum, non electa ſepultura, poſſint ſepeliri in ſepulcro ſuæ Eccleſiæ?

VIII. An electiones ſepulturæ, quæ jure præſumuntur, ſicut Uxoris reſpectu Mariti, filii reſpectu Patris, eorumque majorum, ac ſervorum reſpèctum Dominorum ſint validæ?

IX. An qui poſt mortem mandat ſuum corpus indui habitu Tertiariorum ſit ſepeliendus in Eccleſia Regulari?

Ad quæ ſub die 13. Februarii 1666. reſpondens, declaravit, cenſuit, & decrevit, ut ſequitur.

18 Ad primum. Cenſuit eſſe validam; dummodo Parochus non teſtetur ad proprium commodum.

Ad ſecundum cenſuit non requiri neceſſariò teſtamentum.

Ad tertium. Cenſuit non eſſe nullam.

Ad quartum. Non eſſe ſepeliendum in Cathedrali.

Ad quintum. Eſſe validam.

Ad ſextum. Eſſe validam; dummodo ſufficientèr conſtet de voluntate Eligentis.

Ad ſeptimum. Negativè.

Ad octavum. Cenſuit, quatenus electa non fuerit ſepultura, Uxorem in ſepulcro ultimi Viri ſepeliendam, filios vero in ſepulcro majorum; ſervos autem in Parochia.

Ad nonum. Cenſuit negativè.

19 Sed neceſſe eſt, ut in ea ſepulturam eligat, ut ſub die 23. Novembris 1582. Sac. Cong. Epiſc. & Regul. reſcripſit Epiſcopo Novarienſi. *Pignat. tom.* 1. *Conſult.* 17. *num.* 20. ad quod etiam facit alterum ejuſdem Congregationis decretum, editum *ſub die* 19. *Decembris* 1615., ubi reſolvit, -- decedentes cum habitu Religionis, eis à Superiore, vel alio, ex ejuſdem commiſſione, conceſſo, ſepeliendos eſſe in ipſorum Regularium Eccleſia; dummodo præmoniti fuerint, quod propter habitus conceſſionem, ac receptionem, eorum cadavera apud eoſdem ſunt tumulanda. -- *Peyrin. de privileg. tom.* 3. *cap.* 4. *num.* 53. *addit. ad Conſtitut. Leonis X. ad ſecundum*.

Et non eſſe de neceſſitate in eorundem Eccleſiis ſepeliendos, bene notatur ex iis, quę habet Leo X. *Conſt. dum intra Bull. Cherub. tom.* 1. *pag.* 586., -- volentes quoque ſepeliri in ha-

habitu eorundem fratrum in clauſtro non degentes, ſed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate ſepulturam ſibi eligere liberè poſſint. --

Et licet alibi ſepulturam eligant, debent nihilominus Regulares eſſe faciles in concedenda Laicis licentia, ut cum habitu Religionis, ſepeliri valeant. *Donat. prax. Regul.tom.* 3. *tract.* 10.*qu.* 20.

20 Qua Conſt: idem Leo in terminis pro Tertiariis addit: -- Fratres autem, & Sorores Tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pizocharæ, Cordellati, & alii, quocumque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes, ſepulturam, ubi voluerint, eligere valeant. -- Unde ſi eam in Eccleſia Regularium eligant, apud ipſos ſepeliendi erunt. Et in caſu, quo, inelecta ſepultura, decederent, licet in illis commune pro eis ſepulcrum exiſteret, in parochiali, vel in ea majorum.

Quod certè infertur ex decreto Sac. Cong. Concilii relato à *Lantus*: *verbo Tertiariæ num.* 3. hujus tenoris: *Præterea ſi contingat aliquas ex præ dictis Tertiariis* (hoc eſt, quæ virginalem, ſeù Cęlibem, caſtamque vidualem vitam traduxerint, expreſſo voto, & ſub Religionis habitu eiſdem, in ætate ſaltem quadraginta annorum conſtitutis, & priùs ab Ordinario loci licentia impetrata, à Superiore Regulari conceſſo, (*ibidem numer.* 4.) ſine ſepulturæ electione decedere, eas ſic decedentes, ità demum in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, ſi in ipſis earum communis ſepultura reperiatur, ſin minus, in Eccleſiis Parochialibus, ſepeliendas eſſe decernit. -- Ubi liquet decretum reſtringi ad ſolas Tertiarias, quibus præfatæ conditiones aſſiſtunt, & non extendi ad alios Tertiarios Mares, fœminaſve in propriis domibus habitantes.

20 Sine pręjudicio tamen jurium Parochialium, & requiſito priùs Parocho, eſt exequendum; quo venire nolente, etiam ipſo invito ad Regularium Eccleſias tranſportari poſſunt: *Sperel. deciſ.* 87. *num* 16.

21 Tertiarii autem, qui collegialiter vivunt, aut cum clauſtralibus habitant, tumulari debent in Eccleſiis Fratrum, quorum habitum geſtant, etiam invito, ac minimè requiſito Parocho *Antonel. cit. num.* 25. *ex Lavorio*, & ſi ſit conſuetudo, ut Parochus vocetur, ſervanda.

In

In favorem ſepulturæ Cordigerorum utriuſque ſexus, refert *Lantuſca v.Confrat. nu.* 12. decretum tenoris, qui ſequi-
22 tur. *Demum circa ſepulturam Cordigerorum utriuſque ſexus* S. Cong. Epiſc., & Regul. in controverſia *Senogallien die* 22. *Novembris* 1580. ſic obſervari mandavit: -- quod ubi adeſt ſepultura communis pro Cordigeris in Eccleſia Fratrum Minorum; ubi eſt erecta Confraternitas, ſepeliantur in ea; ubi verò non eſt talis ſepultura, moderentur, ſicut cæteri ſeculares, & ſepeliantur in Parochiali Eccleſia, ſi non ſibi elegerint aliundè ſepulturam: -- quod certè procedit in caſu mortis, ſepultura in electa: aliàs à privilegio nil haberent, quia eſt, etiam aliarum ſodalitatum Confraternitatibus commune, quod, ſi habeant in propriis Eccleſiis communes ſepulturas, eaſque ſibi eligant, in eis ſunt ſepeliendi.

Neque dicendum, privilegium eſſe locale, quia loquitur de Sepultura Cordigerorum, exiſtente, non in tali Eccleſia particulari, ſed in ea Fratrum Minorum.

23 Novitius, qui ſine electione Sepulturæ decedit, in Monaſterio ſepeliendus eſt; etiam ſi ante mortem fuiſſet in propoſito redeundi ad ſeculum, quia hujuſmodi propoſitum non extrahit ipſum à ſtatu Novitiorum; ſicut, nec voluntas mutandi Parochiam, liberat à jure Parochiali; ſed requiritur factum ſolvens contractum, quo Novitius ſe tradidit Religioni, ad effectum ipſam experiendi, & hæc ipſum recepit, eo fine, ut ipſum probet. *Engel. cit. n.* 12.

24 Famuli pretio conducti, cæterique mercede Monaſterio inſervientes, & alii conſimiles, quamquam in Monaſteriis decedant nequeunt à Regularibus, invito Parocho in propriis Eccleſiis ſepeliri; qui per D. D. habet intentionem fundatam in jure ſepeliendi in ſua Parochia omnes ſuos Parochianos, quocumque loco moriantur; niſi alibi, vel Sepulturam elegerint, vel habeant: Et famulus pretio conductus ad Fratrum auxilium non deſinit eſſe ſub jure proprii Parochi, nec ex eo fit Regularium commenſalis, aut in Monaſterio domicilium acquirit: niſi apud eos Sepulturam eligat.

25 Quo caſu Regulares ipſos tradere Sepulturæ nequeunt, Parocho irrequiſito, & canonica portione, vel quarta, non ſoluta, niſi beneficio exemptionis liberentur. *Vide cap. Officialis quoad Quartam.*

Gene-

Generatim ſi nec ipſe Defunctus, nevè ejus majores certum Sepulturæ locum ſibi determinaverint, in ſua Eccleſia Parochiali, licet extra eam decedat, tumulabitur, modo ad ipſam commodè deferri poſſit.

26 Si verò Defunctus in duobus locis æqualiter domicilium habuit, ita, ut in uno ſex menſibus, & totidem in alio, moram fecerit, & Sacramenta æqualiter in duabus Eccleſiis Parochialibus reſpectivè perceperit, in ea ſepelietur, ubi deceſſerit; Et ſi id extra utrumque locum contingat, in ea Sepulturæ dabitur, ad quem Prudentum arbitrio poterit faciliùs deportari.

27 Nomine domicilii in caſu venit, ne dum *verum domicilium*, locus nimirum, quem quis eligit ad ibi perpetuò habitandum, ſed etiam *quaſi domicilium*, & locus, in quo per notabile tempus, ſcilicet per majorem anni partem, quis habitaverit, aut ſaltem animo habitandi advenerit; & quatenùs verum domicilium nolit collocare, ut evenit ſcholaribus, ruſticis, famulis, officialibus &c., nihilominus per Doctores ſufficit ad fundandam juriſdictionem fori pœnitentialis ad recipienda Sacramenta, & Eccleſiaſticam Sepulturam. *Engel. ſub n.* 4.

28 Habens domum in confinio duarum Parochiarum cum duabus portis, ex quibus æquali frequentia ad eam pateat aditus, & uni una, altera alteri Parochiæ correſpondeat, illius Parochiæ cenſetur, quæ anteriorem partem domus reſpicit, quia hæc principalis, & nobilior pars illius judicatur. *Anton.cit.*§.3. *n.* 41. & in ea ſepeliendus eſt ejuſdem Dominus.

29 Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Primates in eorum reſpectivè Eccleſiis Cathedralibus tumulantur, in quibus, item earundem Dignitates, Canonici, Capellani, aliique Beneficiati, quamquam in diverſis Parochiis, proprias domos habeant. Capellani aliarum Eccleſiarum in illis ſepeliuntur: dumodo non ſint Capellani amovibiles, quia tunc in propriis Parochiis debent ſepeliri. *Antonel. cit. n.* 28. *& alii*.

Quod intelligendum, niſi præfatì alio ſibi pro Sepultura locum eligerint, vel à majoribus electam reperiant.

30 Indigni Eccleſiaſtica Sepultura cenſentur, qui non ſunt de Eccleſia, Judæi, & Gentiles &c.

Item Hæretici, eorumque receptatores, defenſores, vel fautores: *cap. Quicumque de Hæret. in 6. lib.* 5. *tit.* 2.

Mani-

Manifeſti Uſurarii: *cap. Quamquam de Vſuris in 6. tit. 5. lib. 5. & cap. Quia in omnibus eodem tit. lib. 5. tit. 19.*

Publicè excommunicati: *Clement. eos de Sepult. lia. 2. tit. 7.*

Illi, quibus eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, ſi impœnitentes decedant: *cap. Is cui de ſenten. excom. in 6. lib. 5. tit. 11.*

Item Blaſphemantes Deum, Sanctos, & præſertim Virginem Deiparam, & impœnitentes occumbentes: *cap. Statuimus, de Maledicis lib. 5. tit. 26.*

Monachi, & Religioſi, qui proprietarii moriuntur: *cap. Cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum lib. 3. tit. 35.*

Qui in Paſchate à proprio Sacerdote communionem non receperunt, niſi ante mortem pœnituerint, & de omiſſione notoriè conſtet: *cap. Omnis de pœnit. & remiſ. lib. 5. tit. 38.*, & qui ſemel in anno peccata Sacerdoti non ſunt confeſſi: *ibidem.* Omnes in notorio peccato mortali decedentes, ut Meretrices, Concubinarii, interempti in ipſo crimine, furti, vel adulterii,& alii, nullo dato contritionis ſigno: ex *Gloſſ. in cap. Quia de uſuris lib. 5. tit. 19.*

Qui ſibi morte ex iracundia, & deſperatè inferunt; non autem, ſi ex fatuitate; vel, ſi inflicto ſibimet vulnere læthali, ante mortem pœnituerit, *ibidem*: in dubio tamen præſumi debet, quod peccaminosè ſibi mortem non intulerit; unde non eſſe negandam Sepulturam illi, qui reperitur mortuus in puteo, vel ſuſpenſus: *ex Genuenſi tradit Gobat. tomo 2. Operum Moral. tract. 5. ubi ſepeliendus, cap. 50. pag. mihi 416. n. 13.*; cum potuerit per vim, aut inſidias in puteum projici, aut ſuſpendi, vel ex furore, & mentis alienatione, id facere. Et ex *Zerola n.* 15. extenditur etiam ad repertum in camera, etiam clauſa, ſuſpenſum, ſi prius dederit aliqua ſigna melancholiæ; cum non certò conſtet de ſuſpenſione ipſi ſuſpenſo peccaminoſa, & in dubio debet præſumi aliquem, potiùs benè, quam malè mortuum.

Item, Religioſo tumulo ſunt privandi in ebrietate morientes, dummodo hæc duo ex *Gobat. ibidem num. 6.*, conſtent: alterum illorum bibiſſe uſque ad ebrietatem præviſam, ſic, ut præviderit manifeſtum periculum mortis, ſi ſe inebriaret, quia tunc certe erit verum, eum ſibi mortem violentam inferre, & ne dum in ebrietate, ſed etiam ex ebrietate

dece-

decedere; Et alterum occubuiſſe, priuſquam rediret ad rationem, quia tunc erit notorium in ſtatu peccati mortalis deceſſiſſe.

Qui in torneamentis cum probabili vitæ periculo, & non, vel recreationis cauſa, vel ad honeſtum armorum eſercitium inſtitutis, occumbunt; *cap. Felicis de torneamentis lib.* 5. *tit.* 13.

Tandem ab Eccleſiaſtica Sepultura excluduntur decedentes in Duello, etiam privato, ſine Patrinis, & Sociis, cum ordinario tamen vitæ periculo, ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco, ad hunc effectum, electo: *Trid. ſeſſ.* 25. *de Refor. cap.* 19., *& Bulla Gregorii XIII. Ad tollendum*: *Bull. Cherub. tom.* 2. *pag.* 460., *& Clementis VIII. Illius, tomo* 3. *pag.* 13.

31 Cum verò aliquis læthale vulnus in duello recipit, & extra illud cum Sacramentis Eccleſiæ, vel ad minus exhibitis pœnitentiæ ſignis, occumbit, videtur non debere ſepultura in loco Religioſo privari, quia id ex Conſtitut. non colligitur; & Concilium dumtaxat loquitur de morientibus in conflictu: *Engel. Colleg. Jur. Can. lib.* 5. *tit.* 28. *n.* 21. Termini enim penales ſunt ſtrictè intelligendi.

Et ptopterea pœnæ Duellantium non extenduntur ad eos, qui inopinato ex iracundia dimicant, & non ex condicto, ſtatuto tempore, & loco electo; quia dimicatio eſt potius aggreſſio, & defenſio, quam duellum.

32 Eum tamen comprehendunt, qui ab altero, ad pugnandum in duello, conviciis, & contumeliis laceſſitus, pugnam, vel, ne Principis favorem amittat, aut, ne inermis notam incurrat, vel, ut à moleſto provocante ſit liber, amplectens, in duello occumbit; quia Chriſtiano aptiùs medium ad proprium tuendum honorem, eſſet provocanti reſpondere; *paratus eſſem, & libenti animo certamen ſuſciperem, ſi id per Eccleſiam mihi liceret, & per Pontifices non prohiberetur*. *Engel. cit. n.* 22.

33 Si horum aliquis contra Sacros Canones fuerit in loco ſacro ſepultus, exhumari debet, ex *cap. Sacris de Sepult. lib.* 5. *tit.* 28.

Dubium eſt de Cathecumeno. *Layman* eſſe privandum, tradit, *loc. & n. cit.*, verùm, cum pro Cathecumenis concedat Eccleſia poſſe Miſſarum ſuffragia offerri, ut liquet ex *reſpon. Innocentii III. cap. Apoſtolicam de Presbyt. non baptizat. lib.* 3. *tit.* 43.

tit. 43. facta Epiſcopo Ferrarien., prout ſequitur: *& in Eccleſia tua juges preces, hoſtiaſque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato* (ſcilicet non baptizato) ſequitur, ut notat *Gobat, Experient. Theol. tract.* 2. *baptiſmi caſu* 18. *ſect.* 2. *n.* 640. non
34 eſſe ei ſacrum tumulum denegandum, ex eo, quod, conceſſo principali, & majore, ſoleat concedi acceſſorium, minuſque principale.

35 Jus ſepeliendi Parochianos ad jura Parochialia ſpectat; quæ, ut etiam tenuit *Rota in Averſana Funeralium coram Coccino deciſ.* 152. *tom.* 2. *part.* 5. *deciſ. recent. n.* 3. conſiſtunt.

I. In eo, quod Parochiani diebus feſtivis audiant Miſſam in Parochia, ut habetur *cap. Ut Dominicis de Parochiis lib.* 3. *tit.* 29. Verùm de conſuetudine hodie non ſervari ea deciſione notatur; & Fideles ſatisfacere præcepto de audienda Miſſa diebus feſtis, ſi illam audiant in Regularium Eccleſiis, nos diximus *cap. Officialis quoad celebrationem Miſſarum num.* 4. *&* 5.

II. Quod Parochiani percipiant Sacramenta in Eccleſia Parochiali, ſeù à Presbytero dictæ Parochialis.

III. Quod Parochiani in Parochiali ſepeliantur, niſi ſibi eligant in alio loco Sepulturam; quod non negatur, cum id ex *cap. Cum liberum de Sepulturis lib.* 3. *tit.* 28. ſit actus propriæ voluntatis; & niſi adſit in alia Eccleſia Sepulcrum majorum *cap. Fraternitatem tit. & loc. cit.*, in quo caſu Parochus habet fundatam intentionem in quartam funeralem ex *Clementina Dudum §. hujuſmodi*, niſi conſuetudo, vel Privilegium ei reſiſtat. *vid. cap. Offic. quoad Quartam funeralem*.

IV. Quod Decimæ ſolvantur Parochiali *cap. Cum contingat de Decimis lib.* 3. *tit.* 30.

V. Quod ei ſint debitæ oblationes; ad quæ etiam ſpectat ſolemnis Nuptiarum benedictio, & illa Domorum Parochianorum Hebdomada Sancta; ſed de hoc ſatis, cum ex profeſſo cæteri tractent.

CAPUT XXXI.

Officialis quoad Syndicum Apoſtolicum.

SUMMARIUM.

1 *Facultas Syndici Apoſtolici.*
2 *Pontifices Syndicum conceſſerunt.*
3 *Miniſtri nominant Syndicum, & Papa inſtituit.*
4 *Propriè non eſt Syndicus Fratrum.*
5 *Quid ſignificet nominatio à Fratribus facta?*
6 *Puritas Regulæ non læditur.*
7 *Sententia Sanctoro.*
8 *Sancta Sedes Regulas approbat.*
9 *A quo ſubſtituti inſtituantur?*
10 *Cujus nomine pecunias adminiſtrent?*
11 *Nomine cujus, res etiam, adminiſtrentur?*
12 *Apud Syndicos non debet permitti, ut deponantur pecuniæ ſupra neceſſitatem.*
13 *Quando liceat ad Syndicos recurrere?*
14 *Quid de pecuniis antequam expendantur?*
15 *Nil juris habent Fratres in pecuniis.*
16 *Computus juridicos nequeunt Fratres exigere.*
17 *Syndici non ſunt perſonæ interpoſitæ.*
18 *Syndici dici poſſunt ſubſtituti Amici ſpiritualis.*
19 *Cur facta ſit proviſio Syndici.*
20 *An Guardiani poſſint Syndicos nominare.*
21 *Procurator, & CommiſſariusGeneralis Curię Syndicos nominant.*
22 *Quæ perſonæ debeant nominari?*
23 *Syndici inſtruendi, & de quibus?*
24 *Clemens VII. privilegia Syndici elargitur.*
25 *Unus pro quolibet Conventu conceditur.*
26 *Inn. XI. confirmat exemptiones Syndicorum.*
27 *Syndici eximuntur ab oneribus communitativis.*
28 *Sunt exempti Repreſſaliis.*
29 *Eximuntur à ſolutione collectarum, etiam quo ad bona exiſtentia extra diſtrictum Syndicatus.*

Nomi-

NOmine Syndici Apoſtolici venit pia quædam perſona, ex facultate Sedis Apoſtolicæ Ordini Mino-
1 rum facta, ab ejuſdem Miniſtris Generalibus pro toto Ordine, & Provincialibus pro Provinciis, & Conventibus reſpectivè nominata, eo fine, ut eiſdem Fratribus res oblatas, & relictas nomine Romanæ Eccleſiæ recipiat, earumque pretium, ſi eas per eum vendi contingat, in Fratrum utilitates (pro ut eis licet ex Regula) quando à præfatis Miniſtris, vel de dictorum aſſenſu, à Fratribus fuerint requiſiti, convertant.

Syndicos conceſſere Nicolaus III. *cap. Exiit de verbo ſi-*
2 *gnif. lib. 5. tit. 12. §. Si verò*: ubi diſpoſuit deputandos eſſe à Sancta Sede, vel Cardinali Protectore; & ſucceſſivè Martinus IV., & V., ac Paulus item IV. *Conſt. ex Clement. Bullar. Cherub. tomo primo pag.* 806.

Et quamvìs in terminis Conſt. Martìni, & Pauli, Syndi-
3 cos nominent præfati Miniſtri; Non inde infertur, quod ipſos inſtituant, quia per ipſos nominati, à Sancta Sede auctoritatem recipiunt, & à Summo Pontifice inſtituuntur Economi, & Procuratores, ut liquet per *textum Pauli IV.* -- Quod Generales per ſe in toto Ordine, & ſinguli Provinciales Miniſtri, poſſint nominare ſpeciales perſonas, quæ non ſint de dicto Ordine Minorum, pro locorum indigentia ſingulorum, quando, & quoties opus fuerit, in ſingulis eorum Conventibus, quas perſonas taliter nominatas, pro tempore, in iis adminiſtrationem legitimam, & generalem, ac liberam gerere, & ipſos veros, & legitimos Adminiſtratores, Economos, Syndicos, & Actores eſſe de poteſtatis plenitudine conſtituendo, eadem authoritate etiam decernimus; -- quod refert priùs, à Martino IV. diſpoſitum.

4 Nec Fratrum Procurator, & Syndicus, cum verborum proprietate nominatur; quod certè patet, ex quo ipſi ſint, tam in communi, quam in particulari, quorumcumque bonorum incapaces, adeoque Economi, qui ipſorum nomine temporalia adminiſtret; ſed in ſenſu vero, ſunt Romanæ Eccleſiæ (cujus ſunt bona ipſis Fratribus relicta, ſi dantes ſibi dominium non reſervarunt) Syndici, & Procuratores, ut cætera ejuſdem textus ſuadent; -- qui res ipſas, & rerum ipſarum pretium,&

prædictas eleemoſynas nomine Romanæ Eccleſiæ recipiant, & recipere poſſint &c. --

Unde nominatio à Miniſtris facta, ut notat *Marchant. re-*
5 *lec. Theol., & literal. in Regul. Sancti Franciſci difficul. de inſtitut. Synd. reſolut. prima pag. mihi* 41. eſt pura declaratio, quod auctoritas Papæ, ad præfata exequenda, in perſonam nominatam derivat: & quòd legitima facultate, & Romanæ Eccleſiæ nomine, adminiſtret, quæ ſibi commiſit, & modo, quo mandavit, & ordinavit.

Ideo in nullo, conſtat ex Martini, & Pauli proviſione,
6 Regulæ puritatem offendi, cum potiùs temporis circumſtantiis, & difficultate, Romam, vel Epiſcopos adeundi, inſpectis (quibus ex Epiſtola Cardinalis Matthæi Ordinis Protectoris, *ſub data quarto Kal. Maii* 1280., Syndicorum inſtitutio committebatur, *Marchant ibidem difficult.* 2. *pag. mihi* 16. *&* 39.) ſit facilior modus ab ipſis Pontificibus pro puriori Regulæ obſervantia inventus. Ex dicendis *ſub n.* 8. *Orb. Seraph. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 16. §. 4. *pag.* 260.

Ex alio titulo contineri in Martiniana, & Paulina
7 diſpenſationem relaxativam puritatis Regulæ, tenet cum aliis *Sanctorus Coment. in Conſt. Sancti Franciſci cap.* 4. *ſtat.* 4. *pag. mihi* 373. & ſic, ut non liceat Fratribus de Corpore Obſervantiæ, renunciatis privilegiis Regulæ relaxativis, uti Syndico à Martino IV., V., & Paulo IV. conceſſo; præſertim, quo ad illum actum recipiendi, nomine Romanæ Eccleſiæ, pecunias, & rerum pretium, eaſque in Fratrum neceſſitates, de Miniſtrorum aſſenſu, & dum fuerit requiſitus, expendendi.

Ne dum, quia, ut ipſe ex Patre Zimenez notat, Fratres ſint veri domini, & diſpoſitores talium eleemoſynarum; cum eis liberè utantur pro quolibet uſu; ſed etiam, quia vix eleemoſynæ pecuniariæ ad manus Syndicorum perveniant, quæ à Fratribus quæſtuatæ non ſint; & nulla alia quo ad hoc reperiatur inter Syndicos, & Cippos (iiſdem Fratribus per Clement. V. *Clement. Exivi* §. *Porrò*: tum in Eccleſia, ſive alibi, interdictos ad recipiendas offerentium, ſeù donantium pecunias) differentia, quam, quod Cippi ſint inanimes Syndici, Syndici verò animati Cippi; quos ſemper cum pecuniarum ſumma ad Fratrum neceſſitates paratos habere, puritati Regulæ repugnat, & theſaurizationem, Fratre Minore indignam, ſapit.

Cæte-

Cæterum nihil concludenter inferri contra puritatem
8 Regulæ ex diſpoſitione Syndici à præfatis Pontificibus ſtatuta; eſt certum ex ejuſdem Sanctæ Sedis oraculo; in cujus manu eſſe ipſam Regulam declarare, modoſque idoneos, & accomodos ad puram ejuſdem obſervantiam approbare, & diſponere tradit in terminis *Marchant loco cit. diſſ.* 3. *q.* 2. *ſeſſ.* 3. *fundam. primo*, *pag.* 35. *ex textu*: *Frater Franciſcus promittit obedientiam, & reverentiam Domino Papæ Honorio, ac Succeſſoribus ejus canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ.* Virtute cujus promiſſionis approbatio Regulæ, ipſius declaratio, & expoſitio in manus Pontificum reſignata eſt.

Et facit quod Innocent. XI. *ſub die* 20. *Novembris* 1679. Conſt. edidit, incipit *Sollicitudo Paſtoralis*: ſuper pura Regulę obſervantia, in qua præmiſſis revocatione, caſſatione, & nullitate omnium, & ſingularum diſpenſationum, conceſſionum, & conſuetudinum, quæ Regulæ, & puritati repugnarent, ſubdit; -- Declarantes tamen pariter, quod per præmiſſa non prohibentur in dicto Ordine Syndici Apoſtolici, cum eorum uſus non ſit diſpenſatio in Regula; ſed modus à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus Noſtris proviſus pro puriori illius obſervatione: ſive ejuſmodi Syndici aſſumantur ad præſcriptum Conſtitutionum Nicolai III., & Clementis V., ſive ſecundum diſpoſitionem Conſtitutionum rec. mem. Martini IV., & Martini V., & Pauli IV. (& ex hoc liquet Pauli Conſtitutionem non eſſe ſubreptitiam, ut vult Sanctoro.) Prædeceſſorum pariter Noſtrorum, prout illorum uſus in ſingulis Familiis, Congregationibus, Reformationibus, aut Provinciis, Ordinis prædicti, reſpectivè fuerit receptus. --

Ideo conſtat, cum per Pontifices prohibeantur Cippi, & non Syndici, illorum uſum, & non Syndicorum, puritati Regulæ adverſari: & non eſſe inter Cippos, & Syndicos paritatem.

Imò, ſi ejuſdem ratio ſubſiſteret propter ejuſdem identitatem, applicanda eſſet Syndico, per Nicolaum III. §. *Si verò res*, conceſſo, & perſonæ, §. *Quo caſu*, per Fratres nominatæ, & præſentatæ: ac Donantium ſubſtitutis, §. *Sic in iſtis*, cum, quæ his, ex Declarationibus Nicolai III., & Clem. V., conveniunt, eadem ſimili modo competere Syndicis appareat; nam

I. Subſtituti, vel ab ipſo Donante, vel à Fratribus de-
9 volun-

9 voluntate Donantis inſtituuntur, prout Nicolaus §. *Quo caſu*.
Sic Procuratores, ſive Syndici, per Pontificem, ut Dominum
rerum, & pecuniarum, vel de Pontificis voluntate, per Mini-
ſtros Generales pro toto Ordine, & Provinciales pro Provin-
ciis, & ipſarum Conventibus, nominantur.

10 II. Subſtituti, res, & pecunias adminiſtrandas nomine
Donantium, recipiunt, eaſque ex intentione, & Donantium
voluntate erogare tenentur in uſus Fratrum, ſecundum Re-
gulam licitos, pro ut à Miniſtris, & Cuſtodibus (ſub quibus
comprehenduntur etiam Guardiani) fuerint requiſiti; Idem
11 §. *Ita tamen*, & §. *In ea non*; Syndici pariter nomine Papæ,
utpotè legitimi Domini, res, & pecunias apud ſe depoſitas, re-
cipiunt, & eas, juxta ejus intentionem, & ipſius nomine, ad-
miniſtrant in uſus, Fratribus ſecundum Regulam licitos, eiſ-
dem per præfatos ſignificatos, vel, quod idem eſt, prout ab eis
ſunt requiſiti.

III. Fratres ſcienter non poſſunt permittere, nec rogare,
ut Donantes plus deponant apud Subſtitutos, quam neceſſi-
tates eorum exigant; Nicolaus §. *Caveant tamen*. Pari modo
ſi Guardiani conſentiant, vel permittant plus pecuniæ apud
12 Syndicos deponi, quam Fratrum neceſſitates præſentes, præ-
teritæ, & imminentes (hoc eſt, quæ quaſi incipiunt eſſe) re-
quirant, Regulæ ſunt tranſgreſſores; Unde apparet contra
Sanctoro non eſſe à Pontificibus conceſſos ad theſauriza-
tionem.

IV. Nequeunt Fratres recurrere ad Subſtitutos, quibus
à Donante ſunt commiſſæ pecuniæ, niſi pro præterita, immi-
13 nenti, & præſenti neceſſitate. Idem Nicolaus §. *Articulum
iſtum*, §. *Et quia oportet*, §. *Sic in iſtis*: & Clemens ſub §. *Porro*
addit: -- Cum etiam recurſus ad amicos ſprituales expreſsè
tantùm in duobus caſibus ſecundum Regulam concedatur:
videlicet: pro neceſſitatibus infirmorum, & Fratribus induen-
dis: idque piè, & rationabiliter, conſiderata neceſſitate vitæ;
ad alias neceſſitates Fratrum, pro tempore occurrentes, ceſſan-
tibus eleemoſynis, ſeù etiam ingruentes, ſæpe dictus Præde-
ceſſor duxerit extendendum; attendant Fratres præfati, quod
pro nullis cauſis aliis, quam prædictis, vel ſimilibus, in via,
vel alibi currere licet eis ad amicos hujuſmodi: ſive ſint dan-
tes pecunias: ſeù Deputati per ipſos, ſive Nuncii, vel Depoſi-

tarii,

tarii, ſeù alio quovis nomine appellentur, etiam ſi conceſſi per eandem declarationem modi circa pecuniam, integrè ſervarentur; — Adeout ſi contra diſpoſitionem Nicolai, dicantur per Clementem tranſgreſſores Regulæ; quia *ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expreſsè non conceditur, intelligitur denegatum*; Nec aliter eis permittitur ad Syndicos recurſus.

V. Sicut Donans poteſt quacumque hora, & momento priori ad converſionem pecuniæ in rem Fratribus licitam, eam
14 de manu Subſtituti repetere: Nicolaus §. *Ità tamen*: ſic Pontifex poteſt pecunias in manu Syndici, nomine ſuo, depoſitas, repetere, & in alium uſum convertere.

VI. Nil juris habent Fratres in pecunia, in manibus
15 Subſtituti exiſtente, quod tradit idem *Nicol. cit.* §. his verbis: -- In ipſa pecunia nihil omnino Fratres juris habent, nec adminiſtrationem, ſeù diſpenſationem: nec contra perſonam nominatam, vel non nominatam ab eis, cujuſcumque conditionis exiſtat, in judicio, vel extra, actionem, proſecutionem, aut aliquid aliud vis intentent; qualitercumque perſona prędicta in commiſſione hujuſmodi ſe habeat. *Et Clemens V.* §. *Denique addit*: Curare Fratres vigilanter neceſſe eſt, quod cum ex cauſis prædictis, & modis, habentes pecunias deputatas pro ipſorum neceſſitatibus recurrere oportebit ad tenentes ipſas; quicumque hi fuerint, principales, vel Nuncii, in omnibus ſic ſe gerant, quod ſe cunctis oſtendant in dictis pecuniis (ſicut nec habent) penitùs nil habere; Quapropter pręcipuèque, & qualiter pecunia expendatur, computumque exigere de expenſa: eam quoque repetere, ſive deponere, aut deponi facere capſulam pecuniæ, vel ejus clavem deferre: hos actus, & conſimiles, ſibi Fratres illicitos eſſe ſciant; prædicta enim facere ad ſolos Dominos pertinet, qui dederunt, & eos, quos ipſi deputaverunt ad hoc ipſum; -- ſic nec in ea Syndi-
16 cis commiſſa aliquod jus, & proprietatem habent, à quibus juridicos computus exigere nequeunt, nec pecunias repetere, neque curare, quod apud eos auctoritativè per ſe, vel per alios deponantur; ſed dumtaxat ad eos, uti ad Subſtitutos, & Syndicos Domini Papæ licet dirigere (ſi per ſe ipſas, vel alios nolint neceſſitatibus Fratrum occurrere) perſonas, quæ eleemoſynis neceſſitatibus Fratrum intendunt provideri; & ſolum poſſunt rogare Syndicos, ut expoſitis neceſſitatibus ſucurrere

velint:

velint: Ut tradit *Nicol.* §. *Ità tamen*. Unde apparet quod requiſitio illa à Paulo appoſita non eſt auctoritativa, ſed conſultiva dumtaxat, & deprecativa.

Si aliquando Syndici videantur computus reddere: actus ille non eſt juridicus, in debito, vel obligatione fundatus, ſed eſt quædam naturalis, & charitativa informatio Superioribus exhibita, ad oſtendendam propriam fidelitatem (ad quam Fratres poſſunt eos exhortari) ut juxta eorundem inſtructionem, & juxta eleemoſynarum notitiam, ſciant, quid ſuper recurſu, ex Regula permiſſo, quo ad neceſſitates Fratrum, iidem Superiores poſſint ſecundum Regulæ puritatem agere.

VII. Subſtituti Donantium interpoſita Fratrum perſo-
17 na, nec eſt, nec poteſt dici ex *Nicol.* §. *Ad majorem &c.* -- Declaramus: *ait*, quod Fratres (præfatis modis, ut prædicitur circa pecuniam in ſupportandis eorum præteritis, & ingruentibus neceſſitatibus obſervatis) non intelligantur, nec dici poſſint per ſe, vel per interpoſitam perſonam pecuniam recipere contra Regulam, vel profeſſionis ſui Ordinis puritatem; cum manifeſtè pateat ex præmiſſis, ipſos Fratres non ſolum à receptione, proprietate, dominio, ſive uſu ipſius pecuniæ: verum etiam à contrectatione qualibet ipſius, & ab ea pecunia penitùs alienos. Sic de Syndico dicendum: -- Nam interpoſita perſona illa dicitur, quæ nomine Fratrum pecunias recipit, eas eorum auctoritate, & beneplacito expendendas.

Ille autem pecunias, quarum nedum receptio, proprietas, & dominium, ſed etiam uſus eſt Fratribus per Nicolaum interdictus, nec nomine Fratrum recipit nec ipſorum auctoritate expendit.

VIII. Subſtituti Donantium dicuntur Subſtituti amici ſpiritualis, perſonæ ſcilicet, ex amore Dei, vel devotione ad Fratres, ſponte, vel rogatæ, dantis pecuniam pro neceſſitatibus Fratrum, quibus aliter provideri nequit, niſi mediante pe-
18 cunia; ſic Syndici dicuntur Subſtituti amici ſpiritualis, Papę nimirum, qui impotens per ſe ipſum expendendi pecunias in Fratrum uſus, eas erogandas committit perſonæ per Fratres nominatæ; imò & ipſis participativè ratione miniſterii poteſt nomen amici ſpiritualis convenire juxta textum Clementis *cit.* §. *Porro*.

Et ſi dubitetur: cum Syndicus Subſtituto Donantium

æquipol-

æquipolleat, cur ejuſdem proviſio fuerit à Sancta Sede indu-
19 cta? Reſpondetur ex verbis *Conſt. Inn. XI. Ad puriorem Regulæ obſervantiam*: imo & faciliorem. *Orb. Seraph. cit. n.* 6. Cum facilius ſit, uni dumtaxat perſonæ, ſecundum poſteriores diſpoſitiones Martini, & Pauli electæ, ſignificare, quæ ad puram Regulæ obſervantiam conducunt, & ſunt ad hunc finem per perſonam electam exequenda, quam pluribus aſſumptis juxta alteram Nicolai.

Poſſe Guardianos, obtenta ad id à Provincialibus facultate, Syndicos nominare, tradit *Roderic. q.q. Regul. tom.* 3. *q.* 39. *art. primo*; imo & aliis Fratribus videtur poſſe à Miniſtris concedi, per ea, quæ habentur allegata *Conſt. Pauli IV. Nimirum*:
20 -- quod Generalis per ſe in toto Ordine, & ſinguli Provinciales Miniſtri, ac Cuſtodes univerſi (*limita ad Superiores Cuſtodiarum*) pro tempore exiſtentes, ipſius Ordinis Fratrum Minorum in ſuis Provinciis, & Cuſtodiis reſpectivè, & ad hoc (*nota*) ab eis reſpectivè deputati Fratres pro tempore, poſſint nominare ſpeciales perſonas &c. --

Conſequenter etiam ex conceſſione Miniſtri Generalis legitimè nominantur ab ejuſdem Ordinis Procuratore, & Commiſſario Generali Romanæ Curiæ; imo id eos obtinuiſſe
21 à Martino V. refert *Sanct. cap.* 8. *pag. mihi* 662. ex declaratione Eugenii IV. *ibidem cap.* 4. *ſtatut.* 4. *pag.* 373. literas autem Martini, & Eugenii confirmat Sixtus IV. *Conſt. Dum fructus uberes. Confect. privileg. Regular. Mend. p. prima pag.* 77.

Cæterum à quovis nominentur, non ſunt nominandæ, niſi perſonæ, quæ ſint probatæ vitæ, & ſingularis fidei, ac aptæ, ut valeant ſuper qualitate ſuſcipiendi miniſterium inſtrui,
22 ejuſdemque obligationes percipere. Unde Prælati, qui ſibi, quoad hoc poteſtate commiſſa, abutuntur, vel idiotas, ſimplices, & ineptas nominando perſonas, vel debitas omittendo inſtructiones; cum radix, & cauſa ſint peccatorum, quę ob Syndicorum ignorantiam committuntur; aut per non rectam adminiſtrationem contra intentionem Papæ, vel Donantium, aut per indebitum Fratrum recurſum extra caſus per Regulam licitos, eos unius dumtaxat peccati reos non cenſet *Marchant. cit. pag.* 85. Ideo à Superioribus de Corpore Obſervantiæ per ſe, vel per alios ſunt in praxi inſtruendi, ut optimè idem notavit *Marchant.* locis allegatis.

23 I. Qualiter ea, quæ ipſis ſunt commiſſa, debeant nomine Papæ, vel Donantium adminiſtrare.

II. Qualiter, ſi Donans pecuniam pro determinatis neceſſitatibus, non liceat Syndicis aliquid immutare abſque Donantis voluntate, & ejuſdem condeſcentione; quod verum etiam eſt de eleemoſynis teſtamento relictis, ſi legans neceſſitatem ſpecificaverit; secùs autem; quia tunc eam poterunt aliis applicare.

III. Qualiter non poſſint pecuniam nomine Eccleſiæ, aut Donantium recipere ad ſuperfluitates, & pretioſitates; aut in fraudem paupertatis, & quæ ſapiat theſaurizationem in futurum; cum authoritas ipſorum per Pontifices ſit reſtricta, ad modos per Regulam Fratribus licitos.

IV. Qualiter, cum res pro Fratrum utilitate datas, repetere, defendere, ac exigere in judicio debeant, id ſolius Pontificis, vel Donantium nomine faciant, nullatenùs eo Fratrum directè, vel indirectè aſſumpto.

V. Qualiter, quando ſunt dandæ quitantiæ, & faciendæ receputæ, eas ſuo nomine, tamquam adminiſtratores Papæ, vel Eccleſiæ, faciant, eo Fratrum ſemper omiſſo; poſſunt tamen dicere ſe pro neceſſitatibus Fratrum, talem eleemoſynam recepiſſe. Similiter ſi contractus faciant, aut ſpondeant pro aliqua re, Fratres concernente, id nunquam nomine Fratrum, ſed ſuo exequi debeant.

VI. Qualiter omnes res, vel per Fratres humili mendicatione acquiſitæ, vel eiſdem quomodolibet oblatę, & relictę (ſi tamen Donans ſibi dominium non reſervaverit, quia eo caſu ipſe retinet) in Dominium Romanæ Eccleſiæ tranſeant, ejuſque nomine adminiſtrent.

VII. Qualiter pecuniæ in neceſſitates Fratrum titulo laboritii, ſive temporalis, ſive ſpiritualis, ut pro Miſſis, Officiis Divinis, Prędicationibus, Sepulturis, oblatæ, nomine Romanæ Eccleſiæ à Syndicis recipiantur, & adminiſtrentur; & ad eam pertineant.

VIII. Qualiter ad Syndicos ſpectet rem, non Fratribus utilem, in alias eiſdem utilem, convertere: & pecuniam, quæ ex re, ſic non utili, provenit, poſſint convertere in quamcumque aliam, cujus uſum Fratribus, ex Pontificia declaratione Nicolai non eſt interdictus. Quæ omnia, cum aliis eſſe

in praxi

in praxi à Superioribus de Corpore Obſervantiæ ſervanda, notavit *Marchant.* locis citatis.

Sunt à Sancta Sede præfatis Syndicis intuitu laborum, quos continuò in Fratrum beneficio, quocumque tempore, & occaſione, ſuſtinent, conceſſa indulta; quibus privilegio fori gaudent, & à Laica poteſtate eximuntur: quamquam enim, & ipſi regulariter ſint Laici, tamen ſunt per *Roderi. loc. cit. q.* 40. *art.* 4. aliquo modo ſpiritualibus annexi; utpotè ab eadem deputati pro ſervitio Fratrum, ut res, iſtis pro neceſſitatibus oblatas, nomine Romanæ Eccleſiæ adminiſtrent; apud quem *art. primo, & ſecundo* videri poſſunt ea à Regibus Hiſpaniarum conceſſa; dum alia Pontificum, & S. S. C. C. recentiora, hic ex originalibus adducimus.

Clémens VII. concedit hujuſmodi Syndicis, vel Procuratoribus Privilegium fori in cauſis civilibus, criminal. & mixtis, motis, & movendis *Bullar. Cherub. tom.* 1. *pag.* 671.

24 -- Dum conſideramus aſſiduos labores, & vigilias, quos dilecti filii Syndici, & Procuratores Domorum, & Monaſteriorum Fratrum Minorum Sancti Franciſci Regularis Obſervantiæ, & Monialium Sanctæ Claræ, Conceptionis, & Annunciationis, Ordinum, & Sororum Tertiæ Regulæ Sancti Franciſci, ſuſtinere non ceſſant, meritò nos obligant, ut animarum ſuarum ſaluti conſulamus, ipſóſque à quibuſvis moleſtiis, & injuriis, ſibi pro tempore illatis, quantum cum Deo poſſumus, relevemus. --

25 -- Idcircò uni Syndico, & Procuratoribus hujuſmodi, cum illius Uxore, & liberis, præſenti, & futuro ſingulæ Domui, & Monaſterio prędictis, pro tempore ſervientibus, quod de cętero perpetuis futuris temporibus, ipſi, & eorum quilibet, omnibus, & ſingulis indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus, favoribus, & gratiis, quibus Fratres Ordinis Obſervantię prædictorum utuntur, potiuntur, & gaudent, ſeù uti, potiri, & gaudere poterunt, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & valeant. --

-- Et inſuper in quibuſvis cauſis, & rebus ipſos Syndicum, & Procuratorem concernentibus, civilibus, criminalibus, & mixtis, non niſi coram Judicibus Conſervatoribus Domorum illorum, quarum ipſe Syndicus, & Procurator fuerit, de Juſtitia reſpondere teneatur, auctoritate Apoſtolica concedimus, & indulgemus. --

 Inhi-

-- Inhibendo ſub excommunicationis latę ſententię pœna univerſis, & ſingulis Judicibus, Commiſſariis Eccleſiaſticis, & Secularibus, quacumque auctoritate fulgentibus, ne de cauſis, contra dictos Syndicos, & Procuratores, motis, & movendis, directè, vel indirectè, quovis quęſito colore, ſeù pretextu, ſe intromittere quomodolibet de cętero audeant, vel prçſumant. Decernentes quoſcumque proceſſus contra dictos Syndicos, & Procuratores, per alios, quam dictos Conſervatores, in cauſis dumtaxat contra eos motis, & movendis, habendos, & ſententias ferendas, nullos, & invalidos, nulliuſque roboris, vel momenti fuiſſe, & eſſe, ac irritum, & inane, ſi secùs ſuper his à quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. --

-- Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, nec non Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis auctoritate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, quod præſentium tranſumptis manu publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Epiſcopi, ſeù perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, eadem prorsùs fides, tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quę adhiberetur, ſi pręſentes originales literę eſſent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. Aprilis 1526. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Ex *n.* 25. conſtat privilegium fori concedi dumtaxat uni ſolum Procuratori pro uno quoque Conventu, quod *ſub die* 27. *Novembris* 1650. firmavit S. C. Boni Regiminis; Ideo ſi aliis ejuſdem diſtrictus literę Procurę concedantur, abuſivè, & non in ſenſu proprio, & per Sedem Apoſtolicam inducto, Procuratores nominantur.

An autem ad Hoſpitiorum Syndicos privilegium extendatur? videtur affirmativè reſolvendum, ne dum quia Hoſpitia ſunt Domus Fratrum Minorum; ſed etiam quia Pontifex ea comprehendit ſub ly *Domorum*: cum ibi non promiſcuè, & ſynonimè accipiat Domum, & Monaſterium; ſed pro diverſis; ad quod facit *Rota dec.* 427. *coram Coccino n.* 10. *tom.* 2. *p.* 5. *Deciſ. Rec. n.* 10. tradens dictionem, &, diverſitatem copulatorum deſignare.

Inno-

Innocentius XI. confirmat in forma ſpecifica Decreta variarum SS. Congreg. emanata ſuper exemptione, & Privilegiis præfatorum Syndicorum.

26. -- Aliàs pro parte dilecti filii Franciſci Mariæ Tagliaferri Procuratoris Generalis, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum, Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negociis, & Conſultationibus Epiſcop., & Regular. præpoſitæ, expoſito, quod dudum nonnulli Romani Pontifices, & præſertim fel. record. Nicolaus III., & Nicolaus IV., Martinus IV., & Martinus V., & Eugenius IV. Prædeceſſores Noſtri, ut vera Obſervantia, Regulæque puritas in ordine prædicto vigeret, & magis augeretur, Fratreſque ipſius Ordinis ab omni dominio, & proprietate alieni conſervarentur, ſtatuerant, & ordinaverant, ut unicuique Conventui dicti Ordinis aſſignaretur unus Procurator, ſive Syndicus Apoſtolicus, qui omnes eleemoſynas, tam pecuniarias, quam aliarum rerum colligere, illaſque ſolus in neceſſitates Fratrum præfatorum applicare deberet. --

§. I. -- Et ſubinde recor. mem. Clemens Papa VII. etiam Prędeceſſor Noſter, intuitu laborum, quos ejuſmodi Syndici in beneficio dictorum Fratrum, quocumque tempore, & quavis occaſione aſſiduè ſuſtinebant, eoſdem Syndicos à foro ſeculari exemerat, volens, ut in cauſis, tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis, non niſi coram Judicibus Conſervatoribus eorundem Fratrum Minorum de Obſervantia de juſtitia reſpondere tenerentur, & aliàs pro ut in ipſius Clementis Prædeceſſoris literis, deſuper in ſimili forma Brevis die 16. Aprilis 1526. expeditis, pleniùs dicitur contineri. --

§. II. -- Ac in eadem expoſitione ſubjuncto, quod nonnulli dicerent, privilegium hujuſmodi in aliqua ſui parte ampliùs in uſu non eſſe, alii verò prætenderent, illud Syndicis prædictis, ratione eorum officii tantum, non autem, uti talibus perſonis, competere, unde fiebat, ut Fratres prædicti non ſine Paupertatis, & Regulę, quam profitentur, ſuarumque conſcientiarum detrimento, neminem ampliùs reperire poſſent, qui eorum Syndici, ſive Procuratoris munus in ſe ſuſcipere, eumque laborem aſſumere vellent. --

§. III. Ideo-

§.III. -- Ideoque pro parte præfati Franciſci Mariæ Procuratoris Generalis dictæ Congregationi Cardinalium ſupplicato, ut non ſolum auctoritate Apoſtolica confirmaretur dictum privilegium, ſed etiam illud Syndicis, ſive Procuratoribus hujuſmodi, uti talibus perſonis competere declararetur. --

§. IV. -- Emanavit ab eadem Congregatione Cardinalium decretum tenoris ſequentis, videlicet: Sacra Congregatio EE. S. R. E. Cardinalium Negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attenta remiſſione libelli per SS.D.Noſtrum facta, referente Eminentiſs.Norfolch, cenſuit danda eſſe Oratori decreta, aliàs edita, nempè ſuper præmiſſis ſervandam eſſe præfatam Conſtitutionem ſan. mem. Clementis VII. prout præſentis decreti tenore omnino ſervari mandat, & præcipit. -- Romæ 28.Martii 1686.

Gaſpar Cardinal Carpineus.

B.Panciaticus Secretarius.

§.V. -- Porrò cum dictus Franciſcus Maria Procurator Generalis prænarrata pariter expoſuiſſet Congregationi, etiam Venerabilium Fratrum Noſtrorum ejuſdem S. R.E. Cardinalium, ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus Deputatorum: hæc Congregatio cenſuit, danda eſſe decreta anteriora, tenoris, qui ſequitur, videlicet: Sacra Congregatio ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus, habita ſub hac die 26.Martii 1686. circa expoſita in præſenti ſupplici libello, dixit, danda eſſe decreta, ut infrà die 31. Maji 1639. Fanen. Provincialis Fratrum Minorum Obſervan.Sancti Franciſci, ſacra &c. cenſuit, reſpondendum Epiſcopo, ut quoad exemptionem Syndici Fratrum Min. Obſer.loci de Cartoceto faciat Bullam Clementis VII.obſervare, ſi in eo concurrant requiſita ejuſdem Bullæ. --

§.VI. -- Die 17.Novembris 1642.Peruſina, Fratres Sancti Franciſci Min.Obſer.Sacra &c. cenſuit ſervandam eſſe Bullam Clem.VII. circa privilegium fori, & exemptionis Syndicorum, & Procuratorum Ordinis Fratrum Minorum S.Franciſci de Obſervantia. --

§.VII. -- Die 4.Auguſti 1654.Fanen.Epiſcopus: An Syndicus Fratrum Min. de Obſervantia S.Franciſci gaudere debeat privilegio fori. Sacra &c. cenſuit, hujuſmodi Syndicum gaudere privilegio fori juxta Conſtitutionem Clem.VII. --

§.VIII. -- Die 23.Maji 1645. Romana. Pater Commiſſarius Generalis Curiæ quærit: An Syndici, & Procuratores Apoſtolici Conventuum ſuæ Religionis gaudeant privilegio fori, etiam in cauſis, tam civilibus, quam criminalibus, & mixtis, motis ante inſtitutionem officiorum virtute Bullæ Clem. fel.recor.Papæ VII. Sacra Congr. reſpondit. Syndicos Conventuum Ordinis Fratrum Minor.de Obſervantia S.Franciſci ex Bulla fel.recor. Clem.VII. gaudere privilegio fori, tam in cauſis civilibus, quam criminalibus, & mixtis, etiam motis ante eorum deputationem, ſeu inſtitutionem in officium Syndicatus. --

§.IX. -- Die 23. Maji 1645. Recinaten. An Syndicus Monialium Sanctæ Claræ gaudeat privilegio fori, prout gaudent Syndici Fratrum Min.de Obſervantia, Sacra &c. cenſuit, hujuſmodi Syndicum gaudere debere privilegio fori, in quorum fidem &c. -- Datum Romæ ſub hac die 20. Aprilis 1686.

Loco ✱ Sigilli.

I.Patriarcha Antiochen.Secret.

§. X. -- Cum autem, ſicut idem Franciſcus Maria Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipſe decreta hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, Apoſtolicæ confirmationis noſtræ Patrocinio communiri plurimum deſideret. Nos ipſius Franciſci Mariæ Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus favorabiliter annuentes, eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, decreta præinſerta à memoratis Congregationibus Cardinalium reſpectivè emanata auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ firmatis robur adjicimus, ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate earundem reſpectivè Congregationum Cardinalium. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere,

ac

ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari. --

§. XI. -- Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogamus; cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, munitis, eadem prorſus fides ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. -- Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 19. Junii 1686. Pontificatus Noſtri anno decimo.

Syndici hujuſmodi non poſſunt compelli ad exercenda munia publica Communitatis, nec conveniri, niſi coram Judice Conſervatore.

27 -- Ita reperitur in libro Decretorum Sacræ Congregationis ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus ſub die 10. Maji 1669. videlicet: Sacra Congregatio inhærendo declarationibus alias factis cenſuit; Procuratorem, & Syndicum Fratrum Minorum de Obſervantia ex Bull. fel. recor. Clem. VII. gaudere privilegio fori, tam in cauſis civilibus, quam in criminalibus, & mixtis; & inſuper non poſſe compelli ad exercenda munia publica communitatis, neque à quoquam poſſe moleſtari, niſi coram legitimo Conſervatore. Romæ hac die 7. Januarii 1699.

De-

Declaratio R.P.D. Auditoris Sanctiſſimi, lite conteſtata, & partibus auditis: quod Syndici Apoſtolici hujuſmodi non ſunt comprehenſi in revocatione Patentatorum; adeoque eos eſſe tantùm ſubjectos Judicibus Conſervatoribus.

In Nomine Domini. Amen.

28 -- Fidem facio per præſentes Ego Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius infraſcriptus, qualiter in actis meis die 23. Novembris 1694. coram Illuſtriſs. & Reverendiſs. Domino Auditore Sanctiſſimi pro Religione Patribus Minor. de Obſer. S. Franciſci principalibus, Canamellinus unus ex SS. D.N. Papæ Curſoribus retulit in ſcriptis, ſe die 16. Novembris 1694. domi dim: cop: citaſſe D. Franciſcum Mariam Panaram, exadverſo Procuratorem aſſertum Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Vicarii Apoſtolici Ripæ Tranſonæ exadverſo principalis ad viden. per Illuſtriſſimum D. declarari, Syndicos Apoſtolicos Religionis Min. de Obſer. non eſſe comprehenſos in revocatione literarum Patentium, ſive declarationis Patentatorum & proinde eoſdem Syndicos eſſe tantum ſubjectos Conſervatoribus dictæ Religionis, & exemptos reſpectivè à juriſdictione Epiſcoporum, & propterea mandari Syndicum nulliter, & indebitè in carceribus detentum per dictum Reverendiſs. Vicarium Apoſtolicum Adverſarium excarcerari, & remitti ad dictum Conſervatorem, & interim videndum ſibi inhiberi, ne audeat quidquam innovare, ſeu attentare ſub pœnis &c. aliiſque arbitrio &c. & decretum &c. ad primam diem inſtante Religione Patrum Min. de Obſer. S. Franciſci principalibus, ſivè &c. Qua quidem die adveniente relatione facta comparuit D. Ludovicus Buffius Procurator petiit, ut ſupra; Et tunc Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Auditor Sanctiſ. declaravit Syndicos Apoſtolicos Religionis Minorum Obſer. non eſſe comprehenſos in decreto revocationis literarum Patentium, ſive declarationis Patentatorum, & proinde eoſdem Syndicos eſſe tantum ſubjectos Conſervatoribus dictæ Religionis, & exemptos, reſpectivè à juriſdictione Epiſcoporum: Procuratoribus hinc inde præſentibus omni &c. & aliàs latius, pro ut in actis meis &c. ad quæ &c. In quorum fidem &c. -- Dat. Romæ hac die 10. Feb. 1699.

Ita eſt Marcus Joſeph Peluſius Curiæ Cauſarum Cam. Apoſtolicæ Not.&c. Loco ✱ Sigilli.

Syndici gaudentes privilegio fori ſunt exempti à Repreſaliis.

SPOLETANA.

29 -- Inſtantibus Monialibus Monaſteriorum Sanctiſſimæ Trinitatis, S.Pontiani, & S.Catharinæ pro declaratione, Agentes dictorum Monaſteriorum eſſe exemptos à Repreſaliis, Sac. Congreg. ſuper Immunitate Eccleſiaſtica, & controverſiis juriſdictionalibus habita ſub die 14.Januarii 1698. cenſuit, Syndicos tantùm, gaudentes privilegio fori eſſe exemptos à repreſaliis. -- Romæ hac die 7.Jan.1699.

G. Card. Carp.

Loco ✱ Sigilli.

I. Vallem.Secretarius.

Sacra Congregatio Boni Regiminis declarat Syndicos Apoſtolicos exemptos à ſolutione Collectarum pro oneribus communitativis, non ſolum in loco Syndicatus, ſed etiam, ubi eorum bona reperiuntur.

30 Extra. *All'Illuſtre, e Molto Reverendo Signore, come fratello, il Preſidente di Urbino. Peſaro.* Intus vero. *Illuſtre, è Molto Reverendo Signore come fratello. Ogni volta, che à V.S.coſti, che Ludovico Gabuccini ſia ſtato legitimamente eletto per Syndico Apoſtolico delli Frati Minori Oſſervanti del Convento di Santa Maria Nuova di Fano, e che in quella Città non ſi trovi altri, che lui Deputato à tal carica, Ella farà, che al medemo per li beni, che poſſiede in alcuni luoghi di coteſto ſtato venga fatta buona l'eſentione dal pagamento delle Collette per li peſi communitativi, eſſendo ſtato altre volte dichiarato dalla Sagra Congregatione, che à tali Miniſtri attuali di eſſa Religione compete l'eſentione ſudetta; è Dio la proſperi. Roma* 24.*Gennaro* 1699.

Di V.S.

Come Fratello.

Il Cardinal Spada.

Franceſco Caffarelli Secret.

CA-

CAPUT ULTIMUM.

Officialis quoad Tertiarios.

SVMMARIVM.

1 *Aſſignantur genera Tertiariorum.*
2 *Votum ſolemne Religionis non includitur in voto ſimplici Caſtitatis.*
3 *Sacra Congregatio multa præſcribit, quoad Tertiarios.*
4 *Quibus per diſpoſita in Decreto, privilegia conveniant.*
5 *Viri debent collegialiter, vel cum Clauſtralibus, vivere.*
6 *Dictio*, etiam, *eſt ampliativa.*
7 *Collegialiter viventes, habere poſſunt Oratorium, & Campanas.*
8 *Viaticum, & Extremam Vnctionem quando à Parocho recipiant.*
9 *Tertiarii ſubduntur Superioribus Ordinum. vide num.*12.
10 *Ius conferendi habitum non eſt apud Miniſtros Seculares.*
11 *Nova confirmatio, & Conceſſio.*
12 *Extenditur ad Tertiarios in propriis domibus habitantes.*
13 *Superiores recipiunt ad profeſſionem.*
14 *Negato minori, non conceditur majus.*
15 *Formula profeſſionis.*
16 *Dubium ſuper promiſſione facta.*
17 *Quæ contenta in regula obligent ad mortale.*
18 *Solum propoſitum non conſtituit votum.*
19 *Diſtinctio propoſiti à promiſſione.*
20 *Tranſgrediens propoſitum non peccat.*
21 *Super quo monendi ante profeſſionem.*
22 *Congregationes Tertii Ordinis extra Clauſtra erectæ Superiori obediunt.*
23 *Capucinis interdicta collatio habitus.*
24 *Continuatio litis.*
25 *Congregatio ſuper diſciplina regulari erigitur.*
26 *Decretum Sacræ Congregationis, ſuper collatione habitus Tertiariis, oblatis &c.*
27 *Pœnæ in Tranſgreſſores.*

28 *Forma, & qualitas habitus conferendi iis de Tertio Ordine S.Franciſci.*
29 *Habitus formalis, & materialis Religioſorum.*
30 *Heremitis & aliis conferunt habitum Superioris Ordinis S.Franciſci.*

VArii ſunt Tertiariorum, ſeu eorum, qui de Tertio Ordine nuncupantur, ſtatus, quorum, omiſſis iis, (utpote vere Clauſtralibus, & Religioſis) quibus Leo X. *Conſt. Inter cætera. Bull. Cherub. tom.* 1. *pag.* 618. aptavit Regulam, à S.Franciſco pro ſecularibus inſtitutam, & à Nicolao IV. *Conſt. Supra Montem ibidem pag.* 185. approbatam, & auctam, idem Leo *Conſt. Dum intra*, edita in Concilio Lateranenſi, *eodem tom.pag.* 586. meminit, & plura circa eos diſponit, prout ſequitur: Fratres autem, & Sorores Tertii Ordinis, nec non Mantellati, Corrigeati, Pizocharæ, Cordellati, & alii, quocumque nomine nuncupati, in propriis domibus habitantes, ſepulturam, ubi voluerint, eligere
1 valeant. Sed die Paſchatis tantùm Euchariſtiam, necnon Extremam Unctionem, cæteraque Eccleſiaſtica Sacramenta, (Pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & onera, quæ laicis incumbunt perferenda teneantur, ac in foro ſeculari corã Judicibus ſecularibus conveniri poſſint. Collegialiter autẽ viventes, ſeu cum Clauſtralibus habitantes, ac Mulieres virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis; cujus Tertiæ Regulæ habitum geſtant, gaudere debeant. --

2 Et *Conſt. Nuper in Sacro Lateranenſi Concilio*, & infra. -- Nos ad tollendum omne dubium, motu proprio, & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, harum ſerie decernimus, & declaramus, quod in præmiſſis de voto ſolemni Religionis minimè intelligi debeat; ita ut mulieres virginalem, ſeu cælibem vitam ſimpliciter voventes, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſim habitantibus, privilegiis, & immunitatibus prædictis, in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.

3 Quibus *ſub die* 20. *Decembris* 1616. acceſſit decretum S.C. Epiſ. & Reg. *apud Lantuſc. verb. Tertiariæ, & Peyrin. ad Conſt.*

Conſt.4.Siſti IV. §.7. pag.42. Nicol.Floſc. verb. Tertiariæ num.2. infraſcripti tenoris : -- Ad tollendas omnes contentiones inter Epiſcopos , & Superiores Regulares ſuper immunitate , & exemptione Tertiariarum , quæ in domibus privatis degunt, vulgo *Bizzoche* , ſeu alio quovis nomine nuncupatarum : in primis, & ante omnia in memoriam revocat ea, quæ S.C.C.in eadem ſententia reſpondit, videlicet .

§.I. -- S.Congregat.Conc. ſæpius reſpondit, minimè poſſe Sacerdotes Regulares mulieres Tertii Ordinis, quas de pœnitentia , vel Bizzochas vocant , confeſſiones Sacramentales audire , niſi fuerint ab Ordinario approbati ad Confeſſiones perſonarum ſecularium audiendas, quemadmodum, nec poſſe illis Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare in die Paſchatis Reſurrectionis S.D.N. Jeſu Chriſti . --

§. II. -- Verum,quo ad ſepulturam, atque alia Privilegia, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigeatos , alioſque ſimiles, ita demum Ordinis , cujus Tertiæ Regulæ habitum aſſumpſerunt, privilegiis potiri, & ab Ordinarii juriſdictione exemptos eſſe , ſi viri colligialiter vivant , aut cum Clauſtralibus habitent, mulieres virginalem, ſeu cęlibem , aut caſtam vidualem, expreſſo voto, & ſub habitu, vitam traduxerint , quemadmodum cavetur Conſt.Conc. Later. ſub Leone X. , quæ habetur ſeſſ.21. in fine. --

§.III. -- Hoc autem voto Mulierum alia duo,ſcilicet,Paupertatis , & Obedientiæ , nequaquam includi , quinimo hujuſmodi mulieres, ſi virginalem , aut cęlibem ſimpliciter , & expreſſe, voverint, etiam in conſanguineorum , & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſim habitantes, ſupradictis privilegiis Ordinis , cujus Tertiæ Regulæ habitum deſerunt, exemptioneque ab Ordinarii juriſdictione frui debere, ut idem Leo poſtea declaravit Conſtitut. edita die 1. Martii 1518. --

§. IV. -- An autem prædictæ qualitates in hujuſmodi Tertiariis concurrant Ordinarii loci eſſe judicium . --

§. V. -- Præterea , ſi contingat aliquas ex prædictis Tertiariis ſine ſepulturæ electione decedere, eas ſic decedentes , ita demum in Eccleſiis Ordinis , cujus habitum aſſumpſerunt , ſi in ipſis earum communis ſepultura reperiatur ; ſin minus , in Eccleſiis Parochialibus, ſepeliendas eſſe decernit . --

-- Superioribus autem Regularibus ſufficienti facultate ad

ad id à Sancta Sede Apoſtolica ſuffultis (Capucinis exceptis,) liberè Mulieres ad hujuſmodi habitum recipere, atque ad ipſos veſtiendi eas officium pertinere; non autẽ ad habitum admittendas, & recipiendas eſſe, niſi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, ac in ætate, ſaltem quadraginta annorum, conſtitutas, quæ de proprio habeant, unde ſufficienter vivere poſſint, & non cum aliis viris, quàm cum Conſanguineis, vel affinibus in primo tantùm gradu ſibi conjunctis, cohabitent, & ab Ordinario loci, licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, niſi de prædictis, prævio examine diligenti, ſibi conſtiterit. --

§. VI. -- Verum in hujuſmodi habitu concedendo, & reſpectivè deferendo, omnino à velo ſupra caput, quod ſupriectum vocant, & à pectorali, quod vulgò dicitur *Sottogola*, & à patientia, abſtinendum eſſe; quinimò eas, quæ ſupradicta tria, vel aliquod ipſorum, deferre comprehenſæ fuerint, illa dimittere, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, ab Ordinariis locorum compellendas eſſe decernit. --

§. VII. -- Supradictis verò decretis mulieres Tertii Ordinis, quæ collegialiter vivunt non comprehendi, quinimo eas diſpoſitioni Conſtitutionis Pii V. editæ Romæ anni 1596. 4.Kal. Julii, quæ incipit circa Paſtoralis &c. penitus ſubjacere expreſſe declarat, non obſtantibus &c. --

4 Ex quibus liquet præfatorum diſpoſitionem extendi ad Tertiarios, qui collegialiter vivunt, cũ Clauſtralibus habitant, & in propriis domibus degunt; & privilegia item reſtringi ad eos, qui ſimul degunt in aliqua cõmuni domo ſub Tertiariorum habitu, & Regula à S.Sede approbata (ſine expreſſa tamen profeſſione votorum ſubſtantialium Religionis, ut à verè Tertii Ordinis Religioſis diſtinguantur); & alios ſub eodem habitu cum Clauſtralibus habitantes, ac mulieres virginalem celibem, aut caſtam vidualem vitam ſimplici voto promittentes.

5 Et quamquam per ibi expreſsè diſpoſita, ut viri privilegiis fruantur Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum aſſumunt, exigatur, vel quod collegialiter vivant, aut cum Clauſtralibus habitent, & excludantur cæteri, qui in ſuis domibus plena libertate ſub habitu Tertiariorũ vivũt, utpote puri ſeculares; reſpectu tamen Tertiariarum mulierũ textus non poſcit, vel

vel quod ſint collegialiter unitæ, vel cum Clauſtralibus habitent, ſed eis ea communicat priuilegia, & ab Ordinarii juriſdictione eximit, ſi habeant requiſita expreſſa in reſponſo Sacræ Congregationis *num.3.allegat.* ut notavit *Piaſec.prax.Epiſ.par.2.cap.3.art.7.ſub num.11.*

6 Et videtur loqui indefinite, & generaliter, de mulieribus, tam collegialiter unitis, quam proprias manſiones inhabitantibus; quod concludenter probatur per appoſitam dictionem, *etiam*, quæ ut notavit *Lezzana ſum. quæſt. Reg. tom.3. verb.dictio num.*20. unum caſum, ut magis dubium, exprimit, & alium includit; &, ut minus dubitabile, in caſu tacet, & ſupponit, id collegialiter unitis convenire. Et expreſsè idem Leo *Conſt. Ea quæ. Orb. Seraph. tom.2. lib.12. cap.7. num.175. pag. mihi* 846. infra medium in favorem Sororum Tertii Ordinis S.Franciſci collegialiter viventium, diſponit: -- Et inſuper omnibus, & ſingulis Prælatis, tam Regularibus, quam ſecula-
7 ribus, & Parochiarum Eccleſiarum Rectoribus, cæteriſque perſonis ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, inhibemus, ne dictas Sorores, juxta privilegia dictorum Fratrum, Oratoria cum Campanili humili, & Campana, ac in illis Sacramentum Euchariſtiæ in loco decenti, & honeſto, nec non Oleum Sanctum pro ipſarum uſu tantùm, & Cœmeterium benedictum habere, in quo Sororum decentium Corpora per earum Confeſſorem ſepeliri poſſint, ac in eiſdem Oratoriis aquam benedictam ſolemniter benedici, Miſſaſque ſecundum earum devotionem cantari, & celebrari facere liberè, & licitè poſſint &c. --

8 Verùm, ubi eſſet conſuetudo, quod à Parocho Viaticum, & Extremam Unctionem reciperent, vel, de ejus licentia, à Sacerdote Regulari, ſervanda eſt.

9 Tertiarii alii, viri, nimirum non collegialiter viventes, & feminæ, non ducentes vitam cœlibem, & virginalem, ſed matrimonio unitæ, directioni, & obedientiæ Superiorum Ordinum, quorum ſunt Tertiarii, ſubduntur, præſertim in iis, quæ ad ſpiritualem animæ profectum ſpectant; *Lezz. loc. cit. num.*41. Et ſpecificè quo ad eos Tertii Ordinis S.Franciſci, reperitur pluries per literas Apoſtolicas conceſſum Ordini Minorum de Obſervantia; & poſtremo *die* 28. *Julii* 1657. *Orb. Seraph.tom.cit.cap.5.num.*107.*pag.*817.indulſit Alex.VII. *Conſt.*

Conſt.

Exponi Nobis,& infra,Prædeceſſorum Pontificum literis enunciatis, ſubdit: -- Per quas omnes perſonæ dicti Tertii Ordinis de Pœnitentia ſubmittunt obedientiæ, correctioni, & directioni Miniſtrorum Generalis, & Provincialium pro tempore exiſtentium dicti Ordinis Min.de Obſ.ita quod poſſint eaſdem perſonas Tertii Ordinis hujuſmodi corrigere, & delinquentes caſtigare ad ablationem habitus, ſeu mantelli procedendo,ſimiliterque prædictis Miniſtris memoratis Ordinis Fratrum Min. de Obſer. nuncupatorum facultas conceditur præſtandi illis, quos idoneos viderint, habitum Tertii Ordinis prædicti; nec non aſſignandi, & deputandi pro ipſis Tertiariis unum Religioſum de eadem Obſervantia in Viſitatorem, & inſtructorem ipſorum &c. præſcriptas Bullas Pontificias, nec non Conſtitutiones Ordinis hujuſmodi, ſervari authoritate Apoſtolica tenore præſentium, mandamus, & præcipimus &c. -- Et tenuit *Rota coram Merlino in Ulixbonen. juris conferendi habitum* 23. *Junii* 1636. *deciſ.*598. *num.*24. *tom.*2.*par.*5.*deciſ.recent.*

10 Ex quibus patet jus præſtandi præfatis habitum non eſſe apud ſeculares Miniſtros Congregationis ejuſdem Tertii Ordinis, prout in terminis *Rota ibidem num.*25. etenim ad quem ſpectat privatio habitus ad eumdem debet ſpectare collatio ejuſdem, atque receptio; & ſuper hujus generis controverſia allegata Conſtitutio Alexandri firmavit; ſed cumulativè apud Ordinis Minorum Superiores, tam de Corpore Obſervantiæ, quam Conventuales; privativè etiam quoad Ordinarios, ex diſpoſitione Siſti IV. *Conſt. Romani Pontificis. Orb. Seraph. cit. cap.*12.*pag.*893. -- ubi: nec non vobis, & ſucceſſoribus veſtris, pro tempore exiſtentibus, Generali, & Provincialibus Miniſtris, & Vicariis, prænominati de Obſervantia dicti Ordinis Fr.Min. ac eoſdem Miniſtros FF.& Sorores Tertii Ordinis &c. volenteſq; ad ipſum Tertium Ordinem, & illius vivendi modum aggregari,recipiendi,& habitum, ſive mantellum, juxta morem dicti Ordinis, eis exhibendi; ac ipſis Miniſtris, Fratribus, ac Sororibus Tertii Ordinis, Viſitatorem, ſive Confeſſorem dicti Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, vel de Obſervantia nuncupatorum, prout eis plus placuerit, ad id, moribus, vitæ ſanctimonia, & ætate, idoneum &c. aſſignandi, eadem authoritate licentiam concedimus, & etiam facultatem; Diſtrictius inhibentes locorum Ordinariis, & aliis quibuſcum-

que

que perſonis cujuſvis ſtatus, gradus, vel conditionis exiſtant, & quacumque authoritate fungantur, ne prætextu quarumlibet literarum, & facultatum, eiſdem forſan conceſſarum, & pro tempore concedendarum, de præmiſſis, quæ ad vos ſpectant, ſe quomodolibet ingerere præſumant; ac decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari; non obſtantibus &c. -- & apud *Bordon.Bull. Terz.Ordin. Bulla* 159.

11 Quod ibidem confirmat Julius II. *Conſt. Exponi Nobis Bulla* 189. atque denuo concedit, cùm addat: -- Et pro potiori cauthela vobis, in Miniſtros Fratres, & Sorores dicti Tertii Ordinis ſuperioritatem, juriſdictionem, viſitationem, correctionem, coercitionem perpetuis futuris temporibus damus &c. Non obſtantibus &c.

12 Nec dicendum, præfata non ampliari, nec extendi ad Tertiarios ſeculares, pleno jure in propriis domibus, cum uxoribus, & filiis viventes; nam Julius II. ea Conſtitutione utitur terminis illimitatis, *omnes, & ſingulos*; adeoque non reſtrictis ad collegialiter tunc viventes, ſed ampliandis etiam ad præfatos, tamquam propriè inſtitutos à S.Franciſco. Ex *Caſarub.in comp. Privil. verb. Tertiariorum Regula nova §.Ex prædictis.* Verum in eos ſeculares non habent Minores propriam, & coactivam juriſdictionem, cum repugnet puritati Ordinis S.Franciſci habere juriſdictionem in eos, qui ſunt meri Laici, ut ſunt præfati; dependentiam tamen aliquam, & ſubjectionem habent ergaFr.Min. atque ſub eorum protectione, & ſpirituali regimine vivunt, quos in viam ſalutis dirigunt, imbuendo ſpiritualibus monitis, & illos tractando, uti eorum diſciplinæ alumnos, & ab eodem fonte, ſcilicet D.Franciſco deſcendentes, ut firmavit *Rota cit.num.* 1.*& ſequentibus.*

Et facit, quod Alexander VII. enunciatam Conſtitutionem edidit contra ſecularem Miniſtrum Congregationis Tertii Ordinis, in Conventu Fratrum Minorum de Obſervantia Mexicanæ Urbis erectæ, qui uſurpata poteſtatis plenitudine, & authoritatis independentia ad habitum, & profeſſionem dicti Ordinis Fratres præſumebat admittere, eoſque præfato privare, qui, tamquam verum ſpiritualem Superiorem, recognoviſſent ejuſdem Congregationis Viſitatorem, ex Religioſis Con-

ventus electum, ut ex narrativis ejuſdem patet, & refert *Orb. Seraph.cit.pag.*816.

13 Ne dum ad habitum præfatorum Ordinum Superiores admittere, eoque juxta qualitatem delicti privare, valent; verum etiam, eis juriſdictio conceditur recipiendi ad Profeſſionem eos, quibus habitum præſtitere,quod exprimit Siſtus IV, per ea *ad illius vivendi modum aggregari*: Quod quidem profeſſione obtinetur; non emittenda in manibus ſecularis, (& impropriè Miniſtri ſed potius Æconomi, & Adminiſtratoris ejuſdem Tertii Ordinis) cui, cum habitus ſit interdicta collatio; concludenter ſequitur omni prorſus authoritate carere ad recipiendos Fratres conſodales ad Profeſſionem; Quia ex adnotatis à *Marcant. in Reg. S. Franciſci cap.* 2. *tit.* 2, *qu.*2. *concl.*1. *Cui, quod minus eſt, nimirum recipere ad habitum,*
14 *non conceditur; nec quod magis eſt, concedetur, nimirum recipere ad Profeſſionem*; Sed in manibus eorumdem Superiorum, vel aliorum de ipſorum licentia, ut tradit *Lezz. cit. num.*21. *vide offic.quoad Confraternit.num.*10.

Et in terminis habetur in Conſtitutione *Ad fructus* Pauli III. *Directorium trium Ord. pag. mihi* 26. continente ſtatuta, ſpecificè edita pro Tertiariis proprias domos inhabitantibus, ubi *cap.*2. – Fratres,& Sorores, poſtquam per unum integrum annum, habitum probationis detulerint, ſi converſatio laudabilis fuerit, per habentem facultatem Miniſtri Generalis, recipiendi ad hunc tertium ſtatum ſolſimodò, & non per alios, ad Profeſſionem recipiantur. – Et noviſſimè obſervavit P.Petrus de Almandrelio *Eſcudo Seraphico art.*7.*pag.mihi* 515.

Formula Profeſſionis à Conſodalibus in manibus Prælati, ſeu Viſitatoris facienda.

15 *Io Frà N. prometto à Dio Onnipotente, & alla B. Maria ſempre Vergine, & al B. S.Franceſco, & à tutti i Santi del Cielo; & à voi Padre, d'oſſervare tutto il tempo di mia vita la Regola de' Frati di Penitenza, inſtituita dal P.S.Franceſco, e per Papa Nicolo IV. confermata: & i comandamenti di Dio, e di ſodisfare come conviene, per le traſgreſſioni, che commetterò contro queſto modo di vivere ogni volta, che ſarò dimandato dal mio Viſitatore.*

Tunc Prælatus ad Profeſſionem recipiens: *Et io, ſe queſto oſſerverai, da parte di Dio ti prometto la vita eterna.*

Quæ formula eſt ad tenorem diſpoſitionis capitis ſecundi

ejuſ-

ejuſdem Regulæ à Nicolao IV. approbatæ.

16 Sed dubitatur, an per eam promiſſionem inducatur nova obligatio ad obſervanda Præcepta Divina; adeo ut, ſi aliquod ex eis Profeſſus tranſgrediatur, committat duplex peccatum: alterum cauſa præcepti tranſgreſſi, & alterum ratione voti violati; & de hac promiſſionis circumſtantia teneatur ſe accuſare, ubi ſua approbato Confeſſori manifeſtaverit peccata?

Et videtur affirmativè reſolvendum. Quippe, cum ſit promiſſio Deo facta, voti obligationem inducit; conſequenter contra eam peccatum mortale committitur qualificatum circumſtantia ſacrilegii, utpote contra Religionem; aperienda ideo in Confeſſione, ex quo novam ſpeciem malitiæ contineat.

17 Negativa tamen eſt verior, & communior per *Lezz. cit. num.*19.*Peyrin.de Privil.ad Conſt.*18. *Julii II.* §.2.*Donat. prax. reg.tom.*2.*part.*2.*tract.*16. *quæſt.*8. Et ad tenorem *cap.*20. *Regulæ à Nicolao IV.* confirmatæ, ubi ipſe Pontifex firmat: -- Cæterum in præmiſſis omnibus, ad quæ Fratres veſtri Ordinis, non ex Divinis præceptis, vel ſtatutis tenentur Eccleſiæ, nullum ipſorum ad mortalem culpam volumus obligare, ſed impoſitam ſibi pœnitentiam pro traſgreſſionis exceſſu, prompta humilitate recipiat, & efficaciter ſtudeat adimplere. -- Et ſub iiſdem terminis repetit Paulus III. *cit.cap.*10.

Ideo ad rationem in contrarium, ex allegatis dicitur, illud *Promitto*, quo profitentes utuntur, votum non ſignificare, ſed
18 purum propoſitum. Per quod ſolùm, ex obſervatis à *Thoma Tambur.explicatione decal.lib.*3.*cap.*11. votum non conſtituitur, etiam ſi millies firmiſſimè repetatur, ex *Gobat.tom.*3. *oper. mor.* 1.*part.caſ.*1.*num.*7. quia: Ad votum non ſufficit deliberata voluntas aliquid faciendi, vel omittendi (per propoſitum ſignificata) ſed ulteriùs eſt neceſſaria promiſſio: voluntas, nimirùm,
19 ſe Deo obligandi: Quod exigitur ab ipſa ſpecifica natura voti; obligationem, ad aliquid omittendum, vel faciendum, per Doctores importantis. Quam in caſu non induci, eſt certum, ex intentione Pontificum præfatum vivendi modum approbantium, & nolentium ad culpam, ex dictis, obligare.

Ideo conſtat, promiſſionem verbis expreſſam, à proprio ſignificato eſſe alienam, & cum propoſito confundi, ſimilemque eſſe ei, qua quis confeſſario promittit, ſe impoſterum am-

plius non peccare; quia confunditur cum propoſito, per quod certè juxta communem, nova non inducitur obligatio. Et ſi,
20 furando, V.G., peccet, non ideo id contingit, quia propoſitum tranſgreditur, ſed quia, contra Præceptum *non furandi*, operatur.

21 Unde monet Almandrelius, quod priuſquam Profeſſionem emittant, debent à Prælatis inſtrui, ut ſciant, præfatos Pontifices noluiſſe eos ex vi Profeſſionis, & Regulæ obligare ad culpam mortalem, vel venialem, ne propter ignorantiam, & errorem exiſtiment, ſe ad promiſſa in vim promiſſionis ſub culpa obligari.

Nec obſtat, quod Nicolaus culpam venialem taceat; quia notat *Lezz. cit.* Regulam Tertiariorum, ſic fuiſſe receptam, ut nec ad venialem obliget, quod per expreſſa in Regulis pro Tertiariis Dominicanorum, & Servitarum deducit. Et tradit Leo X. *cap.* 10. Regulæ ab eodem pro Tertiariis Clauſtralibus editæ *Conſt. num.* 1. *cit.* ubi: -- omnia, & ſingula in præſenti Regula contenta, ſunt conſilia, ad facilius ſalvandas animas viatorū: & nulla ſunt obligatoria ad peccatū mortale, vel veniale, niſi humano, vel divino jure, aliquis alias eſſet obligatus. Obligantur tamen F. & Sorores facere pœnitentias ſibi à Superioribus impoſitas, quando ſuper hoc requiruntur; ad tria vota eſſentialia, & tenentur ad clauſuram illæ, quæ ipſam expreſsè ſervare voverint, prout ibi clare.

22 Et, ſive Congregationes Tertii Ordinis erigantur in Oratoriis exiſtẽtibus intra Clauſtra Conventuum, vel in Eccleſiis Fratrum, aut in loco tertio, & extra illa, ſemper habitus neceſſariò conferendus eſt à Superiore, vel Viſitatore electo, & in eorum manibus Profeſſio emittenda; ut ex dictis ſatis patet.

23 Capucinis eſt abſolute à Sede Apoſtolica hujuſmodi habitus interdicta collatio, ut *ſub die* 20. *Decemb.* 1616. à S.C.C. Et quamquam *ſub die* 31. *Januarii* 1620. obtinuerint favorabile decretum, id tamen non aliter, quam cum clauſula: *Dummodo Mulieres à Tertiariarum Capucinarum habitum admittendæ ad formalem, materialemque ejuſdem Religionis habitum, ſervato in reliquis omnibus Decreto, admittantur*. Quia tamen numquam ad Sacræ Congregationis notitiam adduxerunt privilegia, quæ offendi, & reſtringi priori decreto aſſerebant, revocata iterũ li-
24 te ad examen, *ſub die* 29. *Novembris* 1653. eadem S.C. decre-

vit

vit : *Non licere eiſdem Capucinis Mulieres ad habitum Tertiariarum recipere ſed id competere Fratribus Tertii Ordinis* (cum quibus liſerat.) Et appellatione per Capucinos interpoſita, contra eos, decretum hujus tenoris emanavit: -- In cauſa Galliæ inter Fratres Tertii Ordinis S.Franciſci, ex una, & Capucinos ex altera *die* 15.*Maji* 1655. Sacra Congr.Conc.omnibus maturè perpenſis, cenſuit ſervandum eſſe decretum S.Congr. editum *die* 20.*Decembris* 1616.

Et cum iterum conquererentur Capucini prædictum Decretum adverſari poſteriori edito 1620. *die* 5.*Junii* 1655. S.C.cenſuit *ſtandum eſſe in Decreto ſub die* 15.*Maji præteriti*. Quod *ſub die* 30.*Junii* 1655.confirmavit Alex.VII.*Conſt.emanavit nuper*. Et *ſub die* 9.*Julii* 1656. *S.C.Epiſ.& Reg.*præfatis Capucinis præcepit eſſe ſervanda, & Breve Alexandri, & S.C. Conc.Decreta.

Tandem cum tot Apoſtolicis decretis parere renuerent, *ſub die* 30.*Martii* 1672. iterum eis ſtrictè præcipitur, ut à munere admittendi ad Tertii Ordinis habitum, præſertim Mulieres, eaſque ſpiritualiter dirigendi, inpoſterum omnino abſtinerent, quibus *ſub die* 10.*Octobris* 1672. acceſſit confirmatio Clem.X.*Conſt.Exponi Nobis*, qui in terminis diſponit, ut infra: -- Prefatis Fratribus Minoribus, Capucinis nuncupatis, ne impoſterum in admittendis Mulieribus ad habitum Tertii Ordinis S.Franciſci, ſive in ipſis dirigendis, ſe ingerant, authoritate Apoſtolica tenore præſentium interdicimus, ac prædictis Fratribus Capucinis perpetuum ſuper præmiſſis ſilentium imponimus. *Orb.Seraph.loc.cit.pag.*803.*& ſequent.* --

Super admiſſione ad habitum, ejuſdemque conceſſione Tertiariis, cum Clauſtralibus habitantibus, ſervari debet Decretum Congregationis ſuper ſtatu Regularium (quam licet Innocentius XII. *ſub die* 4.*Auguſti* 1698.*Conſt.Debitum* extinxerit, & ſuppreſſerit; ſingulas tamen facultates, eidem quomodocumque à Prædeceſſoribus conceſſas, illis exceptis, quas Congregationi ſuper diſciplina Regulari, præfatis literis inſti-
25 tutæ, impertitus eſt, in Congregationem Epiſcoporum, & Regul.tranſtulit) ex ſpeciali mandato ſan.mem. Clementis X. *ſub die* 16.*Maji* 1675. ea de re editum, tenoris, qui ſequitur.
26 -- Et ſi decretis Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium de mandato Summorum Pontificum Innocentii X. & Ale-

Alexandri VII. jam pridem editis pro Novitiis recipiendis,ſtatutum ſit, ut omnes, qui ad habitum probationis ſe recipi poſtulaverint, diligenter examinentur, ac per vota ſecreta approbentur, quotquot idonei reperti fuerint, ætate, aliiſque requitis ad præſcriptum Apoſtolicarum Conſtitutionum, ac ſtatutorum Ordinis; nec quiſpiam cenſeatur habilis ad hujuſmodi habitum ſuſcipiendum, ut Clericus, niſi annum ætatis ſuæ decimum quintum, neque, ut Converſus, niſi annum vigeſimum expleverit: nihilominus in pluribus Religionibus Italiæ, & Inſularum adjacentium, aliquibus ab hinc annis introductum eſt, ut recipiantur adoleſcentes Laici, non quidem pro Converſis, ut annum probationis incipiant, & finito tempore Novitiatus admittantur ad Profeſſionem, ſed pro Tertiariis, vel oblatis, ſeu donatis, eiſque tradatur habitus, ut vocant, ſine Caputio, illis dari conſueto, ut ſic inſerviant alicui Religioſo particulatim, aut pluribus, vel omnibus communiter: & multoties pueri, & adoleſcentuli recipiantur in Monaſteriis, non ut Novitii, ſed ut hoſpites, ſeu poſtulantes ſe recipi pro Clericis ad habitum probationis, & parva veſte induti, plures menſes, quinimo, & annos, ſic detinentur intra Clauſtra, donec compleverint annum ætatis decimum quintum, Clericis, ut ſupra præſcriptum ad annum Novitiatus inchoandum, idque prætextu, ut interea fiat experimentum de ipſorum indole, & aptitudine ad Religionem: & aliquando etiam in eadem veſte iidem pueri, adoleſcentuli admittantur in Novitiatibus, & cum Novitiis degant, ad hoc, ut eorum voces pueriles in Choro cum vocibus Profeſſorum miſceantur, dum Divina peraguntur officia, quoniam verò ſecundum Canonicas ſanctiones, & juris regulas, cum quid una via prohibetur alicui, & ad id alia non debeat admitti, & memorati abuſus irrepſerint in fraudem legis, & eluſionem decretorum, ut ſupra editorum, in Religionum diſpendium, ac non ſine multorum admiratione, & ſcandalo: idcirco eadem Sacra Congregatio, ut in dies creſcat in Eccleſia Dei Sacrorum Religionum ſplendor, & veneratio, ex ſpeciali mandato Sanctiſſimi D.N.D.Clementis Divin.Prou.PP.X.hoc præſenti Decreto, in virtute S.Obedientiæ præcipit omnibus, & ſingulis Superioribus Generalibus, Provincialibus, & localibus, quocumque nomine, ac titulo appellatis, quorumcumque Ordinum &

Con-

Congregationum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, ut de cætero neminem pro Tertiariis, vel oblatis, ſeu donatis, aut commiſſis, vel ſervientibus, nec pro hoſpitibus, ſeu poſtulantibus, vel cantoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis, aut quovis habitu indutis, vel induendis, ſub quovis prætextu, vel cauſa, aut quæſito colore, recipiant, ſeu admittant ad habitum intra Clauſtra, niſi vigeſimum ætatis ſuæ anuum expleverint; omneſque ſic receptos, ſeu admiſſos (iis tantùm exceptis, qui completa ætate annorum quindecim pro Clericis, ſeu Choriſtis in habitu Novitiorum annum probationis agunt) à Monaſteriis, ſeu domibus Regularibus omnino amoveant, & ejiciant infra terminum duorum menſium, inchoandum à die intimationis præſentis Decreti, faciendæ Procuratoribus eorumdem Ordinum, & Congregationum in Romana Curia exiſtentibus. --

27 -- Quod ſi prædicti Superiores præſenti decreto per omnia non paruerint, aut in aliqua ejus parte contravenerint, pœnam privationis dignitatum, & officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, ac perpetuò inhabilitatis ad illa, vel alia imposterum obtinenda, vociſque activæ, & paſſivę ipſo facto, abſque alia declaratione incurrant, non obſtantibus, quo ad omnia ſupraſcripta, privilegiis, indultis, & conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die 16. Maji 1675.

G. Cardinalis Carpineus.

P.Fagnanus Secretarius.

Die 12.menſe Julii, & anno, quibus ſupra, ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Jo:Baptiſtam Faina.

Pro D.Marco Aurelio Pellicea Magiſtro Curſ.

28 Forma, & qualitas habitus conferendi Tertiariis Ordinis S.Franciſci in propriis domibus manentibus præſcribitur à Nicolao IV. & Paulo III.& iſte addit iis eſſe concedendam Chordam, & eſſe ſervandam locorum conſuetudinem, *vide cap.Official.quoad Confraternitates num.*10. nec poſſe Fratres de Corpore Obſervantiæ cogi ad præſtandum, ſive viris, ſive mulieribus habitum materialem, & formalem propriæ Religionis, firmavit S.C. Epiſc. & Regul. *in una Reatina, die* 12. *Auguſti* 1689.

1689.*ut in Regeſt.27. Ciſmontanæ Curiæ pag.68. & ſub die 27. Martii* 1700. *coram A.C. Petra, Cauſæ Patrono Roccho Matthæucci*, fuit pronunciatum in cauſa Sarnen. obſervationis Bullarum, in terminis ſimilis controverſiæ.

-- Chriſti nomine invocato. Pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, per hanc noſtram definitivam ſententiam, quam de juris Peritorum conſilio in his ſcriptis ferimus, in cauſa, & cauſis, quæ primo, & in prima coram Nobis verſæ fuerunt, & vertuntur inſtantiis inter RR.PP. Fratres Minoris Obſer. Conventus S.Franciſci Civitatis Sarni, Actores ex una, & RR.PP.FF. Conventuales Conventus de Fuce dictæ Civitatis reos Conventos, ex altera, partibus de, & ſuper obſervatione Bullarum ab Innocentio IV. ſub dat. 13. Junii 1246. incip. Vota devotorum Eccleſiæ, Nicolao IV. ſub dat. 8. Auguſti incipien. Unigenitus Dei Filius, & Sixto IV. ſub dat. 15. Decembris 1471. incipien. Romani Pontificis providentia circumſpecta, & ab Alexandro VII. ſub dat. 18. Julii 1657. incipien. Exponi Nobis &c. emanatarum, ac reſpectiva exequtione earumdem ſuper facultate iiſdem PP. Min. Obſer. conceſſa induendi, & regendi Fratres Tertii Ordinis Seraphici P.S.Franciſci, de pœnitentia nuncupatos, ſeu Tertiarios, & illos induendi habitu, & cingendi cingulo, ſeu corda, ad formam prædictarum Bullarum conceſſo ſeu conceſſa, nec non juxta formam, & uſum communem Religionis juxta Pontificias Conſtitutiones, nec non ad tenorem literarum Monitorialium per prædeceſſorem noſtrum expeditarum, dicimus, declaramus, decernimus, pronunciamus, & definitivè ſententiamus, dictas Bullas ſuperius recenſitas obſervandas, & exequendas fore, & eſſe, prout exequi, & obſervari volumus, & pro effectu hujuſmodi exequutionis dicimus, declaramus, & definitivè ſententiamus dd. RR.PP. Obſervantes manutenendos, & quatenus opus ſit, reintegrandos fore, & eſſe ad quietam, & pacificam poſſeſſionem induendi dd. Fratres Tertii Ordinis de pœnitentia, ſeu Tertiarios nuncupatos, illoſque regendi, ut ſupra, mandatumque de manutenendo, & reintegrando, decernendum, & relaxandum fore, & eſſe, prout decernimus, & relaxamus; & ita dicimus, pronunciamus, decernimus, & declaramus, ac definitivè ſententiamus, non ſolùm iſto, ſed & omni alio meliori modo &c.

Item

Item pari noſtra ſententia dicimus, declaramus, decernimus, pronunciamus, & definitive ſententiamus DD. PP. FF. Conventuales Conventus de Fuce d.Civitatis, niſi intra 15. dies intimationis præſentis noſtræ ſententiæ, ſeu infraſcripti mandati de manutenendo,reſpectivè eis facien. computandos, realiter, & cum effectu eidem ſententiæ, ac noſtro mandato de manutenendo paruerint,ex nunc prout ex tunc, ſuſpenſionem à Divinis,interdicti ingreſſus Eccleſiæ,aliaſque Eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pœnas in præfatis Bullis contentas, & comminatas damnabiliter incidiſſe, & incurriſſe, ipſoſque ita ſuſpenſos, & interdictos, & cenſuris Eccleſiaſticis ſuppoſitos, ac declaratos, publicè denunciandos, & ab omnibus Chriſtifidelibus, uti tales habendos, & evitandos,prout arctius evitari mandamus; literaſque declaratorias deſuper neceſſarias, & opportunas decernere, relaxare fore, & eſſe prout declaramus, decernimus, concedimus, & relaxamus, victoſque victoribus in expenſis condemnamus, quorum taxationem Nobis,vel cui de jure,impoſterum reſervamus: Et ita dicimus,declaramus, pronunciamus, & deſinitivè ſententiamus; non ſolum iſto, ſed etiam omni meliori modo &c. Die 27. Martii 1700.

Ita pronunciavi V.Petra. Bellus Notarius.

Non video, ex quo inferatur Fratres de Corpore Obſervantiæ debere mulieribus, & viris, conferre Tertii Ordinis habitum, & cordam, materialem, & formalem propriæ Religionis, ut nequeant eiſdem eumdem, & eamdem præſtare, ejuſdem coloris, & materiæ,cum eo, & ea, quem, & quam de-
29 ferunt Conventuales; ſi enim ſimilis coloris, & materiæ, (ſeu eadem, ut dicitur *Saja*) qua ipſi veſtiuntur, habitum deferunt Tertii Ordinis S.Franciſci Clauſtrales, viri, & mulieres, & eodem funiculo cinguntur; quare ea deferre cum ipſis univoce, in qualitate, & groſſitie, eis, qui de Tertio Ordine dicuntur, non licebit; eiſque à præfatis Obſervantibus conferri non poterint?

Religioſos, non materia, ſed forma habitus extrinſecè diſtinguit. Sic Clerici Regulares ſunt, etiam quoad habitum, interſe diſtincti: tametſi pro eo eadem materia utantur. Diſtinguitur Dominicanorum habitus ab eo Servitarum, Auguſtinianorum, Carmelitarum &c. at non in qualitate mate-

riæ: nec dici poteſt Servitas eo Auguſtin ianorum uti; licet ſimilem in materia, & colore geſtent, quia in forma non conveniunt; ſic ad caſum noſtrum; & tunc eſſet contra Obſervantes juris remediis agendum, cum Tertiariis materialem, & formalem habitum, Conventualibus proprium, conferrent, vel præſtare prætenderent.

30 Nulli habitum Ordinis Franciſcani, ſive ſint Heremitæ, ſive Tertiarii, niſi in ſcriptis à præfati Ordinis Superioribus licentiam obtinuerit, deferre conceditur, prout diſpoſuit Gregorius IX. *Conſt. Quia confuſio*: Paulus II. *Conſt. Regularem vitam*, qui illum deferentes cenſu ris, & pœnis ſupponunt, & Urbanus VIII. *ſub die* 5. *Octobris* 1638. *Cum ſicut dilectus* omnibus, & ſingulis locorum Ordinaris, & Nunciis, ubi vis terrarum conſtitutis, & degentibus, decreto præcipit, ne de cætero quemquam Tunicam oblongam Tertii Ordinis S.Franciſci, cum, vel ſine mantello, abſque Superiorum prædicti Ordinis licentia inſcriptis obtenta, quoquomodo deferre permittant: utque ſi aliquem præmiſſorum tranſgreſſorem repererint, illum carceri mancipandum, & tali habitu exeundum, & arbitrariis pœnis mulctandum irremiſſibiliter curent.

Ex quibus apparet jus conferendi habitum competere prædicti Ordinis Superioribus, privativè quoad alios omnes, etiam Ordinarios;

Super enunciatarum Conſtitutionum obſervantia *ſub die* 21. *Martii* 1686. decretum edidit S.Cong.Epiſc. & Regul. cui Innocentius XI. ſupplicem remiſit libellum, eidem ea de re exhibitum à Procuratoribus Generalibus Minor. de Obſer. Reformatorum, & Capuccinorum, cujus tenor eſt.

Sac. Congr. &c. ſtante remiſſione libelli per SS. D.N. facta, & attentis narratis cenſuit, injungendum, prout præſentis decreti tenore injungit Ordinariis locorum, ut ſupradictas Conſtitutiones Apoſtolicas juxta earum tenorem executioni omnino demandent *Regeſt.*26. *Ciſmont. num.*384.

Et hæc ſint ſatis, quæ omnia, & ſingula in Superioribus titulis contenta, infallibili Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis, judicio, & authoritati ſubmitto.

F I N I S.

RERUM NOTABILIUM REPERTORIUM.

Videantur Titulorum Summaria.

Primus numerus paginam, ſecundus marginalem innuit.

ABBATISSA.

Vide Summarium pagina prima.

Cùm Ordinarius non vult intereſſe electioni, facta ſubſiſtit, p.5.n.15.

Poteſt intereſſe per ſe, vel per alium, non *alios*, ibid. & p.141.n.64.

Quid importet præſidere, p.6.n.20.

Sub titulo Præſidentis poteſt abſoluto triennio regere Monaſterium p.7.n.24.

Ægrotantium ſuffragia recipiuntur juxta conſuetudinem, p.140.n.63.

Electioni Abbatiſſæ non poteſt intereſſe Notarius ibid.n.64.

Sine ejus præſentia facta ſubſiſtit ibid.

ABSOLVTIO.

Vide Summarium pag.8.

Sacerdos in Ordinatione recipit juriſdictionem abſolvendi ſolùm in actu primo ibid.n.1.

Abſolutio à venialibus ſine approbatione eſt nulla p.20.n.23.

Regulares nequeunt abſolvere à cenſuris quoad forum externum p.230.n.14.§.17.

ALIENATIO.

Eſt Regularibus interdictum bona Eccleſiaſtica alienare p.31.n.25.

Alienatio facta ſine ſolemnitate, non ſubſiſtit. ibid.

Nec dominium directum, nec utile alienare poſſunt.ibid.n.26.

Nec per viam tranſactionis ibid.n.27.

Quid de rebus exigui valoris. pag.32.n.28.

Mobilia pretioſa quoad alienationem æquiparantur immobilibus p.33.n.29.

Unde res dicantur mobiles. ibid.

Fratres de Obſervantia non poſſunt per ſe ipſos alienare, & vendere. p.35.n.32.
Quid de Capellis, & ſepulturis. ibid.n.34.
Res Sacriſtiæ à Fratribus Min. de Obſ. quomodo commodandæ p.216.n.30.

A L T A R E.

Privilegia celebrandi in Altari portatili, ſunt revocata p.62.n.27.
Nec in Clauſtro ſuper eo celebrari poteſt. p.64. n.30.
Altare portatile non eſt Oratorium. ibid.

A N N U S.

Annus quadrageſimus in eligenda in Abbatiſſam, debet eſſe completus. p.3. n.7.
Annus naturalis, & artificialis. p. 248. n.7.
Duo dies in Biſſextili pro uno reputantur. ibid. n.6.
Dies ſpatium lucis ſignificat, quod eſt inter ortum, & occaſum Solis. p.137. n.55.
Annus præſcriptus ad ejiciendos incorrigibiles reducitur. p. 259. num. 35.

A P P R O B A T I O.

Vide Summ. pag.12.
Quid ſit approbatio. p.8. n.1.
Non ſufficit ſe præſentare Epiſcopo. p.14. n.4.
Approbatione Epiſcopi relaxatur juriſdictio. p.15.n.9.
Sacerdos, cui confitetur Regularis extra Ordinem, debet eſſe ab Epiſcopo approbatus. p.21. n.24.
Regulares generaliter idonei reperti abſque limitatione admittuntur. p-15. n.10.& p.228. n.14.§.10.
Generaliter admiſſi, non poſſunt ab eodem Epiſcopo iterum examinari. p.229. n.14.§.13.
Licentias audiendi Confeſſiones poteſt revocare Capitulum ſede vacante. p.18. num.18.
Sine Superioris licentia non poteſt Regularis Confeſſiones ſecularium audire. p.20. n.24.
Licentia audiendi Confeſſiones non expirat morte concedentis. ibid. & p.236. n.26.

B E N E D I C T I O.

Vide Summ. pag.21.
Regulares benedicunt Candelas, Cineres, & Palmas. p.25.n.19.
Poſſunt mulieres ad purificationem admittere. ibid. n.18.

Ne-

Nequeunt Sponſum, & Sponſam benedicere. pag. 220. n. 2. §. xi.

BONA MOBILIA, ET IMMOBILIA.

Vid. Sum. pag. 25.

CAMPANA.

Die Sabbati Sanctſ priùs pulſant Campanæ Matricis. pag. 38. n. 2. pag. 220. n. 2. §. xii.

Campanæ tempore interdicti quando pulſari poſſunt. pag. 181. n. 10. & pag. 182. n. 11.

CASUS RESERVATUS.

Reſervare caſus quid importet? pag. 8. n. 1.

Actus reſervationis eſt localis pag. 9. n. 2.

Differentia inter caſum, & excommunicationem reſervatam. ibid. n. 4.

In Articulo mortis nulla eſt reſervatio. pag. 11. n. 10.

CENSURA.

Regulares ſervant cenſuras ab Epiſcopis latas. pag. 118. n. 10. pag. 220. n. 2. §. 13.

CITATIO.

In citatione non omittitur dies certa. pag. 124. n. 6.

Citatio continens tempus ad comparendum non ſufficiens, pro non facta cenſetur. ibid.

Regulares ab Epiſcopis citati, quando comparere debeant p.153. n. 43.

CLAUSULA.

Decreti irritantis, actum ſecus geſtum annullat. pag. pri. n. 4. & pag. 126. n. 13.

Omnem conſuetudinem tollit. ibid.

Clauſula *dummodo quotidie ſeptem Miſſę celebrentur.* p.177. n.28.

Clauſula ad ſeptemnium. pag. 178. n. 29.

Intellectus reſcripti quo ad clauſulas petitur ex mente Principis. pag. 168. n. 10.

Indulgentiæ cum clauſula *Univerſis Chriſti Fidelibus.* pag. 169. n. 13.

Clauſula *non obſtantibus Privilegiis* removet ordinarię juriſdictionis obſtacula. pag. 144. n. 7.

Diſpoſitio Concilii generalis continet clauſulam derogatoriam ad futuras diſpoſitiones. pag. 148. n. 21.

Clauſula *quovis Privilegio non obſtante.* pag. 147. n. 21.

Clauſula *ſalva juſtitia &c.* pag. 262. n. 2. & pag. 265. n. 14.
Clauſula *ſine ſtrepitu judicii* exponitur. pag. 258. n. 33.
Clauſula *ex certa ſcientia*. pag. 205. n. 20.
Clauſula exceptiva *dummodo Decretis Conc. Trid. non adverſentur*. pag. 223. n. 7.
Clauſula *Sacriſque Canonibus*. pag. 224. n. 12.
Clauſula *motu proprio*. pag. 230. n. 16.
Clauſula *ipſo facto &c.* pag. 209. n. 5.
Clauſula *abſque declaratione*. ibid. n. 7.

CLAUSURA.

Vide Sum. pag. 64.
Juriſdictio circa clauſuram non competit Regularibus privativè quo ad Epiſcopum. pag. 71. n. 16.

CONCIONATOR.

Vide Sum. pag. 74.
Quæ Prædicatio, habeat tractum ſucceſſivum? pag. 76. n. 5.
Regulares debent ſe conformare Evangeliis, & Epiſtolis. p. 153. n. 42.

CONFESSARIUS MONIALIUM.

Vid. Summ. pag. 80.

CONFRATERNITATES.

Vid. Summ. pag. 83.

CONSERVATORES.

Vid. Sum. pag. 90.

CONVENTUS

Vid. Sum. pag. 95.

DECIMÆ.

Regulares tenentur ad Decimas prædiales. pag. 119. n. 21.
Excipiuntur non poſſidentes. pag. 120. n. 22.
Quando teneantur Moniales. ibid. n. 23.
Regulares non tenentur ad Synodaticum. pag. 119. n. 19.
Nec ad charitativum ſubſidium. ibid. n. 20.

DELICTA.

Vid. Summ. pag. 107.

DICTIO.

Dictio *fortè* eſt dubitativa. pag. 32. n. 28.
Dictio *ſtatim* moraliter intelligitur. pag. 111. n. 8.
Dictio *ante* exponitur. pag. 266. n. 19.
Dictionis *reſpectivè* ſenſus. pag. 255. n. 31.
Dictio *ſpecialiter* non extendit conceſſionem. pag. 233. n. 19.

Dictiones *obreptio*, & *ſubreptio* explicantur. pag. 231. n. 18.
Dictio *tantùm* eſt taxativa, & excluſiva. pag. 205. n. 19.
Dictionis etiam ſenſus. pag. 311. n. 6.

DIETA.

Continet viginti milliaria. pag. 23. n. 7.

ECCLESIA.

Non ſunt impediendi Fideles, quin diebus Dominicis Divina audiant in Eccleſiis Regularium. pag. 38. n. 4.
Fideles ſatisfaciunt præcepto de audienda Miſſa in Eccleſiis Regularium. pag. 39. n. ibid.
Presbyteri ſeculares recipiendis à Regularibus benignè. p. 41. n. 8.
Eccleſia Romana eſt cæterarum Caput, & Magiſtra. p. 143. n. 2.
Quælibet Eccleſia naſcitur ſubjecta Eccleſiæ Romanæ. ibid.
Extra Eccleſiam nullus omnino ſalvatur. pag. 154. n. 48.
Una eſt exemptorum, & non exemptorum Eccleſia. ibid.
Non poteſt Parochus ingredi Eccleſias Regular. cum Stola, & Cruce. pag. 157. n. 5.
Eſt in Eccleſia poteſtas concedendi Indulgentias. pag. 162. n. 2.
Regulares in propriis Eccleſiis tenentur Epiſcopis erigere Baldachinum pag. 148. n. 24.
Epiſcopi poſſunt ad Eccleſias Regularium accedere cum Cruce, & alia in eis exequi. pag. 147. n. 20. & ſequentibus.

ELECTIO.

Vid. Summ. pag. 121.
Electio eſt aſſumptio unius ex pluribus. pag. 128. n. 26.
Electio eſt libertatis, & confirmatio neceſſitatis. pag. 156. n. 51.
Per confirmationem confertur juriſdictio. ibid.

EXCOMMUNICATIO.

Excommunicantur alienantes Bona Eccleſiæ. pag. 31. n. 25.
Excommunicantur ingredientes ſine licentia Clauſuram Monialium. pag. 70. n. 15. & 17.
Excommunicantur Moniales exeuntes è Monaſteriis extra caſus permiſſos. ibid.
Excommunicantur Mulieres ingredientes Monaſteria Virorum. pag. 101. n. 11.
Excommunicantur Regulares eas admittentes. ibid. n. 12.
Nequeunt Epiſcopi cenſurare exemptos, niſi in caſibus ab Jure expreſſis. pag. 149. n. 28.
An poſſint eos excommunicatos declarare. pag. 150. n. 33.

Regu-

Regulares ligantur excommunicatione lata ab Epiſcopo contra accedentes ad Monaſteria Monialium, & quando . p. 151. n. 36.
Excommunicatio major fertur pro culpa mortali . p. 252. n. 21.
Actus facti ab excommunicato tolerato ſunt validi . p. 213. n. 19.

EXEMPTIO.

Vid. Summ. pag. 141.
Formula, qua exemptio conceditur . pag. 143. n. 2.
Qui Regulares non ſint exempti ab onere intereſſendi lectioni caſuum conſcientiæ . pag. 118. n. 12.

EXEQUIÆ.

Vid. Summ. pag. 155.

FESTUM.

Vid. Summ. pag. 158.

HABITUS.

Habitus eorum , qui de Tertio Ordine S. Franciſci dicuntur . pag. 89. n. 10. & pag. 319. n. 28.
Habitus extrinſecè Regulares diſtinguit. p. 250. n. 12. p. 321. n. 29.
Heremitis ſoli Superiores Ord. Minorum habitum concedunt . pag. 322. n. 30.

IMMUNITAS.

Qui Immunitatẽ offendit, Immunitate non gaudet. p. 235. n. 21.

INDULGENTIA.

Vid. Summ. pag. 161.
Indulgentia Portiunculæ Anno Jubilei non ſuſpenditur . p. 169. n. 15.
Indulgentia Privilegio communicationis ſunt communes inter Minores . pag. 233. n. 20.

IGNORANTIA.

Decretum irritans, etiam ignorantes ligat . pag. 3. n. 5. , & pag. 126. n. 16.
Ignorantia excuſat à pœna . pag. 127. n. 18.
Ignorantia præſupponitur in Muliere, & Minori . pag. 3. n. 5.

INTERDICTUM.

Vid. Summ. pag. 178.

JURISDICTIO.

Regulares habent juriſdictionem à Papa . pag. 15. n. 9. , & pag. 273. n. 8.
Juriſdictio, alia delegata, alia ordinaria . pag. 20. n. 23.
Non approbatus caret juriſdictione . ibidem .

Epiſcopi in Eccleſiis Regularium non poſſunt ſine eorum licentia actus juriſdictionis exercere. pag. 148. n. 22. & 23.
Mendicantes ſunt delegati à Sede Apoſtolica. pag. 273. n. 8.
Uſus Pluvialis non eſt ſignum juriſdictionis. pag. 243. n. 15.
Coactiva juriſdictio in Laicos repugnat Puritati Regulę S. Franciſci. pag. 313. n. 12.
Epiſcopis in exemptos aliquando delegata, aliquando ordinaria datur juriſdictio. pag. 144. n. 7.
Ex actibus à Delegato exercitis non probatur juriſdictio. ibi. p. 8.
Juriſdictio proprio adhæret Territorio. pag. 153. n. 7.

JURAMENTUM.

Præmittendum electionibus, pag. 130. n. 34.
Juramenti cauſa. pag. 131. n. 35.
De incognito jurare non licet. ibid.

LEX.

Vid. Summ. pag. 115.
Lex extra Territorium non ligat. pag. 117. n. 7.
Per leges Synodales cogi poſſunt Regulares, curam Animarum habentes, ad intereſſendum lectioni caſuum conſcientiæ. pag. 118. n. 12.
Quælibet lex ad bonum publicum ordinatur. pag. 117. n. 6.
Lex juriſdictionis, & diœceſana. pag. 119. n. 14., & n. 16.
Cum lex generaliter loquitur, etiam minimum includit. p. 247. n. 4.

LEGATA.

Vid. Summ. pag. 185.

LICENTIA.

Ad licitum ingreſſum in Clauſuram Monialium, requiritur Ordinarii, vel Superioris Regularis licentia. pag. 70. n. 15.
Ubi conſuetudine conceditur ſimul ab utroque, obſervetur. pag. 71. ibid.
Facultas, eas concedendi non competit Regularibus privativè quo ad Epiſcopum. ibid. n. 16.

LIBRI.

Extrahentes furto libros è Bibliothecis Fratrum Min. excommunicantur. pag. 216. n. 30.

LITERÆ S. POENITENTIARIÆ.

Vide Summ. pag. 195.

MIS-

MISSA.

Vid. Summ. pag. 36.

Epiſcopi poſſunt in Eccleſiis Regul. Miſſ. in Pontificalibus celebrare. pag. 147. n. 20.

NOTORIUM.

Juris, & facti. pag. 221. n. 12.

NOVITIUS.

Novitii Min. de Obſ. inſtruendi etiam, quod Profeſſis ejuſdem Regulæ eſt interdicta contrectatio pecuniæ. pag. 258. n. 32.

Contrectare pecunias politicè, & civiliter, quid ſit. ibid.

OFFICIUM DIVINUM.

Communicatio Privilegiorum non extenditur ad Officia Divina. pag. 232. n. 19.

ORDINES.

Vid. Summ. pag. 199.

Diaconi, & Subdiaconi inſignia propria, Stola, & Manipulus, pag. 277. n. 24.

Clericus exercens actum Ordinis, quem non habet, irregularitatem incurrit. pag. 40. n. 7. & pag. 276. n. 24.

POENA ECCLESIASTICA.

Vid. Summ. pag. 207.

PRÆSCRIPTIO.

Ad præſcribendum quale ſpatium temporis exigatur. pag. 120. n. 24.

Bona fides ad præſcribendum eſt neceſſaria. ibid. n. 25.

PRIVILEGIUM.

Vid. Summ. pag. 217.

Privilegia acquiruntur per communicationem. pag. 231. n. 18.

Communicatio Privilegiorum intelligitur ſine præjudicio. pag. 232. n. 18.

Communicatio Privilegiorum non trahitur ad ea, in quibus ſpecialiter eſt proviſum. pag. 233. n. 19.

Sub generali communicatione Privilegiorum, non veniunt ea, quæ rarò, & cum difficultate conceduntur. pag. 184. n. 18.

Amittuntur Privilegia per non uſum. pag. 235. n. 24.

Quando Privilegium non expiret morte concedentis. pag. 236. n. 25.

Regularis non poteſt renunciare Privilegio exemptionis. p. 143. n. 4. & p. 235. n. 23.

Nec Clerici Privilegio fori . ibidem .

PROCESSIO.

Vid. Summ. pag. 236.
Mulieres tempore Proceſſionum poſſunt ingredi Clauſtra Conventuum . pag. 102. n. 13.

PROFESSIO.

Vide Summ. pag. 245.
Ante, & poſt Profeſſionem prohibitum eſt Converſis ad Sacerdotium tranſire . pag. 259. n. 34.
Profeſſio à Secularibus de Tertio Ordine emittitur in manibus Superioris , & non Miniſtri Secularis . pag. 89. n. 10. & pag. 314. n. 13.
Profeſſio, & non habitus, facit Monacum . pag. 250. n. 12.

QVARTA FVNERALIS.

Vid. Summ. pag. 260.

QVÆSTVATIO.

Ordo quæſtuandi inter Conventus . pag. 107. n. 27.
Quando Regul. teneantur oſtendere Ordinario licentiam Superiorum, dum velint eleemoſynas quærere . pag. 150. n. 38.
Poteſt Epiſcopus impedire immoderatas quæſtuationes. pag. 152. n. 40.
Poſſunt Regulares colligere Uvas , Frumentum &c. priùs Parocho . ibid. n. 39.

SACRAMENTORVM ADMINISTRATIO.

Vid. Summ. pag. 271.

SEPVLTVRA.

Vide Summ. pag. 277.

SIMONIA.

Simoniacè electus Prælaturam dimittere debet . pag. 133. n. 41.

SYNDICVS APOSTOLICVS.

Vid. Summ. pag. 290.

TERTIARII.

Vid. Summ. pag. 307.
Diſtinctio Confraternitatis Cordigerorum à Tertio Ord. S. Franciſci . pag. 89. n. 10.
Tertiarii coram Judicibus Secularibus conveniuntur. p. 221. n. 2.
Si cauſam dederint interdicto non admittuntur ad Divina &c. pag. 221. n. 2.
Viventes intra Clauſtra dicuntur verè de familia . pag. 19. n. 22.

VISI-

Rerum Notabilium

VISITATIO.

Poſſunt Epiſcopi viſitare Confraternitates Laicorum exiſtentes in Eccleſiis Regul. pag. 86. n. 4.
Quando poſſint ipſarum Altaria. ibid. n. 5. & 6.
Conventus non ſuppreſſi quando Viſitationi Epiſcopi ſubſint. pag. 106. n. 23.
Epiſcopi nequeunt viſitare Eccleſias, Sacriſtias &c. exemptorum. pag. 152. n. 41.
Poſſunt ipſorum Eccleſias viſitare in concernentibus curam Animarum,& Sacramentorum adminiſtrationem. pag. 145. n. 10. pag. 218. n. 2. §. 1. pag. 225. n. 13. §. 1.

VOTUM.

Non conſtituitur ſolo propoſito. pag. 315. n. 18.
Differentia inter propoſitum, & promiſſionem. ibid. n. 19.

Corrigebat P. Joannes Franciſcus à Neapoli, Scriptor generalis Curiæ.

ERRATA				*LEGE*
Pag.	15.	lin. 22.	Apprabati	Approbati
Pag.	56.	lin. 34.	Ad de	Ac de
Pag.	77.	lin. 30.	Poſt	Poteſt
Pag.	90.	lin. 20.	Admuſſim	Adamuſſim
Pag.	141.	lin. 9.	Devolativum	Devolutivum
Pag.	213.	lin. 9.	Sint.	Sit

Alia, ſi quæ ſint, minoris momenti, ipſe corrigat Lector.

Digitized by Google

Digitized by Google